1579. ciliatis aliquot provinciis, dimidium ja confectum eſſet. quin & gaviſurum ſe, ſi plum reliquæ provinciæ ſequerentur. autem ſpectet ad invitandos Antverpien ſe litteras moderaturum, ut & wallon ſtulatis (quod magnopere velit) ſatisfac regii exercitus exiſtimationi (quod a nolit) haud detrahat. Conſilio Alexandri to, ipſe ad Ordines Antverpiam advocat ſtolam compoſuit in hæc verba. *Injecti ſermone cum aliquibus provinciis de earum ad ſuum revocatione, quum eas ad id ſerio prop veniſſemus, (quamvis hujuſmodi reconciliatu ſeorſim, ſed conjunctim cum aliis provinciis co præoptaſſent, ut & Regis eſt votum) viſum quid actum ſit, vos interim noſtris hiſce litter cere: ut & ipſi animum hac de re veſtrum, quem habetis conventu, nobis aperire poſſitis. autem, quos fidei ſinceritatiſque noſtræ certu lumus, quidquam à nobis deſideretis; pollice gia Majeſtatis nomine, ratam ſanctamque ros Gandavenſem pacificationem, edictumq tuum, nullo ex eis capitibus prætermiſſo. V Religionis Catholicæ cultus integre ſervetur, dientia Principi veſtro debita: ſicuti & tempore factum ſcitis, & vos pro ſolenni ſa debetis, & leges humanæ juxta, ac divinæ ſtram obligant. Id, quod tanquam unicum mium patriæ veſtræ remedium non expectare profecto non poſſumus. Quid ergo conſilii ſup in commune cœperitis, quæve provinciæ comp rint ſignificationem hanc noſtram, admone primum cupimus.* Excepere tubicinem perferentem Procuratores provinciarum Antverpiam undique confluxerant, verbis quidem minacibus, ſuperbiſque: more cet eorum, qui ſemel nacti occaſionem cendæ temporariæ poteſtatis, immodice atque impotenter uſurpant. Sed placatio inde facti, reputata melius injuria, q victorem non ſatis opportune conferre tentum aliquot dies tubicinem ad Parm

*Et ſcribit ad Ordines Antverpiæ coactos. 26 Martii*

*Ad has litteras ſuperbe ſe gerunt Procuratores Ordinum:*

*Poſtea mitius reſpondent,*

2009 Ministerio de Cultura

incipem remittunt, prolixa cum epiſtola, ſed qua, præter querimonias, & conteſtationes, hil certi expediebant. Itaque Parmenſis, miſ- ad wallones exemplari ejus epiſtolæ, quo imo erga pacem reliquæ provinciæ eſſent, tendit. Vtque altius Antverpienſium mentem allones introſpicerent, non omiſit exponere, d fœdus illud inter quaſdam provincias Tra- cti ad Rhenum nuper ictum, inſeruiſſe nunc emum ſe ſe Antverpienſes. in quo tamen fœ- ere (quod nullo wallonum reſpectu compoſi- m eſſet) inter alia, promiſcuus non Lutheria- e modo, aut Calvinianæ, ſed quarumcumque ereſum uſus admittitur, contra quam undeci- o capite edicti perpetui ad Gandavenſem pa- ficationem additi, juratum eſſet ab Ordini- s, nempe *Se Catholicam Romanamque Religio- m integram conſervaturos, nulla re adverſus illam quam permiſſa.* Viderent propterea wallones, uam alieni ſint illi à pacificatione Gandaven- , atque adeo quam male convenire poſſint ipſi nius Catholicæ Religionis aſſertores, ac vin- ices, cum hujuſmodi hominibus nihil certi in ltu divino præhabentibus, ſed obvia quæque, que unde unde accerſita, pro cujuſque ar- trio conſectantibus. Quamobrem hortari im- enſe illos, ut, quando nihil eorum, quæ ipſi fla- taverint à Rege, negatum ſit; præcidant ſemel am nimis jam diuturnam, ac ſimilem neganti- s moram: miſſiſque, quos deſtinaverant, Pro- ratoribus, Principi demum ſuo animos, atque ma, ante alias provincias adjungant: relaturi hujuſmodi anticipatione parem gratiæ præ- gativam apud Regem, à quo ſeu ſoli, carius bebuntur: ſeu primi, ceteris præferentur. Nec uribus opus jam erat, ut wallones aliquan- manus darent, ſecuri, nequaquam ſibi vitio ibuendum, ſi ad pacificationem Gandavenſem tinendam ab iis deſciſcerent, qui eam pacifica- onem antea fregiſſent. Quum trepidus ad eos ncius perfertur, pagos wallonicarũ partium Flandria gallicana, vaſtari armis Franciſci

1579. litteris tamen nihil concludentibus: 29 *Martii*

Quas Alexander mittit ad Wallones.

*Vnio Vltrajectina V. recht.*

oſtenditque injuriam illis factam:

Atque eos hortatur ad reconciliationis complementum.

Wallones dant demum manus:

Et audita clade ſociorum:

Lanuæ

© Ministerio de Cultura

1579. Lanuæ caſtrorum Præfecti: qui ſubm
Orangio, (cui hoc unum nempe reſtaba
crebras interpellationes, ac minas) & ſ
ferme pedites trahens pleroſque Gallos
tis, Angliſque permiſtos, levia aliquo
commiſerat, primum haud procul D
cum Mottæi militibus, quibus Manſvill
*S. Omer.* erat Mottæi loco: deinde cum Manuy
mari Præfecto, circa Wactenem, utrob
perior. Verum levior hic ictus fuit,
Wallones dejiceret. QVOS autem ur
proſternas, à te repulſos adjunges ex
ſtantibus. Scilicet externus hic timor
arctius conjunguntur: tos jam in regias partes animos Wallo
ne conjunxit. ſtatimque ipſi inter ſe, a
Et fœdus privatim inter ſe feriunt. Parmenſem Principem adirent, fœdus
feriunt, Montinio, pro Malecontent
piis, ſacramentum præeunte, Mottæ
partes, uti in mandatis ad hanc rem
exhibente. Promiſit ille, ſe militeſ
(erant hi, qui Montinio in Flandria
*Montinius.* Montinio hæc promittente ex una parte. jam menſibus militaverant, pedites
ptem millia, equites omnino quadring
petuo retenturos Religionis Catholica
næ fidem cultumque, Regi debitam
tiam, Pacificationis Gandavenſis cu
edictoque ſubſecutis, obſervantiam:
ipſa adverſus quoſcunque repugnante
regio exercitui adſcriptis, aſſerturos
Meninam, Caſletum, aliaſque circa
ab iis obtentas, cum omni bellico a
tradituros Regi, dummodo is exter
& hæc Mottæo ex altera. provincias liberatas velit. Mottæus
Majeſtatis nomine ſoluturum ſe Mon
licitus eſt ducenta & quinque floren
in milites dividenda: quos rurſum
promiſit, ad Iunias Kalendas habitur
ſignis, eoſque ad novam pro Rege mi
ſtraturum. Adſtantibus fœderi apud S
*S. Eloy.* Accedit tertia provincia ad hoc fœdus. gii in Atrebatenſibus percuſſo, præter
tores, Atrebatenſem Epiſcopum, Se
Walhuonium; Vicecomite Gandaven

©MCU Ministerio de Cultura

1579.

28 *Maji.*

e Halenio Tribuno. Movit Arteſiorum, nonioruṁque exemplum Flandriam Galli-cam, ut hæc provincia ( Tornaco excepto, ac naceſio) in eaſdem conditiones cum legatis is conveniret. Quin iiſdem quoque diebus, s Antverpiæ tumultus adverſum Catholi- non parum juvit. Percelebrem ſacri Ordi- upplicationem, in ſolenni gratulatione ad- dentis in Cælum Domini, comitabatur in- cum ipſo Archiduce, Catholicorum mul- lo: quum conglobati aliquot Calviniani, npta ſecum ſclopetariorum manu, primum dentibus viam obſtruunt: tum Catholicos novere obſtantium turbam, ac vi aditum ire connitentes, ſclopis in pectus intenta- mox & exploſis, ac duobus illico ſtratis, alio fugant, agmen ſupplicantium diſſi- pleroſque in templum cum Archiduce pellunt, concluduntque. Poſtremo gliſcen- ti fit, ex ſucceſſu licentia, partim templi armati obſident, partim per urbem, atque Orangium, ac Magiſtratum diſſonis voci- pellendos urbe ſacrificulos conclamant; Archiduce, magni veluti beneficii loco, de abire permiſſo, reliquos non ante egre- tiuntur, quam Canonicorum, Monacho- ue, ac ſacrorum hominum, qui non pàu- s ducentis ſupplicationem inſtituerant, m, paucis retentis, à Magiſtratu impetra- t. Mirantibus interea bonis tantam Calvi- n partium in ea urbe potentiam, exulem- lerum, & cum eo proſcriptam pietatem tantibus: offenſo in primis Archiduce, jurato, Si in eum inſanire modum por- rgerent, fixum jam ſibi, relicta impo- adeo multitudine, ad Cæſarem fratrem riter irreverentia neglectum quampri- re. Verum ex homine ſervilis quidem ii impatiente, ſed privatæ ſimul vitæ rante, nihil ea injuria præter inanes nonias expreſſit. Valuit tamen indignum s tum ad invidiam odiumque Ordi-

Augetur concordia Wallonum ex tumultu Antverpienſe, in ſolenni ſupplicatione: quam Calviniani interturbant,

vi ac cæde,

nec quieſcunt, donec ex ſacro ordine complures urbe expellunt.

offenſo Matthia,

ſed nihil contra auſos

C nibus

© Ministerio de Cultura

1579. nibus creandum, quibus inſpectantibus
nuentibuſque, impune quotidie pe
adverſus ejus cultum Religionis, cui
gnifice in Gandavenſi fœdere ipſi ca
tum etiam ad Malecontentorum, ac Wa
art. 4. cauſam magis magiſque apud multos
probandam, ac promovendam. certe &
Philippus Egmontius Lamoralii filius
rolus Gaurius Freſini Dominus, & B
& Villervallius, & poſtremo Comes
nius Hannoniæ, ac Valencenæ Gub
relictis Ordinum partibus, novo ſe cu
legatis fœdere conſociavere: inſertis
conditionibus, de exercitu pro Religi
Rege, ex reconciliatis provinciis, po
nem externorum, conflando: deque Be
fecto non niſi regii ſanguinis aſciſcen

*Plures hinc Proceres cum Wallonibus fœdus conjungunt: Philippus & augent.*

Ergo non ultra cunctati Wallonum
legationem inſtituunt: principes nom
annem Saracenum S. Vedaſti Abbatem
prium Atrebatum Gubernatorem: eo
ſelecto Nobilium comitatu, mittunt a
drum, Trajectum ad Moſam obſiden
ejus manus redditurі provincias ſuas
xander legationis, & conditionum p
monitus, quarum aliquas quoniam mi
probabat, eoque moderaturus, ſta
officiorum genere legatorum animo
ri. Ejus itaque juſſu, Ioannes Noye
gnolii Dominus, Farneſiæ aulæ Ma
& Ioannis Auſtriaci domum rexerat
proceſſit Bellomontium uſque, Areſc
oppidum: ubi Wallonum Proceres, q
batenſis Antiſtes, Sellius, & Valh
mitabantur, Principis Alexandri no
tavit, deduxitque Viſetum, illorum
deſtinatum. Inde in campum altera d
tibus occurrit cum octo equitum ſig
trum quatuor, totidem haſtatorum
Fauchembergius prætorianorum mi
fectus, inſequente aulicorum globo,
Nobilium honoraria Regis ſtipe attin

*LEGATIO Wallonum provinciarum ad Alex. postea Cameracenſis Archiepiſcopus.*

*Quibus ipſe obviam mittit aliquos ex ſuis: Maggiordomo.*

*28 Apr. mox alios:*

*Gentilhuomini intratenuti*

2009 Ministerio de Cultura

Nec poſt multo, duobus fere paſſuum millibus à caſtris progreſſus Petrus Erneſtus Comes Mansfeldius, cum Principalis concilii Proceribus, legatos excepit ducturus ad Alexandrum. Tabernaculum tetenderat is in editiore campi loco, eminebatque Prætorium ejus non ſitu modo, ex quo ſuorum munitiones ipſe conſpicere, conſpicique ab iis poſſet; ſed etiam latitate, atque inteſtini operis dimenſione: cujus ad ſpeciem facile agnoſceres in caſtrenſi illa urbe ſedem Principis. Eo accedentibus legatis, ſubeuntibuſque tentorii aditum, ubi equites turmæ Principis, ad ejuſque cuſtodiam corporis attributæ cohortes excubabant; præſto fuere intimi aulici, eoſque cum reliquo comitatu introduxere ad Alexandrum. Quem Vedaſtinus Abbas, wallonicarum provinciarum, conjunctarumque civitatum nomine veneratus, illico appoſitoque ſermone aliquandiu tenuit audientem in publica illa Nobilium corona, generatim exponens cauſam adventus ſui, & conſilium provinciarum, poſt agnitas, in quas inductæ fuiſſent, fraudes, ad Regem Dominumque ſuum redeuntium, Majeſtatique ejus, ac regio per Belgium Vicario obedientiam ex animo pollicentium. Cui Alexander, quum lætatum ſe eorum adventu, & adventus cauſa, ſtrictim patria oratione reſpondiſſet: eorumque conſilium Regi debitum, ſibi exoptatum, ipſis honorificum laudaſſet; interrogavit, An extra publicum haberent, quæ ſpecialiter referrent. Affirmantes, in intimum contubernium adduxit: ibique remotis arbitris, ſingulos humaniſſime, Caprium in primis, amplexatus, regium ac ſenatum advocavit. eoque præſente Vedaſtinus rurſum dicere aggreſſus eſt. orationis ejus, paulo quidem, quam prior fuerat, prolixioris, ſumma hæc demum fuit. BELLVM, *ſuo quoque nomine iram Dei eſſe, quod ſæpe in eo neceſſitate peccetur. Reliquiſſe Wallones regias partes; inde abſtractos regiorum militum injuriis: delatos longius quam par erat; nempe quo commune provincia-*

1579.
poſt alios. à quibus deducuntur in Alexandri tentorium.
*Conſilium ſtatus*
Abbas S. Vedaſti legationis Princeps
Alexandrum alloquitur,
& ab Alexandro benigne excipitur.
Vedaſtinus legationem exponit.



2… Ministerio de Cultura

1579. *rum naufragium deferebat : deceptos patriæ lu*
*te , cujus vocabulum ſero cognitum ſit in ſpeciem*
*latum ab iis , qui Belgium Religioni ac Regi ex*
*irent , ut vacuum Dominis occuparent. Illos p*
Fœderati *temptam deſertamque Religionem ſtruxiſſe ſibi*
*ad defectionem a Rege : Wallones per eandem*
*retentam , atque armis propugnatam , ad Reg*
*reditum parare. Nec dubitaſſe, quin tam bona*
*prete & conciliatrice, aditum invenirent apud*
*cipem , Religione omnia metientem. Dediſſe*
*longum profecto conſtantiæ documentum , ſ*
*jampridem conſiliis armiſque , ab iis provinciæ*
*ab Religione animos ſeparaſſent. Et quamqu*
*inde tranſgreſſos ilico ad Regem, ſed medios a*
*diu conſtitiſſe, ceu pertæſos utrumque ſtatum,*
*ne Malecontentos ; propiores tamen fuiſſe Reg*
*in propugnanda Religione nunquam abſ*
*Nunc damnata hac quoque mora , quam pr*
*gis clementiam , ejus Celſitudinis humanita*
*rem faceret , dato ad pœnitentiam atque ad*
*regreſſu ; adeſſe ſe Oratores ab Arteſiis , H*
*que, à Duacenſibus , Inſulanis, Orchienſi*
*vicinis populis allegatos , ut Provincias ſua*
*cramento , in eas leges , quas cum regiis T*
*ante firmaverant , ( modo ejus Celſitudo*
*lit ) Principi ſuo volentes libenteſque reſtit*
hæc Alexandrum expectatione parcius
Alexander cur legatis parcius reſponderit. diſſe obſervatum eſt : ſic , opinor , me
ſulturum diſceptationi , quæ de mo
conditionibus inſedebat animo. Nemp
pompa venientibus exhibita quæſitam
gratiam appareret : atque adeo ne ,
modum PERCVPIDVS emptor fa
venditorem facit , ſic ipſe difficiliores
illos,cum quibus tranſigeret; facta ve
peranda duxit. ex quo fieret, ut & illi
ſibi honorem externa ſignificatione à
tate Principis intelligerent : & tectam
ſimonia verborum reconciliationis ab
cupidinem non agnoſcerent. In hæc e
Ejus reſponſio. ba, Legatorum orationi reſponſum tu
*falſum animi fuiſſe in regreſſu eorum : nec*

2009 Ministerio de Cultura

*cepto conſilio ab Regis benignitate fallendos. Quidquid erratum ab illis, deſerto Principe, condonari haud illibenter à Majeſtate ejus, quæ malit Wallonibus olim fidis ignoſcere, quam rebellioni recens immiſtis iraſci. Interim fidei ab Rege pignus acciperent dexteram, quam ipſe porrigeret, quamque in ſcribenba firmandaque ex communi voto reconciliatione, adhibiturum ſe brevi ſperaret.* Egreſſos inde oratores, comitante Principis familia, deduxit in vicinum tentorium Roſſignolius: ubi regiis epulis, quas, extenuato ad ſuperbiam vocabulo, pomeridianam guſtationem appellabant, excepti ſunt; aſſidentibus una cum illis, præter Regios Legatos, Comitibus Mansfeldio, Barlamontio, ac Fauchembergio. Poſt hoſce primos congreſſus officioſæ hilaritati datos, Legati Viſetum reverſi, adjecere animum ſtabiliendæ reconciliationi. Cujus inter conditiones, quoniam ambiguas Alexander ajebat aliquas, alias liberalius admiſſas à conciliatoribus querebatur: atque illam in primis non ferebat, quæ militiam externam à provinciis omnibus amandabat; idcirco ſuper iis expendendis explicandiſque, præter Atrebatenſem Epiſcopum, Sellium, & Walhuonium, veteres legatos, impoſuit Comites Mansfeldium, ac Barlamontium, quorum authoritas, momenti fideique plus adderet eorum dictis. His modo Viſetum ad Wallones, modo Wallonibus in caſtra commeantibus, Majus omnino menſis, ac Iunii ſe pars magna circumegit. Diſceptandi campus menſæ plerunq; erant & convivia, ad quæ illi modo à Sellio, interdum à Barlamontio, ſæpius à Mansfeldio evocabantur: retento hic quoque priſcis à Belgis more deligendi ad conſultationes ea maxime tempora, in quibus convivæ non magis epulas ſecum, quam ſermones læti apertique communicant: & multa invicem remittunt, loci lætitiam ne contriſtent. Et ſane apparebat, ea cōſuetudine, & comitate Regiorum, quotidie magis cohærere animos, & conſentire. Idque præcipue viſum noviſſimo in epulo, quod Gaſpar Robleus Billii Dominus, ſub

1579.

*Merenda* Legati Wallonum epulis excipiuntur;

Diſceptatores ſuper conditionibus reconciliationis:

Diſceptandi locus:

Convivium Billii,

 caſtrenſi

Ministerio de Cultura

1579\. caſtrenſi tecto illis inſtruxit, longe aliis ma-
gnificentius & numero, & delectu conviva-
rum. Non enim modo pleroſque bellici & re-
gii conſilii Proceres, & primarias aliquot ma-
tronarum diſcumbentes habuit; ſed paulo ante
convivii finem, ipſe improviſus affuit Alexan-
der: ac blande queſtus, quod, inſcio ſe, manu
conſererentur à ſuis; primo in ea pugna loco,
uti Ducem decebat, aſſumpto, mirum quan-
tum, inſtaurato repente convivio, exhilara
omnium animos, ac Wallonum in primis faci
reputantium, ſibi hoc dari à Principe, qui gra-
viſſimæ obſidionis curas poſthaberet hoſpit-
honori, ac voluptati. præſertim quum pro co-
vivii appendice, ſaltatione inſtituta, aſpex
Alexandrum choreas agentibus immiſtum,
quidem decore ac venuſtate, ſive gentis mo
penſile corpus modulate vibraret, ſive gra
rius pompamque ſui traducens, attemperat
numeros ſpecie, & (quæ ordinario ejus inc
ſui inerat) majeſtate grandeſceret. ut profe
admirati ſupra omnes Wallonum Legati,
ptique obvia illa comitate Principis, auditi
quum dicerent: Agreſtes ſe plus nimio vi
iri, niſi adeo benigni amabiliſque ingenii
manus darent. Patuitque ſerio dictum: qu
ſequuto poſtridie congreſſu, molliores illos
miſſioreſque ſolito compererint conciliato
Regii. Sed nihil æque apud illos valuit, ac p
ſperi per eos dies in Trajectenſi obſidione
ceſſus aggredientium Hiſpanorum: ſpeſque
caſtris firma, Trajectum propediem caſur
Id videlicet Wallonum animos hærentes ſub
de nutanteſque, ad eam, quæ ſecuta eſt con
tionum moderationem, conſtanter inflexit.
enim obſervatum eſt, Wallones intentis in ob
ſidionis eventum oculis, conſultare ſolitos: ha
dubie nihil ad extremum remiſſuros ex iis, qu
in Atrebatibus ante decreverant, ſi ab Hiſpa
infeliciter, ut initio cœptum erat, pugnaret
apud Trajectum, omiſſaque ſpe obſidio ſol
retur. at ubi animadvertere, brevi urbem
pugna

cui Alexander ipſe affuit:

ejuſque comitate capiuntur Wallonum legati,

proniores inde ad reconciliationem:

Plus tamen momenti habebant apud eos res Hiſpanorum proſperæ ad Trajectum: *Maſtrich.*

Quo illi reſpiciebant:

2009 Ministerio de Cultura

pugnandam, & ipſi expugnati ſunt. Nimirum PROPRIO ex uſu quæque præhabentur: nec fœdera ſocietateſve res alia ſtringit, aut laxat magis, quam utilitas. utque ad novæ felicitatis opinionem continuo, quaſi cæli judicium ſequentes, obvolvimur, ac certatim in partem currimus; ita FACILE deſerimus quos à fortuna deſerendos ſubtimemus. Id nempe jam præſenſerat Alexander, qui poſt Auſtriaci obitum, ſicut ab armis reconciliationem Wallonum aggreſſus, oſtentato per Brabantiam victore exercitu, illos ad conſilia coëundæ ſocietatis attraxit: ſic in præſentia omnem ſibi curam putaverat adhibendam in Trajecti expugnatione, cujus à ruina dubitandum non eſſet, quin velut à magni ædificii caſu, multorum adhærentium ſpes animique frangerentur. Et vero Wallones Alexandri ſive comitate deliniti, ſive fortuna deterriti, pleraque reconciliationis capita ad ejus votum attemperaverant: non tamen adducti ut de Hiſpanorum miſſione quidquam immutarent: quum dicerent, id ſibi jam datum à Rege, ipſoque ab Alexandro, oſtenſis utriuſque litteris, quibus provincias perpetuo liberas ab externis futuras promittebatur. Quod licet Alexander de Wallonum provinciis interpretaretur, quibus Regi reconciliatis ea prærogativa debebatur: non neganda ceteris, ſi exemplum aliquando ſequerentur; interim (ut ille differebat) quæ ratio perſuaderet, exarmandum eſſe Regem Hiſpanorum miſſione, dum rebelles Regi provinciæ novis militum delectibus armarentur? Immo nec ipſis privatim Wallonibus expedire, adverſum communes jam hoſtes auxilio nudari veteranarum legionum, communem denique cauſam propugnantium. Nihil tamen agebatur, affirmantibus, adverſum hæc ſatis jam cautum eſſe, novo exercitu ex Wallonum provinciis conſcribendo: quem, ſi ſe, hoſteſque noſſent, haud dubitarent, bello non ſolum arcendo, ſed etiam inferendo parem fore. ceterum nec poſſe aut à ſe, aut à Rege ſervari

1579.

& conſilia de moderandis conditionibus attemperabant.

Vnam tamen hiſpanorum miſſionem conſtanter volunt.

contra diſſerit Alexander:

*Alexander.*

Sed illi non moventur

ob cauſas tum publicas.



© Ministerio de Cultura

1579. Gandavenſem pacificationem , in quam tam
utrinque conſenſum eſſet , niſi ex omni Belg
uti in ea ſancitum , emitterentur externi. Se
altius ſuberat diſſentiendi cauſa. Plerique No
bilium , in primiſque Hannoniæ , Arteſiæq
Præfecti, & Montinius, & Heſius , & Egmo
tius , conſcii quid adverſus Regem moliti e
ſent, adeoque rati , non fidendum ei, quem la
ſiſſent ; Hiſpanos non jam belli ſocios conſi
rabant , ſed uti Regis ultores pertimeſceba
Rebus igitur in hunc modum aliquandiu a
tatis , Alexandro rem trahente , dum certi
quid præſcriberetur ab Hiſpania; viſum eſt R
gi , concordiam , quam eo loci adductam
gnopere probaret , non intermitti ob exte
militiæ è provinciis omnibus miſſionem :
debatque, ſtarent modo Religio in Deum,
dientia erga Principem, cetera ejus ſe pru
tiæ relinquere. Tunc Alexander evocatis W
lonum legatis , ac præſente regio bellico
ſenatu, Regis nomine in eas jurat, in quas
ſenſerant leges : ſpondentibus ſimul legatis
rum moderationem in proximo provinciar
ſuarum conventu comprobandam. id quod p
ea factum, quum reconciliationis capita, ſu
loco proferam, prodiere. Dum interim Alex
dri juſſu multis è locis, læto grandium tor
torum ſonitu , ſpargeretur reconciliation
ma: quo Antverpienſes , quibus perſuaſera
rangius infectum negotium , ac ludificatos
ſpanos ; ex ea Catholici exercitus gratula
initam jam partium concordiam interpreta
tur. Et ſane haud facile dictu eſt , quantu
reconciliatio , perculſis Ordinum provin
catholicos erexerit. Nec quidquam magis
id tempus , aut ſermonibus hominum , (q
pe intentis jam diu in expectationem Belg
finitimiſque populis ) aut editis libellis,
mo & datis alicubi fabulis , celebratum
Certe Pariſiis in nobili Dramate capta
hinc quoque riſum, Alexandro retulere. N
que bos in ſcenam præpinguis immiſſ

ma

tum privatas.

Alexander expectat ſententiam Regis :

qui miſſionem hiſpanorum admittit.

Et reconciliatio Wallonum ſtabilitur : *Septembri menſe*

non ſine lætitiæ ſignis in Catholicis caſtris : *ſic Alexander ſcribit ad Terranovæ Ducem ultima Iunii*

& cum magna Ordinum conſternatione.

Fabula ſuper hac re Pariſiis data.

2009 Ministerio de Cultura

multis circum deſudantibus. Ducebat eam Philippus Rex tenui laxoque filo, quod ſubinde fractum illico nectebat Parmenſis Princeps. Dorſo inſeſſam, arreptamque cornibus continebant Ordinum Proceres, opemque ad eam ſiſtendam undique implorabant. Dux Alenconius in auxilium evocatus, cauda impetu apprehenſa, belluam retrahebat ab Rege, intentiore tamen cura, quam auxiliares ſolent. Interea inclinati ad ubera hinc Caſimirus Dux, inde Princeps Orangius, grandi uterque ſubjecto vaſe illam certatim emulgebant. ſpectantibus, præter provinciales Belgas, compluribus Gallis, Germanis, Anglis: horumque Regina modo his, modo illis annuente. Quum ecce ad objectum neſcio quid à Parmenſi, excitata repente bos, caudam ex Alenconii manu vi retrahit, inſeſſores excutit ad terram, calce uno abjicit Caſimirum, altero repellit Orangium, atque huic ſæpe redeunti cornua obvertit, mulctram lactis plenam proruit, ſpem omnibus præcidit, ad Regem ſaltu ſe proripit. Sic reſtituta Hiſpano Regi Wallonum natio celebrabatur in Gallia. Sed extra jocum & ſcenam, partes ſuas agebat alibi Angliæ Regina: egeratque Orangius, nec quieſcebant hæretici. Et Angla quidem, quæ paulo ante, inclinante per Belgium Hiſpanorum fortuna, opem ſuam Regis hoſtibus ſubtraxerat: nunc eadem reſurgente non ſatis habuit, edicto vetare, ne quid munitionis, aut rei cibariæ aſportaretur in Wallonum, Hiſpanorumve provincias: neve Anglorum aliquis ad eas militatum iret; ſed Mottæo, uti primo reconciliationis authori implacabiliter infenſa, Gravelingam, illius præfecturæ arcem ac regiam aſtu aggredi conſtituit, aggreſſione Valſingano, ſecretioris ſcrinii Magiſtro imperata. Et is in hunc modum facinus ordinavit. Agebat Londini Paſchaſius quidam Belga, Religionis Catholicæ deſertor, ea gratia Valſingano conciliatus: eratque ei ſoror Gravelingæ, nupta homini eadem hæreſi imbuto, ideo-

1579.

Offenditur ea reconciliatione Reg. Angliæ:

præſertim contra Mottæum.

*Londra.* cujus præfecturam Gravelingam dolo aggreditur in hunc modum.



Ministerio de Cultura

1579. ideoque pronius in conſilium attrahendo. In hoc Lōdinum accito Paſchaſius, ac Valſinga ita convenerant, ut è Fliſſingano portu na aliquot majores minoreſque Gravelingam vant, admotiſque ad oppidum minoribus, ſcenſionem attentent. haud dubie conclama ros ad arma milites Gravelingæ, inter quos ſe oportebit aliquos rei conſcios, eoque p nia ante comparatos: nempe ex Anglis præſidiariis, nationis ac ſectæ vinculo non gre conſociandos. Porro in ea oppidano trepidatione, ac militum accurſu exſcenſio inhibentium, nihil facilius futurum, qua Mottæus, homo promptus ac præceps, eo progreſſus pugnam ciet, deſtinato ino vabilique ſclopi ictu à conſciis impune ſte tur. Tunc vero ab iiſdem, præeunte Paſc affine, acclamatis Ordinum partibus, ſucc ros è navibus Orangianos milites, atque oppidum à conſpiratis exceptos, propugn lis, ac munitione potituros. Rei ita comp dictus dies ab eo duodecimus, atque data ſchaſio non modica auri ſumma affini ſuo corrumpendam militum fidem, ipſo pecun ſpe majore corrupto. Hæc quamquam ar agitata, reſcierat omnia Legatus Hiſpani R Bernardinus Mendoza: obſervatoque, è p diariis Gravelingæ, Anglos identidem ali Londinum clanculum adventare, cum Va gano ſermonem habere, mox Gravelinga præſidiū redire; proditionis haud jam du feſtinato nuncio Alexandrum monet, hic M tæum: à quo exauthorata, emiſſaque An rum centuria, ac nonnullis præterea dubi dei militibus; detecta proditione, hîc qu bos jam jam mactanda, eluſis victimariis, fugit. Atque in hunc tandem modum, tres tempore provincias, & quidem militares, Galliæ objectas, atque adeo Belgii veluti c ſtra, ſubjecit Hiſpaniæ Regi Alexāder, nulla minū aut locorum ſtrage, ſed expugnatis d teritate animis, hoc eſt victoriæ genere inn

Dolus fruſtra fuit. & tres Belgii provinciæ Regi reconciliantur.
*Arteſia, Hannonia, & Gallicæ Flandriæ pars.*

2009 Ministerio de Cultura

pariter, & manſuro. Nempe ut VICTI rarò victores amant, ita REGEM quaſi elegerint, diligunt, qui regi ab eo voluere. Sed nos ultra excurrimus, dum reconciliationem Wallonum ſimul exponere viſum eſt. Nunc enarrationem eo, unde deduximus, referemus.

# DE BELLO BELGICO DECADIS SECVNDÆ LIBER SECVNDVS.

ALEXANDER, poſt revocatum, ab Antverpiæ uſque ſuburbiis, victorem exercitum, VIII Idus Martias in Trajecti conſpectum venit. Percelebris eo die mercatus Trajecti erat: ſparſaque inibi fama, adveniſſe hiſpanum hoſtem, ac loca foris omnia milite jam teneri; non ea modo agreſtium multitudo in urbe ſubſtitit, ſed territi per vicinos pagos coloni gregatim cum uxoribus, liberiſque, pars Leodium, plures Trajectum aufugere. Quin & re audita, Franciſcus Lanua, in Ordinum exercitu ſummus caſtrorum Præfectus, illuc Gallorum trahens manipulum properaverat: ut, quam defendendam in ſe ſuſceperat urbem, Gubernator intraret. ſed fruſtra fuit: quod Alexander de adventu ejus præmonitus, nec ignarus quantum ab hominis ingenio experientiaque, præſidium acceſſurum eſſet urbi, juſſerat Marchionem Montium, cum equitatu vias omnes circa Herentaliam, quo jam Lanua ab Antverpia venerat, obſidere. Trajectum extremæ Brabantiæ urbs, vulgo Maſtricht, à Moſa fluvio, qui illam

> 1579. TRAIECTI obſidio. *8 Mart.*
>
> *Liegi*
>
> Lanua intrare urbem feſtinat:
>
> fruſtra.
>
> *I. Baptiſta à monte.*
>
> Vrbis nomen.

Ministerio de Cultura

1579. Situs. illam interfluit geminatque, atque ibi arcuato decies ponte trajicitur, nomen accepit. Situm, ob eam tranſmittēdi opportunitatem, veteribus memoratum legimus : habitumq; inter exercituum munimenta. Crevit dein loco celebritas à Divi Servatii Trajectenſium Patroni ſanctimonia, miraculis ac prodigiis conteſtata. Ad cujus venerationem inſtitutæ ſtatim ſub ejus obitum longiſſimæ multarum nationum peregrinationes auxere hoſpitiis urbem : inſita, Belgarum maxime populis opinione, affinem illum Chriſti, ejuſque ſupparem temporibus extitiſſe, atque inde tertiam expleviſſe hominum ætatem. ſive ita fuerit, neque enim deſunt, affirmare hoc auſi : ſeu potius ex longiſſima Epiſcopatus ſui præfectura, nam ultra ſeptuaginta annos illam extendit ; prodigialiter annoſum, ac triſeclisenem plane crediderint. Vt hinc ſuſpicari forte quis poſſit, Ludovicum Vndecimum Galliæ Regem ideo ſibi ornandum delegiſſe Servatii templum, ut ab eo inter Divos maxime longævo, longam ipſe vitam, cujus erat producendæ cupientiſſimus, impetraret. Ex his, ac potiſſimum ex opportuno mercatorum nundinarumque commercio, aucta frequenti populo urbs, & mœnibus, foſſa, turribus, adverſus hoſtium vires perquam egregie communita. Sed multo eam operoſius, ubi primum de Alexandri conſilio addubitari cœptum eſt, muniendam properavit Orangius, miſſo illuc ante menſem Sebaſtiano Tapino Lotaringo, viro militiæ impigro, atque in primis audente: quippe qui ſæpe inter obſeſſarum tempeſtates urbium deprehenſus, CREBRA inter pericula, metum exuerat periclitandi. Defenderat hic olim cum Lanua Rupellam : ideoque ab eo Ducum pari parem Trajecto fortunam proviſurus Orangius, Lanuæ Gubernatori ſecuturo, Sebaſtianum præmiſerat, ſubſtitueratque. Sed irrito illius in urbem ingreſſu, juſſus hic eſt vicarius adeſſe Suartzemburgio Heerlenſi, qui tunc pro Lanua deſignato urbem regebat, rerum

*Tac. l. 4 hiſt.*

Amplitudo ejus à ſancto Servatio :

*Anno Dom. 383.*

*an. 300.*

*Sigib. in cron. & Pet. de Nat. in vita, & Iac. Bonfer. in Ruib.*

Incrementa.

Vicarius.

*Rupellæ Allenſi & alibi.*

Gubernator.

2009 Ministerio de Cultura

rerum militarium incallidus, eoque veterani 1579.
militis opera neceſſario uſurus. Incolebant ea tempeſtate Trajectum quatuor & triginta hominum millia. ſupervenerant præſidiarii mille ac ducenti, Galli ferme, Anglique, & Scoti, ſub duce Lanua militare ſoliti, ad quos è civibus adjuncti circiter ſex millia, totidem confluxerant ex agris: retenti omnes à Trajectenſibus quam libenter, quod civitati ab annona in menſes complures haud laboraturæ, multum opis allaturi eſſent inter propugnatores foſſoreſque. Et horum præſertim, atque uxorum, aliarumque feminarum opera Tapinus à principio ſtatim uſus, mœnia turreſque reſarciit, atque humo congeſtitia firmavit: repurgavit foſſam, depreſſitque: moles ante portam continuata foſſa ptæſtruxit; imas ad propugnaculorum latera cryptas occuluit: ſub foſſæ labro mœnibus adverſo furnulos, rudimenta cuniculorum, excavavit, incluſis bellici pulveris vaſculis, quæ ſubterranea dein via prorepēs ignis accenderet, ac foſſæ marginem ſuperne diſrumperet: in ipſa planitie, ora ſeu portulas aperuit contexitque, unde inopinatis eruptionibus armati cives, in medios hoſtes proſilirent: intra urbem nova excitavit receptacula, trāſverſa ſepimenta, ſemilunaria valla, atque alia munitionum genera, quibus homo futuri prudens, adverſus invadentium vim arteſq; in utraque, quæ cis Moſam, quæque trans Moſam eſt, urbe præcavebat. Hiſce curis intentos reperit Trajectenſes Alexander: atque audito, manipulos aliquot hoſtium, incendia pagatim ſpargere, quo regiis copiis hoſpitia præriperent, ac ſolitudinem facerent; miſſo ſtatim Lopeſio Figueora cum ſua legione, ac turma Raitrum, incendiarios inhibuit, repulitque. Tum diſtributo per vicos pagoſque Trajectum circumſtantes, exercitu, quem ſævienti adhuc hiemi expoſitum nequaquam volebat; partem Chriſtophoro Mondragonio attribuit, juſſo Moſam trajicere, atque Wiccam (ſic Trajectum, Coloniam verſus appel-

Numerus habitantium, & militum.

*Giorgio Baſtanel Maſtro di Campo, cap. 4.*

Vicarius urbem egregie munit.

*Terrarapieni*

*Rivellini.*

*Caſematte*

*Contraſcarpa*

*Sortite cieche*

*Ritirate Traverſe Mezzelune*

Alexander poſt ſubmotos ab agris incendiarios,

exercitum circa urbem diſtribuit.



2009 Ministerio de Cultura

1579.

lant) circumſedere: partem, eamque majorem tenuit ipſe in Trajectenſi agro intra Brabantiam, delecto ſibi Peterſemio, Merodiorum caſtro, non longius ab urbe ſeſquimilliari: exhilarata inibi exercitus parte ex loci præda. Nam quum illius arcis præſidiarii obſiſtere primum auſi, non niſi audita ſuſpendii comminatione ceſſiſſent: ac fama eſſet, rem ibi cibariam in annos plures aſſervari; Alexander, quod loci Dominus Regis partes deſeruiſſet, hiſpanis cohortibus ad ſui corporis cuſtodiam illuc ingreſſuris, pagum arcemque permiſit: tanta vini, cerviſiæ, & præſentis uſus alimentorum copia, præter equos, veſtem, ac domeſticam ſupellectilem, reperta, ut fidem excelſerit, ex pago ſane modico prædam ſuffeciſſe, quæ capta à paucis, in aliquot hominum millia partim dono, partim emptione ſpargeretur. Iætis inde quoque militibus, quaſi ex inſperata illa copia, (ut IN SPEM pronæ ſunt hominum mentes) futuræ mox Trajectenſis depopul ationis omen acciperent.

*Ipſe Peterſemii ſubſiſtit: Petreſchen.*

*pagumque in prædam militibus tradit.*

Iam vero, ut diſtractus ultra citraque Moſam exercitus mutuo ſibi auxilio foret, Alexander ratibus in latera commiſſis ac nexis, aſſeribuſque ſuperjectis, ac perpetuo textu ſolidatis, pontes ſtravit duos, alterum ſupra Trajectum, infra alterum: extra ictum tamen utrunque, ſed utrunque tantæ firmitudinis, ut ſuper eis non pedites modo equiteſque, ſed plauſtra etiam, & curulia tormenta deportari tuto poſſent. Quum interim fabris operiſque armati adeſſent milites adverſus Trajectenſes eruptionibus aliquot interturbare opus fruſtra conatos: relicto ob eamdem cauſam, ne intercīderentur pontes, aut incēderentur, ad eorum capita in utraque ripa, præſidio. ſic & copiis ſuis hinc atque inde commeantibus viam aperuit, & externis ad Trajectum auxiliis per Moſam quidem clauſit. Idque ipſum, quod aquis fecerat, ut terra perficeret, qua parte Trajecti Brabantiæ obverſum eſt, caſtella quatuor deſignavit:

*CIRCUMobſidere urbem incipit Alexander.*

*Moſæ ripis ſupra infraque urbem ponte junctis: ad commercium ſuorum:*

*& ad arcendum hoſtibus auxiliū per Moſam. eundem acceſſum hoſtibus arcet per agros,*

*Caſtellis quatuor.*

2009 Ministerio de Cultura

1579.

gnavit : primum verſus Hunnorum montem, qua in urbem tendit rivus Iecora : alterum in tumulo adverſus Tungrenſem portam : tertium contra S. Servatii propugnaculum : ultimum in deſinente urbe ad cœnobium equitum Teutonicorum. Et quamvis foſſores, quos è Lucemburgenſi agro venturos in ſe receperat Comes Mansfeldius, nondum adveniſſent : neque ruſtici, qui ad opus compelli poſſent, in Trajectenſi territorio, niſi quampauciſſimi reperirentur, ob eorum, uti dicebam, Leodium Trajectumque fugam ; tamen haud ultra cunctatus eſt Alexander, quod videret, ni propius admoveretur exercitus, fruſtra aditum in urbem intercludi. Quare animatis militum aliis ſtipendii amplioris ſpe, aliis exemplo ; primus, ſumpto ipſe ligone moliri humum, & comportare humeris faſces : ſimul ſequi Principem aulici, ſequi primores quique præſertim hiſpani duces, ſequi omnis certatim exercitus ( quis enim non poſſet, aut nollet cum Alexandro foſſorem agere ? ) tanta ex æmulatione nationum alacritate, dum glebam alii convehunt, alii ceſpitem aggregant, ſtipites alii ac ſudes figunt firmantque : ut intra biduum caſtella quatuor, plurium centuriarum capacia, foſſa ac vallo præmunita, quadrato ambitu, lateribus in propugnaculi formam projectis, ſuggeſtis tormentariis, loricis vimineis, contra vim ſive ab obſeſſis, ſive ab auxiliaribus ingruentem inſtructa, iis quibus deſignaverant locis, impoſita ſint : curatoribus operum I. Baptiſta Plato, & Propertio Baroccio, militaris architecturæ laude præſtantibus. Atque in haſce munitiones tranſlata exercitus parte, qui vicatim pagatimque in contuberniis agitabat : ſimul caſtellis duobus, in altera Moſæ ad Coloniam ripa, erectis à Mondragonio, inque ea ſtationibus militum inductis, atque adeo obſeſſa utrinque urbe ; viſum eſt novis ad eam aggeribus propius accedere, atque inde conſilium oppugnandi capere. Namque Alexander, ne à Procerum con-

*Margin notes:*

Foſſorum inopiam ipſe ſupplet ;

& ſequuntur exemplum milites.

*batterie.*

*gabbionate.*

In caſtella ſtationarios inducit ;

*quartiere.*

Idem præſtante circum Wiccam Mondragonio.

*corpi di guardia.*

2009 Ministerio de Cultura

1579.

Alexander urbem invadere feſtinat,

conventu, qui pro Belgii pacificatione Coloniam indictus erat, adigeretur ad armorum inducias, quas illi ſuaſuri dicebantur, & ipſe tunc quidem conducibiles Regi non putabat; omiſſa obſidionali mora, feſtinata per aggreſſum expugnatione, antevertere jam ſtatuerat.

Propioribus acceſſibus: *Approcci.*

Itaque primo contra Bruxellenſem portam iter aperiri cœptum eſt obliquum tectumque: juſſo Lopeſio Figueroa, qui cum parte hiſpanæ legionis non procul ab eo loco caſtellum inſederat, foſſoribus adeſſe, ſi illuc erumperent Trajectenſes.

quos noctu diſturbare aſtu conniguntur hoſtes:

Qui ſæpius urbe inter tenebras egreſſi, & quidem bis terve una eademque nocte, prælia magis infeſta quam noxia inferebant, luce ac palam quieſcentes, quaſi diffiderent: & conſilium erat æſtimari impares, nec palam auſuros. id quod ſecuritatem ſimul, ac perniciem Figueroæ non levem attulit.

& die diſturbant,

Namque paulo poſt, & medio plane die, quo tempore INSIDIÆ quo magis in aperto ſunt, eo minus creduntur poſſe fieri, præſertim ab hoſtibus timeri in luce jam deſitis; erumpentes è porta S. Crucis pedites ſexcenti, ſimul è Buſcoducenſi equites ſexaginta,

*Bolduc.*

Tapino ductore:

Sebaſtiano ipſo ductore, tanta pernicitate impetuque intulere ſe in Figueroæ ſtationem, poſitis paulum armis interquieſcentem, ut disjecto corruptoque aggere ad centum quinquaginta paſſus, cæſis Hiſpanorum octo & quadraginta, ſauciis ſupra quinquaginta, quum ipſi ne unum quidem amiſiſſent, urbem repetierint:

*Trincea.* cum aggerum & Hiſpanorum clade:

aucta ex ſucceſſu hinc confidentia, illinc cautione. Nam & Figueroæ legio refectum protinus aggerem, ad urbis uſque foſſam, magno hoſtium contemptu, produxit: & Trajectenſes modo palam in operas, & præſidia: modo cimbis per Moſam in ſtationarios pontium clam invecti, non ſine clade ſemper aliqua receſſere: tunc minime noxii, quum nocere poſſe crediti ſunt.

CONSVLTATVR in caſtris regiis, quæ pars murorum invadenda.

Interea in militari ſenatu conſultabat Alexander, quæ pars oppugnanda urbis videretur. Itumque in ſententiam Franciſci Monteſdochæ

qui,

2009 Ministerio de Cultura

qui, ut Trajectum Gubernator adminiſtraverat, ita quæ locorum valida, quæve infirma, explorata ante alios habebat. Author hic erat, ut propugnaculum ante ædem Teutonicorum equitum, ad Buſcoducenſem portam, machinis peteretur, quippe non ſatis firmum, nec procul ab amne, per quem auxilia tranſmitterentur ab altera ripa; Alexandro, qui jam cum Serbellonio, & Vidone Comite Sangeorgio talium peritis, urbem æſtimaverat, haud diſſentiente: nihil tamen aggreſſuro ante adventum Comitis Barlamontii, tormentorum Magiſtri, cujus apprime ſententiam audire, ac ſequi par erat. Is autem ubi Namurco advenit, tormentis, lignorumque faſcibus, ac reliquis ad oppugnationem neceſſariis Moſa deportatis, illico negavit, captum ante conſilium ſibi quidem poſſe probari. *Tractum illum a Buſcoducenſi porta ad Moſam uſque, depreſſiorem eſſe: ideoque ſi, ut aſſolet, intenderent ſe ſe pluviæ, tardum ac operoſum fore, per loca aquis ſtagnantibus impedita, convehere murales machinas. Accedere, quod latus illud nimium ſub urbis alte dominantis aſpectu ſit, atque adeo ſub ictu. Satius itaque ſibi videri, ſi oppugnatio ad Tungrenſem portam transferretur. Eſſe ibi propugnaculum peracute projectum, poſt illud extare veterem turrim, inde murum in cubiti formam abſcedere: ſperare autem, ex deciſo propugnaculi roſtro, caſuque vel parvo turris, & verſuræ cubiti, tantum ruderum ac ruinarum edi poſſe, quantum complanata foſſa, gradus militi fiat ad invadendum.* Alexander, quamquam id haud ſatis probabat, conceſſit tamen in Barlamontii ſententiam, motus & veterani Ducis experientia, & quod ad ipſum, uti rei tormentariæ præfectum, ſpectaret deſignatæ oppugnationis executio: MULTUM autem in bello referat, ut conſilii actor ſit, qui author fuerit. Accedebat opportunitas viarum, quæ ad eam partem latæ profundæque, aggerum propemodum loco, ſubeuntem militem occultare poſſent. Ergo per haſce vias promoto Tungrenſem ad portam acceſſu, atque inde ad dexteram, Leo-

1579.

Buſcoducenſem portam cenſet Monteſdocha. *Hooſtepoort*

Improbat id Barlamontius:

& Tungrenſem portam præfert.

Decernitur oppugnatio ad Tungrenſem portam *Aprocci*.

Ministerio de Cultura

1579.

*Gabbionate* Illuc contextæ corbes ad libratorum munimenta comportantur:

Leodium verſus circumducto, proxima inſum-pta nox eſt in munienda tormentorum ſede, ob-jectu corbium ſeu ciſtarum. Hæ partim ipſo in aggere, ex viridibus, ac ſequacis lentitiæ ramis virgultiſque, circa palos humi fixos in orbem intortis, decempedali ferme altitudine conte-xebantur, humentique maxime terra conſtipa-bantur: partim jam ante contextæ in aggerem advolvebantur, ibique ad tormenta ex occulto in hoſtem libranda ſtatuebantur. Mox, diſpoſi-tis hujuſmodi loricis, juſſæ ſunt è pagis, ubi earum pars degebat, prodire legiones. quibus, una cum ſtationariis ad aggerum tormentorum-que tutelam à Manſfeldio caſtrorum Præfecto per agmina diſtributis: Alexandro à Peterſ-mio caſtro huc ante digreſſo, tormenta è nav-giis educta ſunt, atque in præmunitas eorum ſedes comportata. Et ne opus obſeſſi diſtrahe-rent: ſimul ne partem, quæ impetenda para-batur, nova munitione firmarent; colubrin quatuor ex edito colle urbem ferientibus, pr-die jam proviſum. Non ideo tamen abſterriti defenſoribus, ne illuc, quo dirigi oppugnatio-nem proſpectabant, operoſius accurrerent: operarum præfecto Manzano, (Moncadam ali qui perperam vocant) hiſpano Centurione, hi-ſpanarum partium deſertore: tanto propterea infenſiore hoſte, quanto QVISQVIS à ſuis transfugit, novis ſemper argumentis peracti ſe-mel ſceleris opus habet, quo ſe conſtanter im-probum perſuadeat. Ad hæc admonito Gonza-ga equitum Magiſtro, qui vias Trajectum fe-rentes inſederat, ut turmas aliquot expeditas haberet adverſus hoſtem, qui auxilio adfuturus obſeſſis ferebatur; nulla jam interjecta mora urbs quati cœpit, tormentis muralibus quadra-ginta ſex: quorum alia in propugnaculum por-tæ, alia in cubiti flexum, alia in turrim, alia in murorum partem inter cubitum portamque dirigebantur. Non ceſſantibus interim & levis armaturæ equitibus, faſces ramalium virgulto-rumque à flumine comportare: & plauſtris

tormenta illic ſtatuuntur.

& alia alibi locantur ad abſterrendos hoſtes:

*Haraus in Ann. belg. & Thuan. l. 58. & alii non Hiſpani* qui non abſterrentur Manzano curante.

Viis ad Trajectum clauſis,

Vrbs quati incipit: *25 Martii.*

ſacco

2009 Ministerio de Cultura

ſaccos lana, ac ſtramento refertos advehere ad oppugnationis locum, ut pedites illis in foſſam urbis ſubinde projectis, una cum mœnium ruinis foſſam exæquarent, excæcarentque. Verum quamvis eo, ac ſequenti die, concuſſa continenter urbs fuerit, exploſis ſexies millies tormentis: ac pars non exigua lateritii muri corruiſſet; tamen quum & edita mœnium hæc ſtrages tanta non eſſet, quanta ſubituris viam ſterneret: & per aditum pluribus in locis apertum, appareret intus terrea munitio, foſſa ac vallo circundata, ægre tormentis interim attentanda; convenere omnes in eam ſententiam, eſſe illam urbis partem longe aliis firmiorem, munitioremque: atque adeo ad Buſcoducenſem portam, uti primo decreverant, dirigendam oppugnationem: non tamen ab incœpta deſiſtendum, quod & famæ intereſſet, & effectum jam aliquid in ea foret, ſperareturque melius, duobus ſimul in locis fatigata, diſtractaque urbe. Nec conſilii pœnituit. Nam dum novam oppugnationem Mansfeldius, cui commiſſa erat, adornat, avertitque illuc hoſtium partem; Alexander primæ inſiſtens, quoniam partem aggeris jam foſſam intrantis, obſeſſi accenſis eruptiſque ſubinde furnulis ſubruebant; juſſit mutata inde foſſione irruptionem alio oſtentari, atque hoſtem illa in parte, acceſſu aggeris, actoque cuniculo, diſtineri. Sed neque ibi foſſio, cuniculuſque proceſſit. quippe hoſtes eodem ſub terram loco, tranſverſo tramite occurrentes, ubi animadvertere ſe Hiſpanis patuiſſe, quaſi detecti cederent, non procul ab ore cuniculi, ligneo obturamento interpoſito, abiere. mox effuſa è doliis ferventi aqua, aliaque urente materia, opplevere cuniculum ab ejus ore ad interjectum uſque lignum: quod Hiſpani dum læti pergentes, ceu victoriæ obicem ſpiculis perfringunt, repentino ardentique fluvio inundati, multi manus, ac pedes ambuſti, eoque ſuſtinendis armis invalidi, omnes ab rei novitate magis quam ab re fugati, cuniculum deſeruere. Alexander

1579.

cum levi clade murorum.

*Terrapieno*

Ideo dirigitur oppugnatio ad Boſcoducenſem portam.

Tungrenſi non omiſſa.

*Trincea*

*Fornelli*

Cuniculo hiſpanorum occurrunt miro cuniculo Trajectenſes:

& hiſpanos aſtu fugant.

Ministerio de Cultura

1579. xander haud paſſurus ea ratione ſuos impun
ludificatos, ſelegit ex Gaſparis Ortizii, & Al
phonſi Peræ centuriis Hiſpanos decem, fiſtulis
armatos, traditque ſingulis eorum paribus ſcu
tum ligneum craſſitudine palmari, minutis fe
neſtellis perterebratum, addito pedamento, cui
ſcutum inſiſteret, militemque de genu ſclope
to utentem late contegeret. Ita munitos jube
ſilentio cuniculum repetere, proſpectiſque ho
ſtibus ſimul ad arma conclamare, ſimul pe
ſcutorum ora pilas explodere. adjunctis ad ſi
gula illorum paria militibus quatuor haſtatis,
qui ea Trajectenſes impreſſione turbatos ſa
cioſque conficerent. Et res voto reſpond
Namque dum hoſtes cuniculum victores obt
nent, in eumque comportatos virides ramos a
cenſuri, eodem inferunt prægrandes folles,
muſico templi organo abſtractos, ut Hiſpano
ſi forte redirent, fumo abigerent; ipſi pro fum
igneis repente globis à regreſſis jam Hiſpa
appetiti, ſtratique, fruſtra aliquibus in ſolid
clypeos haſta inſurgentibus, locum aſtu defe
ſum, aſtu amiſſum, cedere Hiſpanis ad extre
mum coacti ſunt. Quamquam is tum cunic
lus apertis ab hoſte ſuper terram non uno
loco ſpiramentis, uſui nulli fuit. Sed ante ha
major alibi foſſio, & cautius multo cœpta ja
erat à I. Baptiſta Plato, ſubterraneorum oper
perquam callido. Is procul à conſpectu du
rat cuniculi caput, nocte, uti fit, occultand
foſſioni delecta. Ac principio certus interva
ab eo loco ad Tungrenſis portæ molem,
quam ea pernicies deſtinabatur; (quod fac
potuit, ſcalæ altimetræ beneficio) direxit ill
iter, non opera tantummodo magnetis: quipp
lapides, qui intra terram per ea loca ſæpius o
fenduntur, ferri aliquid admiſtum habent, atq
adeo magnetem alio, quam quo verſus er
avertunt; ſed uſus regula ad libellam ac pe
pendiculum extra foveam contra deſtinatu
locum directa, eademque directione in ſcro
bis fundo pariter adnotata. atque ejus, ceu fil
d

*Hiſpani novo Alexandri invento cuniculum repetunt, Piſtole*

*Vide quid ſimile in T. Liv. l. 38.*

*ac ſpreto novo rurſus hoſtium ſtratagemate,*

*hoſtes cuniculo pellunt.*

*Cuniculus alius ad ſubruendum propugnaculum directus.*

*Ejus ſtructura.*

2009 Ministerio de Cultura

ductum, per cæcum illud ſpecus, perpetuo tenentes cunicularii dum porro pergunt, terram, quam præfodiunt, ad foveæ oſtium aſſidue regerentes, ſtructuramque, ſicubi opus fuerit, ſuſtentantes, acceſſere ad marginem foſſæ, qua præmunita moles erat. tunc depreſſa ſcrobe infra foſſæ fundum, ſubter eum commmeantes, libellæ ac magnetis, tamquam pyxidis chartæque nauticæ beneficio, in portu denique, ac ſub deſignato, quod excutiendum erat, propugnaculo conſtitere. Ibi excavatam altius cameram (furnum vocant) fulcriſque ligneis ſubnixam, prælongis capſis ſulphureo confertis pulvere oppleverunt, aliquanto etiam pulveris conſperſo ſolo. ac poſt applicitum loco funem ex goſippio, nitro maceratum, ac pulvere oblitum; cavernæ os quam arctiſſime obturarunt, præcluſo omni ſpiramento. inde ductam humi pulveris lineam canali coopertam alicubi perforato, ne fumus ignem excæcaret, ad caput uſque cuniculi, unde incendi mox debuit, extenderunt. Ergo Alexander, quando in expedito rem eſſe nunciabatur, accerſitis contra Tungrenſis portæ molem centuriis aliquot Hiſpanorum, jubet ad cuniculi fomitem admoveri ignem: qui perpetua illa ſemita ſe ſe raptim evolvens, ac furno inferens, ingenti tonitru eluctatus, roſtrum molis violenter abrupit, evibravitque; non ita magna hominum ſtrage, quod pauci in ea anguli projectura conſtiterant. Tunc vero Antonius Trancoſus, promptus animi Centurio, ejuſque Hiſpani milites ferme octoginta, per aſcenſum, quem ruina utcunque dabat, inter fumum fragoremque inobſervati emicant in molem: capturi illo impetu haud dubie portæ munimentum, ni eos & tranſverſus agger in media mole, præter opinionem repertus, foſſa & præpilatis ſudibus vallatus: & ſtatio ibi hoſtilis, accurrenſque illico Chuentus Centurio retardaſſent. Cum quibus ex aggeris tuto jaculantibus, & novis ex urbe ſubſidiis accedentibus conſerta inique pugna, quoniam plu-

1579.

*feminella.*

Incenditur.

Abrumpit propugnaculi partem: per eam ruinam Hiſpani connituntur. 3 *Aprilis.*

*Rivellino*

cum defenſoribus confligunt,

Ministerio de Cultura

1579. plures ex Hiſpanis cadebant; non ultra conniti
locum tantummodo auxiliaris manipuli acceſſi
non deſerere, ab Alexandro juſſi ſunt. æquata
eo quidem clade, quod letaliter ſaucius uterque
Centurio, Chuentus eodem die, ſequenti Tra
coſus occubuere. in eo tamen non paulo ſupe
rior Hiſpanorum res fuit, qui & foſſa urbis, &
parte molis, quam intraverant, potiti ſunt. Qu
magis extimulati hoſtes, ex averſa molis po
tula, telis atque ignibus armati, in foſſam, u
aggerem Hiſpani excitabant, furioſe erumpe
tes, dubio pauliſper eventu concurrerunt, d
cæſo Petro Mendoza Centurione, gliſceb
illis audacia ex ſucceſſu, hi vero ex ira ami
Ducis ferocius ultum ibant: donec Sancio Be
tramo Centurione, quamvis acceptis toto co
pore vulneribus, redintegrante ſtrenue pugna
Hiſpani multis hoſtium peremptis, non pau
etiam captis, reliquos ab recuperata dem
foſſa repulerunt. Quamquam & ipſi non ſi
præda receſſere aliqua, capto præter alios Al
xandro Cavalca, nobili Farneſiano aulico: qu
omnes, in Moſam ſaxo alligato graves imm
ſere.

*æquata diu pugna.*

*Trajectēn. Hiſpani.*

*demum foſſa potiuntur.*

*Trajectēn.*

Et jam Mansfeldius, quatiendo ad Buſcod
cenſem portam propugnaculo Moſæ proxim
viginti duo tormenta diſpoſuerat. convener
que cum Mondragonio (nam in ſequente
diem pronunciata erat urbis aggreſſio) ut to
menta, quæ ſex ad eum majora tranſmiſer
Alexander; in idem propugnaculum ex alte
fluvii ripa dirigeret: expectato, dum foſſa,
quam auctus imbribus inundaverat Moſa, e
ſiccaretur. Quod ubi, excavata altius pluri
in locis humo, veluti totidem emiſſariis, n
minore profecto militum feſtinatione, qu
machinatorum ingenio peractum eſt; tum v
deſignatis è locis, tormentis ſimul omnib
urbs impeti cœpta eſt: circumſtante ordina
univerſo exercitu, promotis tantummodo le
gionibus in eam partem, quæ pro murorum c
ſu, ſingulis erat diſtributa præſcripta ad in
de

*OPPUGNATIO generalis ordinatur.*

*8 Aprilis.*

2009 Ministerio de Cultura

dendum. Fuit autem diſtributio in hunc modum. In oppugnatione nova, ( hæc erat ad lævam, ante Buſcoducenſem portam, non procul ab amne ) ſtabant aggreſſuræ urbem legio Lopeſii Figueroæ, quæ Inſubrica vetus dicebatur: Legio Franciſci Valdeſii: ſigna decem Comitis Annibalis Altempſii ex Germanis Burgundiſque: ſigna quinque Wallonum quingentorum. octo autem reliqua Comitis Altempſii reſtiterant ſtructo agmine ſuum apud caſtellum, armorumque ſedem. In oppugnatione veteri ad dexteram, Leodium verſus, ante Tungrenſem portam inſtituta, ſignum invadendi expectabant legio Ferdinandi Toletani: quæ quoniam navali olim prælio interfuerat, legio ſacri fœderis appellabatur. ſigna ſex Georgii Fronsbergii: Germani, Comitis Barlamontii: pars Germanorum Caroli Fuggeri: Wallones omnes Comitis Reuſii, quique ei attributi ſunt Germani Comitis Barlamontii. pars autem altera Germanorum Fuggeri ad caſtelli præſidium relicta eſt.

*1579. Diſtributio militum qui invaſuri erant Buſcoducenſem portam.*

*Et eorum qui portam Tungrenſem.*

*ad Echinadas*

Nec minor interea defenſoribus cura, obſervare Hiſpanorum conſilia, & præcavere: diviſiſque inter oppidanos, paganoſque laboribus, partim cum præſidiariis inſidere mœnia, partim operibus inſudare, munitionum diruta reficere, novos receptus addere, ſe magis tutos ubique velle, quam ſecuros uſpiam pati. Nec mulierum impar aut ſedulitas inter operas, aut ferocia inter milites. Quodque egiſſe, aliquot ante hæc annis, Senenſes mulieres Etruſcis in bellis memoriæ conſignatum eſt; dum earum tria circiter millia, ſub tribus primariis matronis, explicatis vexillis, armatæ ligonibus corbibuſque, laborem ſepoſuere ſibi muniendæ urbis; id mulieres Trajectenſes, exemplis audacioribus, præſtitiſſe certum habeo. Nam præter earum longe plurium turbam munitoribus intermiſtam, tres ex eis cohortes ſub ſignis convenere; ac partim demandatam ſibi agendorum cuniculorum provinciam ſtrenue ſub-

*Trajectenſium conatus in defendenda urbe,*

*& mulierum in primis.*

*1553. Natalis Com. l. 6. hiſtor. Thuan. lib. 12.*

*ex litt. Alex. ad Reg. 15. Iunii.*

Ministerio de Cultura

1579. ſubeuntes, ductu ſuo, ex earum inſtitutione,
quas Magiſtras cunicularias appellabant, ſub-
terranea hæc opera militariter factitarunt: pa
tim propugnatoribus adſcriptæ, nullumque
morum genus veritæ, muros adverſus oppu
gnantem hoſtem manu defenderunt. Ipſe ve
Sebaſtianus, nnlla quidem omiſſa urbis par
ubique adeſſe; Buſcoducenſi tamen porta,
plurimum periculi prævideret, in ſe privat
recepta, hic inſtare foſſoribus, munitores
gere, ſtationes diſponere: præſidiarios in p
mis, notos pridem milites animare, ſuam
virtutem, Orangii Principis expectationem,
eam urbem illorum fidei manibuſque credi
rit, revocare in memoriam: *Reſpicerent opp*
*norum conſtantiam ſacramento firmatam.* AUT
*defuturos ſe patria, aut ſibi patriam non ſuperſ*
*ram. Numerarent tot agreſtium operarumque*
*lia, quamcunque ab hoſtibus ruinam ſuis ma*
*cluſura. Mulieres ipſas conſiderarent, armis an*
*que virilibus pugna paratas: magiſque metu*
*vivere ſi vincerentur, quam mori victrices.*
*vallum munimentumque tali animorum conſenſu*
*lidius opponi hoſtium temeritati poſſe? Subirent*
*pagorum expugnatores: non reperturos hic Pe*
*mium vicum. Trajecti foſſas quantum aqua mod*
*hauſerint, ſuo tantum ſanguine repleturos.* Sic
extraque urbem, rebus ad aggreſſionem,
fenſionemque paratis, quum jam in utr
oppugnatione foſſa partim disjectu muror
partim injectu faſcium ſaccorumque comp
retur: quumque eodem tempore ſub Tungr
turre, apud quam obſeſſi conſtruxerant ob
ſioris anguli planiforme propugnaculum,
cenſus ac diruptus opportune cuniculus ſub
xiſſet propugnaculi partem, aggreſſuriſque
itum ſtraviſſet; Alexander, quos ad invade
dum primores deſignaverat, peralacriter co
pellans, *Irent*, ajebat, *ac redderent Princip*
*civitatem. aperirent ſibi Germaniæ clauſtra,*
*nova ſubinde ſociorum auxilia devocarent in*
*gium. Reputarent animo, ea expugnatione non*
*urbi*

Sebaſtiani vigilantia.

Adhortatio ejus ad præſidiarios.

Parato jam aditu aggreſſuris ad utramque portam.

*piattaforma*

Alloquitur Alex. aggreſſores.

© 2009 Ministerio de Cultura

1579.

*urbem, ſed Wallonum adhuc nutantium provincias, Arteſiam, Hannoniam, Gallicanam Flandriam, ſimul expugnari. Immo ſibi perſuaderent, ab illa aggreſſione pendere univerſum Coloniæ de belgica pacificatione conventum. proſpectare illinc ſollicite, velut è ſpecula, ad pugnantium repugnantiumque manus, Legatos Regios, Hollandoſque: ac talem diſceptationi ſuæ fortunam promittere, qualem vis ac virtus fecerit hic concertantium. Conſultari Coloniæ, decerni apud Trajectum: ſubſcripturo haud dubie iis conditionibus hoſte, quas pridem æquitas poſtulaverit, victoria nunc expreſſerit. Denique meminiſſent, ire ſe in urbem non aliis defenſoribus præſidentem, quam reliquiis eorum, quos Burgerhouti munitos ipſi nuper ſub Antverpiæ mœnibus expugnaſſent. in quos, eo quidem, quo victores ſolent, animo invadentes, tanto nunc æquius Deum ſperarent vincentibus juxta cadentibuſque propitium, quanto illum tranſmiſſa modo ab ejus Vicario pœnarum omnium pro noxis commeritarum condonatione, univerſus rite exercitus placaviſſet.* Sub ea dicta, dato ad invadendum ſigno, in utraque ſimul oppugnatione procurſum eſt. Et ad portam quidem Buſcoducenſem exiliere ante alios primi, Petrus Comes Nofrius, & Marcus Antonius Simonetta, par juvenum non conſpicuum magis æmulatione aulica in Alexandri Farneſii contubernio, quam bellica in militum honorariorum manipulo, quem eques Fabius Farneſius ducebat ex Italis plerunque conſtantem, addideratque illum ad Figueroæ legionem Mansfeldius caſtrorum Præfectus. Verum hi, quamvis generoſo mortis contemptu, in mœnia urbis aſcenderint, arcana munitionum obſervaverint; tamen magis admirationi hoſtibus, quam partibus adjumento fuere. Namque alter prima pilarum, inſtar denſæ grandinis, emiſſione, toto corpore perfoſſus: alter, dum regium vexillum attollit, ferreo globo exceptus, ac ſublime cum vexillo evibratus, momento obiere. Quibus, aliiſque, qui hoſce pone ſecuti ſunt, furente undique procella glandium lapidum-

*Conventus indictus erat in Menſem Martium.*

*Greg. XIII.*

Primi aggreſſores ad Buſcoducenſem portam:

*Venturieri*

*Eq. Hieroſol.*

fortes magis quam felices.

Subeunt alii.



Ministerio de Cultura

1579. que proſtratis ; hæſere paulum ad primas to-
mentorum iras recta & oblique ferientium,
Valdeſiani , Lopeſianique legionarii : mox re-
ſumpto , Centurionum adhortationibus , impe-
tu ſubiere ſuperſtantem foſſæ ruinam , ordi-

Conſeritur inter invadentes & defendentes pugna :

bus tamen, minus quam debuit, explicatis. Hi
vero conſertis non uno pugnæ genere ma-
bus , ſimul ſclopis , ſimul haſtis gladiiſque, ſi-
mul ignium , & ſaxorum jactu certaba-

novis ruſticorum armis contra invadentes ,

Quin nova quoque tela ad hanc primum o-
ſidionem attulere agreſtes , plane agreſtia,
que è campis areiſque , prælongas inqu-
perticas, binis terniſque bicubitalibus fuſt-
è ſummo pendentibus ; quibus illi flagellis
proterendas ſpicas , & excutienda ex eis g-
na uſurpari antea ſolitis , tunc aut directis
hoſtium pectora ſubeuntes arcebant , ac re-
pinabant: aut alte ſublatis,impetuque demiſ-
ruſtice ſane , & tanquam in tritura , capita h-

& novis mulierum telis iidem aggreſſores fatigantur ,

meroſque tundebant. Quum interim major a-
huc pernicies , & quidem mulierum manu j-
ctaretur. circuli erant doliares pice bitumi-
que , ac ſulphureo pulvere permadidi : quib-
incenſis, atque in confertos hoſtes , eoque n-
ad irritum projectis , dum milites non ſingu-
modo, ſed ſæpe bini ternive incluſi explicare
ſe inde , & ſequacem comburentemque ma-
riam excutere ab armis laborarent , expoſ-

& male ubique accipiuntur.

propugnantium telis impune ſternebantur. S-
nihil æque Regios fatigabat , atque emine-
Buſcoducenſi porta turricula : quam ex p-
dirutam ſmerillis falconibuſque , ac minori-
hujuſmodi tormentis Sebaſtianus propere c-

nec ideo animis cadunt : Regii

munierat : ex eaque pilis continenter emiſ-
aggredientium latera fodiebat. Nec tamen
tium ardor animorum , cadentibus circa ſoc-
reprimebatur ; ſed gradu conſtantes , ipſaq-
ſuorum ſtrue cadaverum pro vallo & lorica
tentes, in hoſtem collineabant, vulnera mort-
que & ipſi late ſpargebant , ſtragemque ſtra-

præſertim Fabius & ſocii :

ulciſcebantur. Quos inter Fabius Farneſius, du-
qua vis hoſtium major ingruebat irrumpens,
med-

©2009 Ministerio de Cultura

1579.

media glandium tempeſtate intrepidus vadit, juxtaque illum Conradus Marchio Malaſpina, Petrus Zuniga Ioannis Auſtriaci olim ephebus, atque Auguſtinus Schiaffinatus, eodem animi impetu, facta per cædes via, victores ultra tendunt, excuſſo in eos pilarum lapidumque nimbo, Malaſpina quidem illico, duo reliqui paulo poſt expirarunt. Fabius majoris tubi glande ictus in capite, nec ideo omiſſa pugna, quin hoſtem minaci cruentoque vultu petens, demum ſiniſtro talo, ſmerilli pila fracto, prolapſus eſt. Quo accurrentes hinc Carolus Caravantes, & Franciſcus Aguillarius Alvaradus, hiſpani Centuriones, cum Ioanne Quingnionio, ſignifero Valdeſiano: inde Carolus Bencius & Antonius Mentovatus, aulici Farneſiani: ſimulque Flaminius Delphinus, Ludovicus Vicecomes, Vincentius Macchiavellus, & Franciſcus Arrighettus, honorarii bellatores, dum inſtaurato inibi prælio hoſtem modo ſubmovent, modo ſuperante multitudine ſubmoventur; omnes (præter Alvaradum, Vicecomitem, ac Delphinum graviter ſaucios) partim igne, partim ferro, non tamen inulti conciderunt. Quos inter ſuperſtites, nullus quam Delphinus, morti aut captivitati propior fuit; ſed hoſtium globo teliſque cinctus, jam jamque captus, vi ſibi via patefacta, intendentium manus fortiter eluſit: ad magna videlicet in Hungaria ac Tranſilvania ſervatus; in quæ loca Pontificium exercitum ter ab Italia profectum ipſe generalis Vicarius, poſt Camilli Capiſucchi mortem eodem munere perfuncti, ſtrenue adminiſtravit. Et jam tot fortiſſimorum jactura militum, langueſcere palam cœperant aggredientium animi: nequidquam Alexandro, qui in conſpectu ſuorum ex hac parte oppugnantium ſtabat, alios alioſque ſubmittente, qui conglobatos admonerent, ut expanſa acie, ac dilatatis ordinibus, ſubeundi aditum invicem ne præcluderent, ſed hoſtium telis, ut innoxia tranſvolarent, aperirent.

qui tamen aut cæduntur, aut ſauciantur:

*Venturier.*

Omnes denique impliciti langueſcunt:

Alexandro fruſtra eos explicare conante.



2009 Ministerio de Cultura

1579.

Nec major interea ſubeuntium ordo, atque adeo nec minor multo eorundem clades erat in altera ad Tungrenſem portam oppugnatione. In qua Germani, Walloneſque, ad dexteram diſpoſiti (ubi cuniculo excuſſam planiformis propugnaculi partem memoravimus) facilem rati per eam ruinam in muros aſcenſum, atque æmulatione accenſi, non expectata, cum qua impreſſionem facerent, ſiniſtra Toletani legione, propere confidenterque cucurrerunt. Sed locum Manzanus Centurio, qui illic curabat, opportune reparaverat, objectis denſatiſque in fronte majoribus ſclopetariis, donec à tergo admoveret propius tormenta aliquot referta clavis cateniſque, in quæ promptiſſimis Wallonum, ac Germanorum incurrentibus, ac pleriſque momento diſcerptis, reliqui nutantes jam pedem relaturi videbantur: feciſſentque, atque Hiſpanam legionem ſubire jam paratam interturbaſſent, ni plane in tempore nuncius præcipiti equo illuc advolaſſet, contenta voce, *Victoriam, Sanctum Iacobum: captam jam Buſcoducenſem portam, urbem jam penetratam ab Inſubrica legione*, proclamans. Immiſerat illum Mansfeldius, eo aſtu vires animoſque aggreſſoribus additurus. Vtque figmento fidem faceret, alterum mox, tertiumque eadem ingeminantes adjecit. Quin eodem quoque tempore ad Buſcoducenſes oppugnatores equitem impulit, qui feſta exultantique acclamatione nunciavit, *Wallones Reuſtanos in Tungrenſem portam intuliſſe jam ſigna*. Et credita quidem principio res haud parum utrobique valuit. Namque alii virtutem ſociorum proprium dedecus interpretati: (ut ferme ÆGRIVS miles ſuſtinet, ſe ſuis poſthaberi, quam ab hoſte vinci) alii in prædam magis, quam in decus intenti: omnes, auctis certatim viribus, omiſſam alicubi pugnam reſtituebant. Germani certe, atque Wallones, qui in Tungrenſi oppugnatione modo fluctuaverant, novo impetu perciti, interque eos Hiſpana cohors, ductore Petro Lopeſio Vrquizo, (nam

Oppugnant Regii Tungrenſem portam, *Piattaforma*

infeliciter à Manzano accepti,

*Moſchettieri*

*Toletani leg.* fluctuant:

ſed aſtu Mansfeldii retinentur hic,

& ad Buſcoducenſem portam.

Ergo reſtituunt omiſſam pugnam,

2009 Ministerio de Cultura

1579.

(nam Germanis permiſti tunc erant Hiſpani) aperta ſibi, quocunque arma obvertiſſent, via, magnam utique trepidationem hoſtibus intulere. Procedebatque in Buſcoducenſi quoque porta Mansfeldii fraus: atque ad alienæ opinionem victoriæ vincebatur. Sed brevi detectum utrobique militare commentum & defenſoribus animum reddidit, auxitque, velut in hoſtes poſt conſumptas incaſſum vires dolo graſſantes: & oppugnatoribus in perniciem denique tanto majorem vertit, quanto ardentius inconſultiuſque provecti, atque hoſtium munimentis admoti, ut erant conglobati confertique, ictibus nuſquam fallentibus feriebantur. Comite Sangeorgio hic inter primos interempto, juvene ſane præfervido, gloriæque perquam avido; qui paucis ante diebus ab Italia huc appulſus, multam à principibus viris commendationem, magnam annorum complurium induſtriam mathematicis impenſam ad hoc bellum attulerat. nempe nimis largum pro via tam brevi conficienda viaticum. Acceſſit & illud incommodi, quod cæptus ante cuniculus, erupturus, uti deſtinaverant, turrim inter, & Tungrenſem portam, occurrentibus depreſſiore in tranſverſum via oppidanis; ante tempus locumque, in quem dirigebatur, effractus eſt: nulla hoſtium, at non levi Regiorum noxa, Didaco Ortizio hiſpano Centurione, qui cuniculum inſpecturus intraverat, amiſſo. Quo de homine ferunt, excuſſa cum terra ſublime elatum, ut erat pondere armorum gravis, nec altius multo in aëra expulſus, ad locum unde ejectus fuerat, aliquanto citius, quam terrea moles, rediiſſe; victurum ut creditur, (nam vixere nonnulli) niſi mox relabentis terræ cumulus illum contexiſſet, ac ſuffocaſſet. certe corpus ejus quum poſt annos circiter quadraginta quinque, ſuffoſſa altius humo, ad novam Tungrenſis portæ munitionem extruendam, inter rudera inventum eſt, galea & lorica indutum, pendente è collo aurea torque, cum ligone & pala ad pedes, cetera inte-

& tantum non vincunt:

ſed poſtremo repelluntur,

cum Sangeorgii, & multorum cæde,

aucta à cuniculo ante tempus effracto.

*Sclopetariorum peditum Centurio*

Mirum de hoc cuniculo.

*Claudio Lanoio Mottriæ Domino, Gubernatore Trajecti*



2009 Ministerio de Cultura

1579. grum & agnoſcendum; potius manu, circumjecta molliter terra compoſitum, quam ruina oppreſſum fractumque videbatur. Ergo recrudeſcente prælio, fœda, ſi unquam alias, commorientium facies erat: dum muralium vi globorum alii poplitibus, humeris alii brachiiſve, alii capite minuebantur: iiſque interdum membris uni abſciſſis, impetuque delatis ſauciabantur alii, & ſuorum ipſi manibus cædebantur. alii pulſis è tormento catenis diſcerpti ſectique, dimidiato corpore pugnabant, ſibi ſuperſtites, ac peremptæ partis ultores. complures igneis miſſilibus impliciti dum peſtem excuſſuri ſecum pugnant, deſtinata eminus glande icti, aut ruſticano cominus fuſte fracti ſternebantur. Iamque ſuper ruinas murorum aggerebantur corporum ruinæ: foſſæque, pluſquam minatus fuerat Lotaringus, communi aggredientium, ac repugnantium ſanguine complebantur. At Alexander ubi referri è pugna gentilem ſuum Fabium jam ſeminecem, & ſanguine perpluentem vidit: audivitque ſimul à nuncio, quem Figueroa feſtinanter immiſerat ex vicina Buſcoducenſi oppugnatione, cædem ſuorum ibi percrebreſcere, implexis perturbatiſque militibus, atque adeo ad accipienda magis vulnera, quam ad inferenda diſpoſitis: cecidiſſe Comitem Sangeorgium, poſt diu ſuſtentatam egregie pugnam: cecidiſſe Didacum Hurtadum Mendozam, Petrum Pacecum, Alfonſum Caſtilium, fortiſſimos Centuriones: caſuros haud dubie reliquos, ni ſigno dato mature retrahantur: ita Figueroam, ita Valdeſium cenſere, ſatis expertos, virtutem fruſtra inſumi, & ſuorum conſtantiam, hoſtium lucrum eſſe; enimvero dolore iraque furens, *Redi actutum*, inquit, *ac Tribunis meo edic nomine, militem ab aggreſſione ne revocent. ego mox adero: &, aut Imperator mutato aggrediendi ordine fortunam pugnæ mutabo: aut miles commilitonibus meis, meo ſanguine melius quam imperio motis, in urbem praibo.* ſimul juſſo armigero ſequi cum haſta, prærapidus

Strages regiorum.

*Sebaſt. Tapinus*

Duces conſulunt Alexandrum de receſſu,

qui negat,

*Alex.*

& oppugnantibus ſe miſcere ſtatuit.

2009 Ministerio de Cultura

1579.

*Gaſp. Roblæus & Petr. Taſſius.*

dus ipſe jam ibat. quum Billius, Taſſiuſque, qui Alexandro adſtabant, accurrenteſque exinde alii, attinuere hominem, teſtati, *facere illum contra cauſam Regis, cujus laborantem exercitum deberet conſilio ſuſtentare, non autem ſuperaddito periculo ſuo perditum ire. Meminiſſet partium, quas ageret: nec tam rationem virtutis ſuæ, quam ſecuritatis omnium haberet.*

Sed denunciatione regia detinetur à ſuis:

Quorum vocibus non ſatis acquieſcentem, ſuperveniens Serbellonius, pro ea, quam obtinebat apud illum, patris authoritate, compulit, ut receptui ſignum daret. Neque ea tum re contentum Serbellonium, quoniam ſæpius Alexander hujuſmodi ſe ſe periculis objectaret, Regi hoc ipſum Principis ingenium ſignificaſſe, vidi ego in Regis ad Alexandrum epiſtola, cujus in calce hæc regiæ manus appendix erat.

*4 Jun.*

Et ab ipſo Rege poſtea commonetur in hunc modum.

*Omittere non poſſum, quin te etiam atque etiam commonefaciam, ut in poſterum tu tibi ſis aliquanto carior: neu vitam ipſe tuam, ut iſtinc mihi perſcribitur, in ardua quæque ac periculoſa conjicias: quando ſat multa jam addicti nobis animi, ac fortis impavidique militis documenta protuliſti. ſed eam tui curam habeas, quam par eſt habere eum, qui iſtius exercitus dux & caput ſit. qui ſane non ſine maximo deficeret omnium damno, ac meo in primis tanto doloris ſenſu, quantus in te meus eſt amor.*

Revocantur ab oppugnatione milites: plerique ſaucii.

At retrahi milites ab aggreſſione non ita ordinate potuere, quin multi, ut in receſſu ſolet, hoſtium telis paterent, præſertim qui ſaucios è pugna ſocios extrahebant. Quorum profecto laceri ac perterebrati artus, interciſa plagis ora, pendentia exta, trunca & diviſa ſemihominum corpora, commiſerationi ſpectantibus abunde erant.

Alex. in ægros caritas:

Certe Alexander, cujus in ægrotos milites præcipua ſemper caritas fuit, non omiſit, quamvis animo ipſe ſuper omnes æger, obviam illis procedere, vulnera inſpicere, ad ſpem vitæ attollere, ac tabernaculo, quod perample tendi juſſerat, exceptos omni medicamentorum ope, ac medicorum miniſterio ſublevare.

& dolor ex Fabii morte,

Sed major illum angebat Fabii ſollicitudo: quem, ſuperante jam curationem



2009 Ministerio de Cultura

1579. malo, christianis armis ſuprema in luctatione communitum, poſtridie mors oppreſſit, elatum magno exercitus luctu, ac dolore in primis haud modico Alexandri, non ſolum ob ſanguinis nexum; ſiquidem Fabii pater Bertoldus, Farneſii oppidi, aliorumque in Vulſinienſibus locorum Dynaſta, Alexandri ſobrinus erat; ſed etiam ob præcellentes animi corporiſque dotes, quarum cauſa ad intima quæque ſemper adhibitum, poſtremo deſignaverat ad Henricum Luſitaniæ Regem: cujus citatoriis litteris per Dominicum Laytonem Chriſti equitem, Luſitani Regis in Gallia procuratorem allatis, Alexander legitime evocabatur inſtituendæ actioni ad Luſitaniæ Regnum, pro Ranucio filio Maria Luſitana genito; ad quam, uti Duartis Luſitani Principis filiam, Regnum pertinere videbatur. Itaque eo maxime tempore viri jactura perculſum ſe, ſcribit ad Ferrantem Parmæ Antiſtitem Fabii fratrem, Vlyſſipone ob eamdem cauſam tunc agentem: communicato cum illo dolore ſimul, & doloris allevamento, ex commemoratione virtutum ejus, quæ cum corpore non efferuntur.

*ob ſanguinis nexum, & virtutes.*

*Henr. Card.*

*15 April.*

Atque hic exitus fuit aggreſſionis, ut magna obſeſſorum virtute rejectæ, ita non ſine culpa Regiorum aliqua peractæ. Etenim ad Buſcoducenſem portam, (ubi jactura major) non ubique exæquata ante aggreſſionem foſſa: & turris, quæ ad aggredientium latus erat, non exarmata, uti debuit, prius quam vicinum propugnaculum invaderetur, ſane caſtrorum Præfectum, ac rei tormentariæ Magiſtrum, ad quos eæ ſpectabant curæ, arguebant. Inde factum, ut Figueroæ legio ad dexteram invaſura, qua parte ruina non ſatis aſcenſum dabat, dum terra faſcibuſque complanare foſſam aggreditur; à Burgundis, qui pone ſequebantur impulſa, in lævam flexerit, ſeque Valdeſianis æquiore foſſa ſcandentibus immiſcuerit: eodemque converſi quoque Burgundi, impliciti cohærenteſque, ſimul à fronte, ſimul à latere, unde turris aſſidue fulminabat, nuſquam irritis emiſſionibus

*Quid peccatum ſit in hac oppugnatione à Regiis.*

*Manſfeldius, ac Barlamontius*

pete-

2009 Ministerio de Cultura

peterentur. Quam ſuorum cladem ad Regis Legatos, Proregeſque, ac Regios ubique locorum adminiſtros præſcribens, uti conſueverat, Alexander, affirmat, In ſuprema hujus diei aggreſſione ex Hiſpanis quidem non gregariis, ſed bellico aliquo munere præcipuis, centum quinquaginta cæſos, ſaucios fere ducentos: ex aliis vero nationibus, habita eorum ratione, qui aut Centuriones, aut ſigniferi, aut inſtructores, aut decani, aut honorarii milites eſſent, paulo ſupra centum deſideratos, ac ducentos viginti vitæ dubios relatos in caſtra. hoſtium vero opinari ſe aliquanto pauciorem numerum, ſed cladem non minorem, ubi obſeſſos clauſoſque conſideret, QVOS vincit quiſquis imminuit, non ſuffecturos iiſdem laboribus periculiſque inter paucos crebrius redeuntibus. præſertim quum & quoſdam eorum primarios cecidiſſe compertum haberet. Regi autem enarrans ſigillatim omnia, juſſis Tribunis edere nomina præcipuorum Hiſpanorum, quos ea in obſidione cæſos sauciоſque in legionibus quiſque ſuis enumeraſſet, cenſum illorum, litteris inſertum mittit ad Regem in Hiſpaniam, aitque, *A primo Trajecti obſeſſi die, ad nonum Aprilis, inito per legiones numero, deſiderari Hiſpanos quadringentos, pleroſque extra ordinem & præcipuos: manere in caſtrenſi valetudinario ſaucios ferme totidem: aſportatos Leodium ob eandem cauſam centum ac triginta: in contuberniis curari ſuis impenſis circiter ducentos.* Tum prima primariorum nomina, adjecto ut dicebam, indice connumerat, nullo ex aliis nationibus, in hiſce quidem litteris nominato, præter Scipionem Campium à bellicis machinamentis, qui Leodii æger occubuit. Sic Regem edocebat Alexander, ut non ſine ſuorum, qui fortiter interierant, perhonorifica commemoratione, ita nec ſine aliqua interim querela adverſus nonnullos exercitus duces, quorum tamen nominatim appellavit neminem. appellavit autem prolixa ad Octavium patrem epiſtola: quantumque ab uno-

1579.

14 *April.* Eorum numerus cæſorum, ſauciorumque in hoc aggreſſionis die

*Sergenti, Caporali, Venturieri.*

& Trajectenſium.

Peculiaris ſuorum index à principio obſidionis, miſſus ad Regem ab Alexandro: *Quartieri.*

*Ingegniere maggiore* non ſine commendatione fortium, & querela adverſus aliquos,

15 *April.*



2009 Ministerio de Cultura

1579. sed diſſimulata.

quoque peccatum eſſet, illis ut apparet iratus, explicate diſſeruit. ſed diſſimulavit importunam eo tempore indignationem: quum & ipſi culpam à ſe alius in alium minacibus verbis transferentes, conciliandi potius pacandique viderentur: & exercitum univerſum accepta clade exanimatum, animo nempe Ducis ſuſtentari oporteret.

Alexan. doctior periculo ſuo factus,

Igitur Alexander, qui res duas ex hac obſidione didiciſſe affirmabat, Vt crebrius uteretur in poſterum foſſore, quam milite, & nihil non inſpecto antea æſtimatoque oculis ipſe ſuis loco adparatuque, aggrederetur; coacto ſæpius bellico ſenatu, admiſſiſque præter ordinem veteranis aliquot Centurionibus, quibus ille multum dabat; decernit omnium fere ſuffragiis, Trajecto nequaquam abſiſtendum (namque hoc non nemo ſuadebat) ſed urbem mutato obſidendi genere, ſuffoſſionibus atque operibus, quam aggreſſionibus commiſſionibuſque ſecurius, ac certius expugnandam. Inde privatim accitis Serbellonio, ac Barlamontio: huic operas augendi, illi urbem circumvallandi negotium imponit. Et operæ quidem partim immiſſis equitibus in vicinos pagos vi adductæ ſunt: partim à Leodio advenere: præſertim cuniculari, quos eruendis per Leodienſem agrum carbonibus aſſuetos, eoq; ad ſubterranea opera unice factos, Alexander ex amica urbe non pauciores tribus millibus impetravit. Qua occaſione, inter foſſores Leodienſes, admiſcuiſſe ſe Trajectenſem cunicularium, eo conſilio, ut obſervatis obſidentium cuniculis, ad Trajectenſes referret; admonuit Alexandrum Maximilianus Vauxii Dominus, qui ad Colonienſem conventum, Ducis Terranovæ comes advenerat: addiditque, certiorem ſe factum, hoſtes liberando Trajecto, Venlonæ propediem conventuros: conſilium eſſe, adoriri caſtra, quum relucentem è tribus caſtrorum partibus ignem proſpexerint. ad ignem vero per contubernia ſpargendum obtuliſſe operam ſuam Hiſpanos tres ex

& bellici ſenatus conſulto,

circumvallare urbem ſtatuit:

operis Leodio accitis.

Dolus inter operas repertus,

*Qui poſtea fuit primus Bucquoi Comes*

& conſilium Fœderatorum detectum.

Alphonſi

2009 Ministerio de Cultura

Alphonſi Caſtilii centuria. Quæ tamen aut ex vano delata, aut Farneſii vigilantia oppreſſa ſunt. At conſimilem dolum, aliquot poſt hæc annis, Poloni adverſus caſtra ſua compoſitum, longe aliter eluſerunt. Nam quum Othomannus Imperator antequam armis decerneret, quaſi belli dubius, nobiles aliquot Valaços, ſalutatum miſiſſet polonici exercitus Ductorem; eis injunxerat, ut dum officia illa protraherent, ac de concordia ſermonem insererent, occaſionem nacti, injecto ſparſim igne, caſtra inflammarent. ad flammæ ſignum cum parte exercitus affuturum ſe, hoſtibuſque per ea turbamenta facile oppreſſis, principium ſimul ac finem bello impoſiturum. Sed fraude patefacta, deque ſalutatoribus ſupplicio clam ſumpto; noctu ad ineſcandos hoſtes, multis in locis circum caſtra excitatur ignis, cujus ad aſpectum, quaſi ſuccedente jam dolo, advolantes gregatim incompoſiteque Othomannicos excepere Poloni in eorum adventum intenti, editaque ingenti ſtrage, ignem multo hoſtium ſanguine reſtinxere. Atque à ſalutatione in hunc modum reddita cœptum eſt illud campeſtre bellum, quod licet trecentis Turcarum millibus, centumque millibus Tartarorum, præſens ipſe gereret Othomannus Imperator; fractus tamen fatali Polonorum virtute, quam Wladiſlaus, martialis ingenii Princeps, præſentia operaque acuebat, pacem ad extremum petere coactus eſt. Porro, quæ de Fœderatorum conſiliis nunciabantur, intenderunt, uti dicebam, Alexandro curam, & ad maturandam Trajecti obſidionem impulerunt. Eam, circumvectus ipſe urbem cum Serbellonio, ac loca poſituſque contemplatus, in caſtella undecim cis Moſam, trans vero in quinque diſtribuit: deducto ab hiſce in utraque ripa caſtellis aggere, qui unum alteri perpetua ſepe committeret. quo factum, ut urbe continuatis veluti mœnibus uſquequaque concluſa, non modo ſpem ipſe nullam Trajectenſibus relinqueret externæ opis accipiendæ;

[Margin notes: 1579. — 1625. — Similis Turcarum fraus in Polonorum caſtris, — patefacta, — & in perniciem authorum verſa. — *Nunc Polon. Rex.* — Circumvallatio Trajectenſis. — *Alex.*]



©2009 Ministerio de Cultura

1579. dæ; ſed, ſi obviam ire adventanti in auxilium hoſti decerneret, exercitum prope univerſum educere ſecum poſſet, relictis in obſidione tribus, aut ſummum quatuor militum millibus, ea munitione ſecuris adverſus Trajectenſium eruptiones. Hujus autem circumvallatæ urbis delineationem, quo quidem opere nullum antea viſum in Belgio ex caſtrenſi diſciplina perfectius affirmabant omnes, miſit expetenti Regi Serbellonius. Et ſane in tempore abſolutum eſt opus. Namque hoſtium copiæ liberando Trajecto, uti Vauxius admonuerat, adventabant. Collegerat illas denique Orangius, poſt exactam magno labore, ſingulas per urbes pagoſque, pecuniam: confeceratque cum iis, quos è præſidiis veteranos abſtraxerat, tria equitum millia, ac peditum ſigna ferme centum: præfectis Ioanne Naſſavio fratre, & Philippo Comite Holachio ſororis viro. Sed prægreſſus cum paucis equitibus Holachius ſpeculatum Parmenſis caſtra, enimvero aggerum nexum admiratus, & Farneſianam urbem; collegæ refert, aditum ad ſocios patere nullum, Trajectum Trajecto obſeſſum teneri: neque irruptionem in hujuſmodi caſtra, cum eo quidem, quos traherent militum numero, tentandam. Id quum & Orangio probaretur, revocato in præſens exercitu, vertit ille ſe alio, ac fratrem feſtinare Coloniam jubet, agereque cum Ordinum delegatis, Ceſſationem armorum toties expetitam, toties dilatam ita nunc urgeant, nihil ut illa non impetrata, confecturos ſe palam conteſtentur: ſperans ea ſe ratione, urbem, quam liberare illatis armis nequiverat, depoſitis liberaturum. At rei gnarus Alexander, paratuſque non minus conſilia ordinare quam acies, illico admonitis regio, qui Coloniæ agebat, Legato, atque Hiſpano apud Cæſarem Oratore, certiſque capitibus ſignificatis, ob quæ deponi tunc quidem arma minime in rem foret, Orangii conſilium hic quoque fruſtrari conatus eſt.

ad Regem miſſa.

Fœderatorum copiæ,

*Philipp. Hogellous*

deſperato exitu liberandæ obſidionis,

revocantur ab Orangio:

qui ceſſationem armorum petit à conventu Colonienſi.

*Terranovæ Dux Io. Borgia.*

Verum

2009 Ministerio de Cultura

Verum quid Colonienſe colloquium fuerit, quidve in eo ad Belgii pacificationem actitatum;ego in præſentia (nam prudens huc diſtuli) ex arcanis Philippi Regis mandatis introſpectis planum faciam, tranſlata pauliſper narratione ab armorum ſtrepitu apud Trajectum, ad pacatiorem quidem, ſed non acrem minus pugnacemque ſenatorio in campo congreſſum conflictumque ſententiarum. non omiſſo interim Alexandro, caſtrorum munitionibus ſimul inſudante, ſimul inter Colonienſes Proceres litteris conſiliiſque ſatagente. Et vero haud ſcio, an ullum aliquando negotium ſpeciem præ ſe tulerit felicioris eventus, quam Belgica hæc pacificatio. Namque Ordines ex una parte à Catholicæ Religionis obſervantia, in qua haud dubie vertendus erat cardo rei, adeo ſe non alienos oſtenderant, ut non ſolum ſuperiore anno, compoſitis ad Rodulphum Cæſarem litteris, affirmaverint, promiſerintque: *Quod nunquam fuerint, nec ſint, nec futuri ſint in alia ſententia, quam ut in Belgio Catholica Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Religio colatur, & ſua Regi conſtet authoritas*; ſed idem poſtea promiſſum Regi, Cæſarique confirmaverint. Et cauſa in præſens erat, cur à propoſito, vel ſi maxime vellent, minime reſilirent. Quippe cernentes, exercitu, quem impenſe paraverant, imminuto, regium & numero & fama, novo ſub imperatore, augeſcere; non ab re (ut ſe dabant principia) verebantur, ne Parmenſis Princeps alia quotidie loca aut armis ſubjiceret, aut agendi dexteritate ſibi adjungeret, ut mirum non eſſet, ſi ad conditiones pacis perquam ſollicite addixerint animum, habituri præſertim Rodulphum Cæſarem pacificatorem, æquum illum quidem mediumque, ſed Matthiæ Ordinibus innexi fratrem. Ex altera parte reputabat apud ſe Philippus Rex, provincias exutæ obedientiæ reſtituere armorum vi, anceps aut tardum fore. Quippe urbes illic eſſe opulentas, ac validas: populos & ſuopte ingenio, & longo belli uſu militares: nec

[Margin notes: 1579. DE CONVENTV Coloniæ inſtituto ad pacificationem Belgii: quæ proceſſura feliciter viſa eſt, tum ex parte Ordinum, *8 Januar. 1578.* *Ric. Din. lib. 5.* tum ex parte Regis.]



2009 Ministerio de Cultura

1579. deſituros finitimos Principes per eam occaſionem perflare illud exæſtuans diſcordiis mare: in quo Hiſpanorum potentia proſpere velificantium ſi minus haurienda, certe laceranda, atque à curſu retinenda colluctaretur. Itaque ad mitiora converſus, quas vivo adhuc Ioanne Auſtriaco inierat concordiæ vias, eas nunc, Alexandro Farneſio ſucceſſore, reſumendas putavit, eodem Rodulpho Cæſare controverſiæ arbitro: nec alio pro ſe Coloniam delegato, quam quem prius nominaverat, Carolo ab Aragonia Caſtriveterani Principe, ac Terranovæ Duce, prudentiæ integritatiſque ſingularis. quas ille potiſſimum virtutes in adminiſtrando novem annis Siciliæ Regno, Philippo Regi apprime probaverat. Huic, ſuper cetera mandata commentario, uti aſſolet, comprehenſa, arcanum addidit libellum, in quo mente ipſe ſua uni illi penitus denudata, jubet eum prima mandata ex hujus præſcripto interpretari. Ejus libelli, cujus exemplum à Terranova ad Alexandrum unice tranſmitti Rex voluit; ego, quoniam clam ceteris fuit, & inde pendent ſane complura, ad quæ ægre penetraretur, ſummam hic aperiam. Nam quemadmodum integræ ſententiæ intellectum non aſſequeris, ſi vox una litterave deſit, quas ex reliquis non facile ſuppleas: ita intimum negotii ſenſum agitati inter viros, qui locum tempuſque captantes toti non prodeunt, vix elicies, niſi ex opertarum patefactione rerum ſubinde juveris. Principio, quod in generali legationis commentario Ducem Rex edocet, hic quoque admonet, Admiſſum à ſe Rodulphum Cæſarem, ex provinciarum voto ac ſuo, controverſiæ arbitrum, atque ſequeſtrem: ita tamen, ut nihil de integritate tum Religionis Catholicæ Romanæ, tum obedientiæ ſibi debitæ detrahatur: nec quidquam de decreto removendi Archiducem Matthiam ex adminiſtratione Belgica immutetur. In hæc tria nihil juris Cæſari relictum, ſicut ejus Oratori verbo ſcriptoque declaraverit,

*Rodulphus Cæſar controverſiæ arbiter. Carolus Terranova Legatus Regis.*

*Hujus duplex inſtructio generalis, & arcana,*

*Arcanæ ſumma: in qua*

*Terranova Dux.*

*de authoritate Cæſaris,*

2009 Ministerio de Cultura

verit, & Dux ipſe ſcriptum inſpexerit, ſecumque exemplar abſtulerit. Tribus hiſce extra diſceptationem firmis ratiſque: quod ſpectat ad pacificationem Gandavenſem, cujus confirmatio poſtulatur à partibus, licet in priore commentario ipſe mandet, ne in quatuor ex illius capitibus Dux aſſentiatur; nimirum in fœdus inter provincias initum, in generalem earum conventum, in edictorum moderationem, & in aliqua ad Orangium pertinentia; in hoc tamen arcano ait, ſi in fœdere non reſcindendo provinciæ immutabiliter inſiſtant, haud gravate annuendum, quum hujuſmodi multorum fœdera per ſe ipſa caſura demum ſint, ubi obedientia uni reſtituatur. convocationem vero provinciarum, quam Ioannes Auſtriacus Gubernator admiſerat, non videri quidem in præſentia, uti tunc fuerat, neceſſariam: quum in Colonienſi conventu à Cæſare, atque à Legatis componi nunc poſſint omnia, quæ ad generales provinciarum cætus referri ſolent. ſi tamen aliter concordia iniri nequeat, hoc quoque diſſimulandum. Iam quod in priore commentario, idem in altero præcipit Duci, ut præcaveat, ne ſermo de edictis adverſus hæreticos mitigandis inferatur, illatuſque curet ut præcidatur: addit tamen in hoc ſecretiore, ſi ea diſceptatio evitari non poſſit, timeaturque ne mitigatione, quam poſtulent, pernegata, cetera diſſolvantur; permittendam, cum ea tamen cautela, qua cum illo privatim verba fecerit. præſertim quum ejuſmodi edicta leges denique civiles ſint, parentium bono attemperandæ: majus autem bonum ſperari reconciliatis per eam moderationem provinciis, quam ſi abjectis Principe & edictis ejus, Religio prorſus omnis peſſum eat. At quod ad Orangium ſpectat, nulla ratione permittendum, diutius in Belgio illum degere: neque provinciis contra nitentibus cedendum: nec ullum veluti pretium pro diſceſſu ultro quidem offerendum; ſed ſi ea gratia poſtularentur aliqua,

1579.

de fœdere inter provincias inito.

de convocatione provinciarum,

de edictis in hæreticos;

de Orangio è provinciis emittendo.

2009 Ministerio de Cultura

1579. aliqua, concedi hæc poſſe. primum oppida, arces, bonaque omnia, quæ Orangii fuerant, reſtituenda, ſed ejus filio, ne qua patri occaſio turbandi præſentia ſua Belgium relinquatur. ad hæc, filium priſtina libertate donandum, inque poſſeſſionem paternorum bonorum protinus inducendum: iis bonis exceptis, quæ ſunt in Burgundiæ Comitatu, quorum loco tantundem alibi rependendum: quamquam hæc ipſa bona ſi ad emolliendum abitum repetantur, haud neganda. præterea præfecturas, ac munia omnia in filium transferenda, quæ in Hollandia Zelandiaque, regio diplomate, adminiſtraverit pater: nam Belgici maris præfecturam, quæque alia in illum fœderatæ provinciæ contulerunt, nolle rata haberi. denique ſi hæc omnia abituro homini adhuc non ſufficiant, poſtuleturque inſuper aliqua pecuniæ ſumma, neque hanc, neque quamcunque perſimilem conditionem repudiandam: atque adeo vel centena nummum aureorum millia, quibus pax Belgio ematur, adhibitis quibus par eſt cautionibus, Orangio liberaliter offerenda: atque hac una (uti ajebat) criſi, qua noxius incentorque malorum humor expellatur, Belgium aliquando perſanandum.

*Detinebatur in Hiſpania*

Poſt hæc de ceſſatione armorum differens, quam Cæſaris nomine Orator ejus poſtulaverat; ait, ſi eam Cæſarei Pacificatores, Duxque ipſe, & Belgii Gubernator concordiæ conducibilem arbitrentur, haud abnuendam. Poſtremo Ducem ſecretis hiſce mandatis inſtructum admonet, ne ea cuiquam, ne Cæſari quidem aperiat: immo neque primi etiam commentarii capita cum eo communicare opus eſſe. exquirentique Cæſari, ut moris eſt, quænam ab Rege mandata legatus habeat, ne forte ea cælando hominem offendat, illorum loco proferat exemplar ejus ſcripti, quod Oratori Cæſareo in Hiſpania datum eſt: ac dicat, quum præter illa tria ſcripto excepta, & pauca quædam ad eorum complementum pertinentia verbo ſibi

De ceſſatione armorum. *Alex.*

Inſtructio generalis quatenus aperienda Cæſari.

2009 Ministerio de Cultura

ſibi ab Rege ſignificata, cetera in unius arbitrio Cæſaris ſapientiaque repoſita ſint; id ſcilicet mandatorum omnium inſtar eſſe.

1579. Terranovæ in Belgium tendenti præit litteris ſuis Alexander: 4 Ian.

Arcanis in hunc modum ab Rege monitis imbutus Terranova, abiens aula per Italiam Baſileam venit, Coloniam inde petiturus: reperitque ibi Alexandri litteras, quibus gratulatur homini adventum, à quo ſperari tum demum poſſet, ob ſingularem ejus prudentiam, pacificatio provinciarum, ſi eæ eſſent provinciæ, quæ pacari vellent. ſed ſibi perſuaſum (ut ſententiam illi ſuam ſemel aperiat, ac ſimul de ſtatu rerum in Belgio eum præmoneat) novum illum Belgarum conatum cum Rege de concordia tranſigendi, Orangii dolum eſſe: ut calente Colonienſes inter Proceres de communi pacificatione negotio, videri poſſint honeſte duo petere. alterum, ut ab inchoata (quæ illos angit) peculiari Wallonum reconciliatione deſiſtatur, tanquam ſupervacanea, immo contraria univerſali, ad quam hæc privata revocanda ſit: ſecuri ſi eo revocetur, illam non habituram alium denique finem, quam quem univerſali præſcribunt, nempe nullum. alterum ut, converſis illuc interea curis, deponantur per inducias vtrinque arma, quo de pace ſecurius, ac benevolentius Coloniæ tranſigatur: tracturi videlicet tandiu Colonienſis colloquii moram, quandiu aucto, qui in præſentia propemodum nullus eſt, eorum exercitu, & colloquium per occaſionem interrumpant, & arma in Hiſpanos interim ludificatos expediant. ſibi quidem de Wallonum reconciliatione nihil remittere certum eſſe, ſatis jam explorato Regis animo. at de induciis, ad quas decernendas quotidie ſollicitaretur à provinciis, rogare illum, edoceret, quodnam Regis hac ſuper re mandatum afferret. nam ſibi non videri provinciis annuendum: ita ſe Ottoni Comiti Schwartzembergio reſpondiſſe, quemadmodum ex ipſis poſtulati ac reſponſi exemplaribus, quæ una mittuntur, plane cognoſcet. Res autem erat hujuſmodi.

in quibus illum docet de ſtatu rerum; de Orangii dolo in petenda pacificatione. & de colloquio Alexandri, & Internuncii Cæſaris.

Venerat

2009 Ministerio de Cultura

1579. Petiit is Internuncius inducias ab Alex. 1578.

Venerat ſub finem ſuperioris anni ad Alexandrum Viſeti apud Moſam agentem Gomes Otto: ac nomine Cæſaris, fœderatarumque provinciarum, apud quas Internuncius pro Cæſare reſidebat, ceſſationem armorum multis exaggeratiſque rationibus efflagitavit. eas rationes ut ſcripto conſignatas Comes traderet petiit Alexander. traditiſque, atque in ſecretiore ſenatu perlectis, ex ejuſdem conſulto reſpondit, Non debere provincias petere aliquid ad pacificationem, quæ legatos Pacificatori ſiſtendos legitime nondum delegiſſent, uti admonitæ aliquoties fuerant, Rexque ipſe exemplo præiviſſet, Terranovæ Duce jam delecto. id ubi provinciæ quoque fecerint, omnia in proclivi futura. Hoc reſponſo pluribus expoſito, ac litteris comprehenſo peracriter offenſus Otto, haud abſtinuit, quin minacibus verbis conteſtaretur, dari cauſam Cæſari arbitrium deponendi, & Belgarum populis ad deſperationem actis, alium ſibi aliunde Dominum comparandi. ſe quidem malle vel crure fracto Viſetum non veniſſe, quam cum ea tam ingrata reſponſione reverti. Sed Alexander molliore uſus oratione, poſtquam nonnihil Comitem lenivit, reſponſi æquitatem probare homini conatus eſt, amice cum eo de re tota altius aliquanto diſſerens: addiditque ad extremum, adfuturum propediem Terranovæ Ducem ab Rege delegatum, ab eo certius aliquid expectandum. quamquam ſua quidem ſententia, nunquam aut ab ipſo Comite, aut à quoquam mortalium, inter Regem ac ſuos concordiam ineundam, quamdiu provinciæ circumagi ſe ab Orangio, ac ludificari patiantur. Nempe è re illius eſſe, non extingui in Belgio ignem, cui alendo faſces ac pabula ex ejus ſilva comparari neceſſe ſit. Neque hoc ipſum cum emiſſariis ſuis arcanorum conſociis Orangium aliquando diſſimulaſſe. inter quos Dorpium nuper Ziriczææ Præfectum, paucis ante diebus captum retuliſſe, ſibi affirmaſſe Orangium de pacificatione colloquentem

qui eas negavit.

offenſum iratumque

placare nititur.

tem

2009 Ministerio de Cultura

tem, Suis rationibus tutum non eſſe, iniri ul- 1579.
lo modo cum Rege concordiam. Quod ſi ille
de induciis, ne nihil agere videatur, aliquid
in præſentia movet, ſibi Comes perſuadeat,
non poſtulari ab eo armorum requiem, uti gra-
dum ad pacem, ſed ut vires regii exercitus ea
ceſſatione conſumat. Rogare itaque illum, ut
reſponſo æquiorem in partem accepto, pro ſua
prudentia, munerisque ſui ratione, provincias
hortetur, ad controverſiam confectis legitime
tabulis, arbitrio Cæſaris ſubmittendam: ſimul-
que ad ſuos Coloniam delegandos, Cæſarem
adurgeat; certus, ducto hinc rite principio,
cetera, quantum in Rege quidem, ac in regiis
miniſtris erit, ordine ſecutura. Per hæc ali- & quaſi pla-
quanto placatiorem, uti videbatur, Ottonem cat.
Comitem ad ſuos remiſſum ſignificat Alexan-
der Terranovæ Duci: additque hac ſuper re
ſententiam ejus expectari. Et ille non modo De his præmonitus Ter-
reſponſum Alexandri probavit, ſed etiam tranſ- ranova lau-
miſſo ad eum ſecreto legationis ſuæ commen- dat ſenten-
tario, quemadmodum Rex mandaverat, adjun- tiam Alexandri;
xit præter alia, potuiſſe hoc quoque ab eo re-
ſponderi, Inducias illud tantummodo tempus
comprehenſuras eſſe, quo tempore Colonien- 19 *Feb.*
ſem conventum agitaverint legati: quos quum
nondum provinciæ nominaverint, profecto illas
præpoſtera feſtinatione conſultum velle con-
ventui, ad quem conventuros adhuc non ha-
beant. At Rodulphus Cæſar, apud quem de re- & accerſitus
ſponſo Parmenſis Principis queſtæ admodum à Cæſare
erant provinciæ, communicatis cum Oratore requiſitusque
hiſpano querimoniis, ſimulque ex itinere Co- de induciis,
lonienſi Pragam evocato Terranovæ Duce, cu-
jus in mandata retuliſſe Parmenſem audierat *Io. Borgia*
induciarum ſpem; pluribus cum utroque diſ-
ſeruit de aliqua armorum vacatione, quam uti
pacificationis initium provinciæ jure poſtula-
rent: & ipſe in rem duceret non exaſperari
novis offenſionibus eorum animos, qui ad pa-
cem diſponendi eſſent. Sed Terranova, ut erat eas diſſua-
non imparatus, id pertinere quidem ad ſe re- det.
ſpondit,

2009 Ministerio de Cultura

1579. ſpondit, ſed ex æquo cum Parmenſi armorum in Belgio Duce, & cum reliquis legatis, quibus nondum electis, non poſſe non differri certum de armorum ceſſatione judicium. ad quæ ſubjecit orator Borgia (id quod ut Cæſari ſignificaret, præmonitus fuerat ab Alexandro) velſi à provinciis delecti miſſique Coloniam diſceptatores ſui fuiſſent; adhuc tamen videri, non potuiſſe Farneſium inducias paciſci; quum in eas convenire ante debuerint quatuor, quæ Belgium diſtrahunt factiones, Orangii, Caſimiri, Alenconii, ac Malecontentorum: quarum una diſſentiente, atque adeo impune arma tractante, qui poſſit ex regio exercitu vacatio armorum peti? Quamobrem quum tam multa reſponſi æquitatem à Parmenſi Principe allati abunde teſtentur, non debere Ottonem Comitem, omiſſa cura ſollicitandi provincias, ut ſuos allegent, conatum omnem in extorquendis præpoſtera anticipatione induciis adhibere. Sic enim illum non obſcure oſtendere, quam ſe obnoxium Orangii conſiliis, atque adeo partium quam non ſe medium gerat: contra quam eum deceat, qui perſonam ſuſtineat æquiſſimæ Majeſtatis ejus. quam ad extremum uterque ſupplices orarent Catholici Regis nomine, ut donec in Cæſareas ejus manus cauſæ arbitrium utrinque depoſitum non fuerit, induciarum diſceptationi ſilentium imponi velit. Verum per eos dies interceſſit aliquid, quod Cæſaris animum non parum offendit. Nuncius enim ab Ottone Comite cum litteris Pragam advenit querelarum plenis adverſus Parmenſem Principem: quod Ottoni tempus locumque ad colloquium petenti negaverit: & tabellario, qui litterarum faſciculos ad Archiducem Matthiam, & ad provincias ab aula Cæſaris afferebat, litteris exuto à Tribuno Mondragonio; non modo injuriam non punierit, ſed juſſu id factum ſuo reſponderit. hæc autem, ajebat iratus Cæſar evocato ad ſe Borgia, pacificationis turbamenta eſſe à Parmenſi Principe, cujus vel

Id quoque facit Orator hiſpanus:

non ſine querela contra Ottonem.

*Borgia & Terranova*

Iratum Cæſarem Parmenſi Principi *8 May.* ob negatum colloquium Cæſareo legato, & ob tabellarium litteris ſpoliatum, *Alex.*

opera

2009 Ministerio de Cultura

opera vel incuria dum intuta eſſent Cæſaries adminiſtris itinera, nullos cum ſui diſcrimine aliena curaturos. confecitque ad extremum, intellecturum ſe, quo animo regii adminiſtri eſſent erga traditum ſibi concordiæ arbitrium, ſi quas ſæpe commendaverit inducias, ultra non diſtulerint. Quæ omnia una cum reſponſione à ſe Cæſari data, perſcribens ad Alexandrum Orator Borgia, addit, *Quoniam ille placari aliter haud poſſet, ac Terranova ipſe manus jam antea dediſſet, pollicitus Cæſari quod avebat; certam à ſe quoque ſpem induciarum ejus Majeſtati factam. propterea orare obſecrareque, ſponſionem ratam habeat, ceſſationemque armorum aliquam paciſci cum provinciis ne recuſet.* Ad hoc autem pronius aliquanto perurgendum movit, opinor, Borgiam rumor Imperatoriam per aulam diditus ab eodem nuncio, qui in via audiſſe ſe narrabat, conflixiſſe cum Parmenſi Principe Ordinum exercitum, Principemque deſideratis circiter decem ſuorum millibus, campum victricibus Ordinum copiis conceſſiſſe. Figmenta nimis quam crebro uſurpari ſolita à multis, quo temporariam ſaltem fidem extorquentes, præſentia ex voto componant, nihil interim ſolliciti de ſuperventura mox rei contrariæ fama, cui nempe fructum ea anticipatione præripuerint. homines publico exitioſi: fideique, qua humana conſtant commercia, falſarii, & corruptores. Sed Alexander, qui victorem iis diebus exercitum ab Antverpiæ mœnibus reductum Trajecto jam circumdederat, ſatis intelligebat, querelas per Ottonem in aurem Cæſaris ingeſtas illuc demum ſpectaſſe, ut ad inducias eo impelleret tempore, quo maxime timebantur Regis arma; ideoque præter privatas literas, queis Terranovæ Borgiæque reſpondit, de utriuſque facilitate queſtus; Gomicurtium, virum ſolertem, immotæque in Regem fidei, accurato inſtructum commentario allegavit ad Cæſarem: quem una eademque opera & de Wallonum reconciliatione,

1579.

placare ſtudent Terranova & Borgia: Cæſar

Et ſpem induciarum Cæſari faciunt:

præſertim ſparſo rumore Parmenſem infeliciter pugnaſſe.

Sed falſo & commentitio rumore.

Alexander allegat in Germaniam Gomicurtium: 20 *Martii*

qui cum Cæſare die his agat,

2009 Ministerio de Cultura

1579. ciliatione, in quo per eos dies provinciæ inſimulaverant Alexandrum apud Cæſarem, & de recente Ottonis querimonia edoceret. Et de Wallonibus quidem facile Gomicurtius Alexandri operam Cæſari probavit. Quod ad alterum vero, in quo plus laboris fuit, præfatus aliqua de Parmenſis Principis erga Majeſtatem ejus obſervantia, rationem afferre eorum, quæ nuper acciderant, orſus eſt: Petiiſſe Ottonem Comitem per certum hominem ab Alexandro, ut audiretur, eo nempe die, quo exercitum, ſtrato ſuper Moſam ponte, in hoſtium oculis tranſmittebat in Brabantiam: ideoque reſponſum à Farneſio, ſuſtineret aliquantulum, trajecto dum amne, locum, quo congredi poſſent, attribueret. Reverſo ad idem repetendum nuncio, idem quoque tanto magis reſponſum eſſe, quanto, fracto tunc navium ponte, intentiorem curam, & Præſentiam Ducis res ſubita requirebat. Ipſo autem die, quo traductus exercitus Brabantiæ ripam attigit, Alexandrum, miſſo ſtatim cum litteris milite, Ottonem invitaſſe, ut Wertæ, aut quo ei videretur loco, convenirent. ipſum tamen, reſponſo nullo ad ea reddito, nuſquam apparuiſſe. Quod ad tabellarium attinet: illum per Limburgenſem agrum, Trajectum verſus tendentem nulla fide publica, captum quidem exutumque litteris fuiſſe à Centurione Mondragonii, qui per provinciam ſibi attributam prætereuntes viatores obſervari è Farneſii præſcripto imperaverat; ſed illico deductum à Centurione ad Mondragonium cum faſciculo literarum, ab hoc tranſmiſſum fuiſſe ad Farneſium. qui, viſo ad Ottonem Comitem litteras pertinere, ſubito hominem, ac litteras ad eum amandaverit, teſtatus non ſolum ægre ſibi eſſe, quod in Cæſaris tabellario id acciderit, ſed etiam, ſi Otto, uti debuerat, de adventu ejus præmonuiſſet, profecto non omiſſurum fuiſſe ſe, quin addito militum comitatu, ſecurum viæ ubique præſtaret. Quæ quum ita eſſent, (ſubdidit

De Wallonibus perſuadet.

Narrat de negato colloquio:

ſubjicit de tabellario.

2009 Ministerio de Cultura

(ſubdidit Gomicurtius) uti re ita eſſe firmiſſime aſſeveraret; pro ſua ſingulari ſapientia reputaret apud ſe Cæſar, quam parum æque, parumque liberaliter Parmenſem Principem inſimulaverint: ſimul quam alienum ſe Comes gerat à regiis partibus, quarum miniſtris creare undecunque invidiam non deſiſteret. Ex quo etiam non debere Majeſtatem ejus admirari, ſi Parmenſis differre adhuc cogatur armorum ceſſationem: quam nempe videat ab Ottone peti nullo publico commodo, ſed ſolum fœderatarum neceſſitate provinciarum, quæ milite ac pecunia deſtitutæ, eas nunc inducias à Parmenſi tam ingentium ac victricium copiarum Duce poſtulent, quas ipſe olim provinciæ exercitu validæ Ioanni Auſtriaco pernegaverint. Præterea nec ſi velit, poſſe Farneſium (quippe facultate ſibi à Rege circumſcripta) ſine aliorum ſuffragio legatorum, (qui tamen nondum coaluerint) inducias cum provinciis conſtituere. Denique & illud conſiderationi Majeſtatis ejus relinqui, admittendum ne ſit, peti à Fœderatis armorum ferias, præſumpto Provinciarum generalium nomine. Nam, præterquam quod illi non ſine Regis injuria id nomen induunt; quodnam robur habituram eorum pactionem, qui inter ſe diſtracti diſcrepanteſque, quum in eam pariter non conſenſerint, ea ſe jure non teneri, (ſi ita in rem fuerit) affirmare poſſint? Ad quæ Cæſar; quum ſatis ſibi factum de Ottonis querelis oſtendiſſet, ſolum in induciis non nihil adhuc hærens, conſiderandum eſſe dixit, quomodo ſine illis, Legatorum aliorumque pro pacificatione ultro citroque commeantium ſecuritate caveatur. Tum Gomicurtius, Nullum in ea quidem re mandatum habere ſe à Parmenſi Principe præfatus, ſibi tamen, addidit, in mentem venire conſilium, quod in Cercampi olim conventu, pro pace inter Philippum, Henricumque Reges componenda, captum eſſet. quum enim induciæ ante congreſſum pari ſtudio peterentur à Gallis,

1579.

Differit de induciis,

quas concedi non debere conficit tres ob cauſas.

Cæſar ceteris annuens ſolum inſiſtit in induciis,

profuturis ſecuritati nunciorum.

cui remedium ſuggerit Gomicurtius:

1558.

2009 Ministerio de Cultura

1579. à Gallis, abſque armorum ceſſatione non conventuris; ita temperatam rem eſſe, ut quibus itineribus Cercampum Arteſiæ cœnobium in Paulino Comitatu contenderetur, in iis, circumque ea ad ſemileucæ ſpatium, ſervarentur induciæ: ceterum, præter certas haſce vias tam ex Belgio, quam ex Gallia Cercampum tuto ferentes, in aliis interim locis, ut libet, arma impune exercerentur. uti exercita tunc fuiſſe, ipſe eo tempore cum Megano Comite Peronam aggreſſus teſtari poſſet. Quibus à Cæſare non improbatis, ad Procancellarium mentis ſuæ conſcium, dimiſſus eſt. A quo, quum ſæpius conveniſſent, ad extremum libellum accepit Parmenſi deferendum, non alia ferme, quam quæ Cæſar ipſe reſponderat, complectentem. Hoc tamen unum in eo quum legiſſet, *Nulla liberi commeatus teſſera opus fuiſſe tabellario, qui Inſignia præferret Imperii: incederetque per eas provincias, in queis jus ſuum Cæſari ſit*; ſcriptum illico reſtituit, negans poſſe ab ſe id accipi, quod adverſaretur authoritati Regis ſui, Dominum non agnoſcentis in ea præſertim Limburgenſi provincia, in qua tabellarius detentus eſt. idque conſtare ex dominiis, quæ ab Imperio beneficiaria Rex haberet: atque in primis ex Burgundico circulo, poſtremum à Carolo Quinto ad alios novem Germaniæ orbes adjecto; in quo diſerte, iteratiſque verbis, ab Imperii juriſdictione, Belgarum provinciæ excipiuntur. Neque poſt multo Gomicurtius cum reſponſo ac litteris, quæ à Cæſare prius acceperat, ad Alexandrum rediit, legatione ex ſententia perfunctus: nempe is erat legatus, qui non à Principis ſolum commentario, ſed à ſuo etiam inſtructus ingenio, promptum haberet, quomodo ſubitanea rerum, quæ certo mandatorum numero circumſcribi nequeunt, ſagaciter expediret.

[Margin: nec illud reſpuit Cæſar.]

[Margin: Ejus tamen Procancellarius aliquid de tabellario movet. *Salvocondotto*]

[Margin: *feudi* 1548.]

[Margin: quod diſſolvit præſenti ingenio Gomicurtius.]

[Margin: 29 *Apr.*]

Etiam Coloniam, deſtinatum conventui locum, delecti Proceres adventabant. Primuſque ingreſſus eſt Herbipolenſis Epiſcopus, cum Ottone

[Margin: COLONIAM de pacificatione acturi veniunt Herbipolen. Epiſ. 4 *Apr.*]

2009 Ministerio de Cultura

Ottone Henrico Comite in Schwartzemberg. ſecutus Carolus Aragonius Terranovæ Dux: poſtridie Ioannes Baptiſta Caſtaneus, Archiepiſcopus Roſſanus, Pontificis Nuncius, cum Iacobo Trevirenſi Archiepiſcopo, Imperiique Septemviro: ac biduo poſt Gebhardus Truchſeſius Archiepiſcopus Colonienſis, & ipſe Septemvir Imperii. Pro Willelmo Iuliæ Cliviæque Duce, cujus excuſata abſentia, venere eodem die, cum Colonienſi, Vernerus Geimmenicus Archiſatrapes Iuliacenſis, Ioannes Levermannus, & Hermannus Richius, juriſconſulti. Per eoſdem dies acceſſere tanquam Terranovæ comites conſiliariique, à Parmenſi Principe ſubmiſſi, Maximilianus Longavallius Vauxii Dominus, regio ærario præfectus, & Ioannes Funcquius, hic litterarum, ille armorum, uterque legum morumque belgicorum ſciens, arcanique conſilii ſenator: & Vrbanus Scarembergius, Parmenſi à Germaniæ ſecretis. Denique poſt alios, publica prius fide, quod ad iter ſpectet, accepta, affuere à fœderatis provinciis Philippus Croyus Areſchoti Dux, Ioannes Lindanus Sanctæ Gertrudis, Fridericus de Divæ Marollæ Abbates, Bucho Ayta Sancti Bavonis Præpoſitus, Gaſpar Schetzius Grobbendonchæ Dominus, Franciſcus Doignes Dominus Beaumontii, Adolphus Meecherchius intimi conſilii ſenator, Bernardus Merodius Rumenæ Dominus, Adolphus Goorius Dominus Caldembrochii, & Adrianus Milanus, & Aggæus Albana juriſconſulti. Ex his autem, quos nominavi, omnibus, actores tantummodo erant, hinc Terranovæ Dux, Regis Catholici Legatus, inde Dux Areſchoti, cum reliqua ejus cohorte miſſus ab Archiduce Matthia, fœderatiſque provinciis. Inter hos pronunciandi arbitrium penes Rodulphum Imperatorem reſidebat, cujus perſonam abſentis ſuſtinebant partim Septemviri Auguſtales, atque Herbipolenſis Antiſtites, cum Ottone Comite: partim à Iuliacenſi Duce ſubſtituti. Roſſanus extra ordinem aderat

1579.

OttoComes, Terranovæ Dux.

*5 April.*

Caſtaneus Archiep. Trevirenſis & Colonienſis Electores,

Tres pro Iuliacenſi Duce,

Totidem à Parmenſi Principe,

*Caput finantiarum*

& undecim pro provinciis fœderatis.

Ex his actores partium erant Terranova pro Rege, Dux Areſchotus cum ſociis pro provinciis: Arbiter omnium Rodulph. Cæſar.

*Electores* cujus perſonam referebant Electores & reliqui.



2009 Ministerio de Cultura

1579. à Romano Pontifice Gregorio Tertiodeci Nuncius, belgicæ pacificationis hortator ſpectorque. Etenim Gregorius in omnes Ch ſtianæ Reipublicæ partes intentus, ne quid trimenti in eo conventu ex indulgentia, aut fraude partium, vetus Religio caperet, ill pro ſui muneris ratione, virum deſtinavit, jus perſpectæ ſæpius in legationibus prud tiæ tribuebat ille permultum: probavitque p ea Pontificis judicium Purpuratorum conſ ſus, qui ſucceſſorem eum Gregorio, poſt X ſtum Quintum adlegerunt. Sed præter hos, Coloniæ diſceptatores convenerant, longe p res erant, qui alibi quum degerent, hic tam aderant, conſiliis, pollicitationibus, minis, blicam pacis cauſam privatum negotium fac ri. Nempe uno hinc nexu, voto non tamen no, pendebant & Alexandri Parmenſis arm & Archiducis Matthiæ ſtatus, & Ducis Al conii ſpes, & Orangii fortuna, & Wallon reconciliatio, & tranquillitas provinciaru atque ideo verſis huc undique curis, varie Colonienſem eventum omnes intendebant, pl rique turbamenta fruſtrandæ pacificationi a ornabant. Quo majori ſollicitudine Concili tores, nihil horum videlicet ignari, præcau ſuſpenſeque rem aggrediendam, & circumſp ctanda ſibi omnia cenſuere: ſed Divinam i primis opem ſolenni placamento advocanda Septemvir addidit Colonienſis. ſive hæc publi ci boni cura fuit, ſive ſimulatio hominis, il Religionis ſpecie abutentis ad initia conſtabi lienda controverſæ tandiu Sedis ſuæ. Ergo an congreſſum, ad capiendum à Deo rite princi pium, viſum eſt, inſtituta ſupplicatione circum duci quæſitiſſimo per urbem apparatu augu ſtiſſimum Chriſti Domini corpus: comitantibu utroque Auguſtali Septemviro, medioque inte eos Apoſtolico Nuncio: tribus inde Princip bus, Herbipolenſi, Terranova, atque Areſcho to: horumque duorum filiis Carolo Princip Chimacio, & Petro Aragonio, cum totidem

ma

Extra ordinem erat Pontificis Nuncius.

ad Reg. Hiſp. ad Venet. &c. Hic fuit Vrban. VII.

Quam multi ex hoc conventu penderent.

Hinc verſi animi ad implorandam Dei opem,

celeberrima ſupplicatione.

Iſſelt. de bel. ſa. lon.

2009 Ministerio de Cultura

magni nominis Abbatibus, Proceribuſque permultis, ac ſenatu civitatis univerſo: tanta ſupplicantium pompa, ac mortalium frequentia, quanta celebriorem aliquando viſam Coloniæ vulgo negabant. Sic implorata S. Spiritus ope, Nonis Maii, qui dies auſpicandæ rei dictus erat, à Cæſareis Conciliatoribus cæptum eſt agi. In ædem illi certam quotidie conveniebant: illuc modo Regis, modo Ordinum Legatos, qui domos prope conduxerant, plerunque ſeparatim, interdum & conjunctim evocabant. uti primo factum eſt, habita ab Apoſtolico Nuncio in omnium conſeſſu Procerum, oratione ad optatæ dudum concordiæ rationem ineundam, reſtituendumque Regi Catholico, legitimo Principi obſequium, ac priſtinam Belgarum provinciis tranquillitatem. Inde Conciliatores, accitis ſeorſim Legatis, oſtenſa, quam ipſi habebant à Cæſare, componendæ pacis facultate, fiduciarias Legatorum litteras ac mandata; uti aſſolet, inſpicienda poſtularunt. ac probatis, quæ à Terranova oblata ſunt, hæſere non parum in Provinciarum litteris: quod Legatorum mandatum non ultra ſex hebdomadas protenderetur: quod quum datum ſubſcriptumque eſſet nomine provinciarum omnium, nullius tamen ex ſeptemdecim provinciis appareret in eo nomen: quod ambiguum videretur, & conditionibus implicatum: denique quod Leone & Columna, ſigno ad eam diem inuſitato, obſignatum eſſet. Quibus de vitiis advocatos ad ſe Areſchoti Ducem, ejuſque collegas admonuere; eos hortati, uti plenius ſibi à provinciis conſultum vellent. ſe tamen æquiorem in partem ea interim accipere: nec propterea vel tantiſper in ſuſcepto negotio moram tracturos. Ad quæ illi ſcripto reſpondentes (nam ita uſurpatum, ut Cæſarei quidem Conciliatores voce, Legati autem tam inter ſe, quam cum Cæſareis ſcripto agerent) effecturos ſe cum provinciis, ut nulla ex ſuo mandato controverſia moraretur negotium pacis; addidere, illud poſſe moram

*1579.*

*7 Maii*

locus modusque conveniendi.

Poſt Nuncii adhortationem,

conciliatores oſtendunt facultatem à Cæſare.

poſtulant legatorum facultatem inſpiciendam.

probant quæ oſtenditur à Terranova, non quæ à legatis provinciarum,

quatuor ob cauſas.

ſed illi ſatisfacturos ſe promittunt.



2009 Ministerio de Cultura

1579. impedimentumque afferre, quod ex Orangii litteris acceperant externo die, Parmenſem Principem non deſinere cum Wallonum provinciis de reconciliatione paciſci, conventum cum illis agere, Legatos inde accipere, Coloniam alio transferre. ex quo evinci, aut non ſolum Terranovæ Ducem ineundæ concordiæ mandatum ab Rege habere, idque ſilentio premi ab eo non debuiſſe: aut Parmenſem immerito arrogare eam ſibi poteſtatem, quæ & ſupremum Cæſaris arbitrium imminutum eat, & Conciliatorum Legatorumque operam eludat, & provincias diſtrahat confundatque. Expenſa à Cæſareis hæc querela, tradita eſt Regis legato. A quo reſponſum: E mandati ſui tenore jam conſtitiſſe, quæ vis ejus eſſet. quid vero cum Arteſiis, atque Hannoniis paciſcatur alibi Parmenſis, à ſe cohiberi non poſſe, nec debere: immo neque à provinciarum Legatis jure id exigi; niſi forte ipſi, ut Hannoniorum Arteſiorumque nomine in Colonienſi conventu agant, allegati ſunt. Quod ſi hujuſmodi mandatum proferre non poſſunt, ſinant Belgii Præfectum regiis ſubditis ad Domini ſui gratiam properantibus benigne occurrere: & cui fas eſt, pro ea quam habet à Rege gladii poteſtate, rebelles ad Principis obedientiam armis adigere; permittant, eidem licere, provincias belli pertæſas, paciſque percupidas, conciliata animorum concordia, ad obſequium Regis adjungere. Neque de Imperatoris arbitrio ſollicitos eos eſſe oportere; nihil authoritati ſuæ privatas hujuſmodi pactiones officere, Cæſaream Majeſtatem abunde aperuiſſe Parmenſis nuncio: & Cæſareis ſuis Conciliatoribus, ut ipſe inaudierat, ſignificaſſe. Quod Cæſarei confirmantes, prolixe teſtati, ab illa Parmenſis opera, quam utilem publicæ rei exiſtimarent, nulla ſe ratione offenſos; oravere Areſchoti Ducem, ut quando ſatis velitatum eſſet, tota nunc acie decernerent: & rei, ad quam conveniſſent, inſtantes, excogitarent, atque ad ſe afferrent rationes & capita, quæ conficiendæ

*Marginal notes:* ſimul de Parmenſi queruntur privatum conventum agitante. — Reſpondet ſcripto Terranova — *Gomicurtio de quo ſupra* — & probant reſponſum Conciliatores. — Tum vero hortantur Ord. Legatos, ut afferant capita pacificationi conſentanea.

2009 Ministerio de Cultura

dæ pacificationi percommoda arbitrarentur. ut ea ſeorſim ante diſcuſſa, utrique dein parti, quod bene verteret, aliquando proponerent. Sed neque hoc ſine altercatione cæptum eſt, affirmantibus Ordinum Legatis, haud ſibi inchoandum eſſe, ſed quid Rex à ſubditis velit, expectandum. contra, Regis Legato reſpondente, meminiſſe eos debere, provincias pro concordia cum Rege componenda Cæſari ſupplicaſſe: hujus poſtulatu Regem motum fuiſſe, ut in eam curam intente incumberet, cauſæ arbitrio Cæſareæ Majeſtati tradito, Legatoque ſuo ab Hiſpania miſſo ad ea, quæ peterentur à provinciis, agnoſcenda, pacemque, ſi poſtularentur æqua, firmandam. Itaque expectaturum ſe, quæ illi petant, audire. nullos enim melius, quam ipſos ea noſſe, de quibus conquerantur, quæque expoſcant à Rege, ut cum eo in gratiam tuto redeant. Quibus illi quamquam ægre aſſentientes (namque Cæſareis id æquius viſum) concordiæ capita propoſuere octodecim, adeo ſuperbe compoſita, ut & Cæſareis non media, ſed extrema viſa ſint: & Terranova jam tunc conjecerit, nihil ex eo congreſſu ſperandum. Nam ut ſummatim aliqua referam, *Inituros ſe ſe pacem cum Rege Catholico, Principe ac Domino ſuo naturali ſpondebant, modo quidquid actum ab Archiduce Matthia, quem penes adminiſtratio Belgii manſura ſit, ratum habeatur. modo quæcunque urbes, arces, ac loca à Ioanne Auſtriaco, aut à Parmenſi Principe capta fuerint, in manus ordinum reſtituantur. modo reformata religio ubicunque locorum exerceri cœpta jam fuerit, ſine cujuſquam noxa exerceatur. modo decies centena coronatorum millia ſupplendæ pecuniæ in bellis à fœderatis provinciis inſumptæ, ab Rege Ordinibus perſolvantur.* Nempe hæc condita fuerant Antverpiæ eo tempore, quo illic de infauſta Trajectenſi aggreſſione nunciatum eſt: depreſſis adeo, uti credebant, jacentibuſque Hiſpanorum animis, ut poſſe illis imponi quæcunque onera conditionum ſibi perſuaderent. Et quamquam inte-

1579.

Sed illi negant à ſe incipiendum.

Id ipſum de ſe negat Terranova.

Proponunt tandem Ord. Legati octodecim capita.

Quorum aliqua hæc ſunt,

immodica illa, & confidentiora,



2009 Ministerio de Cultura

1579. intepuere non parum, audito Alexandrum nihil inde motum, Trajecto acrius inſtare; evenit tamen tunc aliquid in Farneſianis caſtris,(ex quorum ſucceſſibus ſuam ipſi ſententiam in Colonienſi colloquio moderabantur) unde confidentiam reſumpſere. Namque ſtipendiis non procedentibus,(trimeſtris enim pecunia in menſem Martium promiſſa, exeunte jam Majo adhuc expectabatur ab Hiſpania) miles æris indigens per vicinos agros pagoſque rapto victitare cogebatur. Et Alexander quidem, quoniam feſtinatis ſæpe nunciis litteriſque nihil exprimebat ab Rege in Luſitanicam expeditionem intento, miſſo aulico ſuo Pioraſco ad parentes Octavium, & Margaritam, & ad patruum Alexandrum Cardinalem, propiorem ab iis opem, uti ante acceperat, expectabat. Interim gliſcente inopia, & honeſtiore ex neceſſitate licentia, opera in caſtris ſegnius promovebantur, deſerebantur alicubi ſtationes, imperia Centurionum ad præſidia revocantium vagum palantemque militem, palam contemnebantur. donec audacioribus, ſuſpendio paucorum, coërcitis, viſa eſt in præſens reſtitui caſtrenſis diſciplina. Sed non diu duraturam apparebat: ſuperante metum FAME, quæ nec imperantes audit, nec ſupplicium ſe ipſa majus novit. Iamque Germanorum cohortes, communicatis conſiliis, conſueta caſtrorum munia paſſim omittebant: non obſcuris vocibus miniſque, nec ab hoſte defenſuros ſe caſtra, niſi ſtipendia numerarentur. Et jam Alexander veritus, ne ſerpens in horas malum, equiteſq;forte comprehenſurum,ſero nempe remedio anteverteret; præſentem pecuniam unde unde poſſet expediturus,Coloniam ad Terranovę Ducem miſſo Gaſtone Spinula,ſummam aliquam pecuniæ mutuam rogaverat: denique & argenti ſupellectiliſque ſuæ partem Leodii oppigneratum dederat. Nec minore videlicet opus fuerat celeritate: nunciatur enim Alexandro, Raitres, conſpirante cum peditibus equitatu, poſtridie ad eum venturos ſtipendia poſtula-

*ob auditas in Farneſianis caſtris turbas:*

*exortas propter dilata ſtipendia,*

*Parmenſes Duces*

*& egeſtatem exercitus:*

2009 Ministerio de Cultura

ſtulatum, certos à tabernaculo ejus, niſi ſoluta pecunia, non abire. quum acceptis enimvero in tempore decem aureorum millibus à Colonia, ac multo pluribus auctus aliunde, ea in pedites, quibus miſerebatur magis quam iraſcebatur, illico diviſit: Raitres vero diem adhuc unum, quaſi minarum contemptor, expectare voluit. In has ergo turbas converſi è Colonienſi conventu Ordinum Legati, pacificationis capita, quemadmodum dicebam, confidentius expoſuerant. Niſi forte ipſi conditiones, uti fit, immodice intenderant, ut eſſet, quod in iis poſtea laxandis, dari Conciliatorum gratiæ videretur. Quamquam erant qui crederent, ab Orangio, cujus conſilio Ordines agitabantur, ideo quæſita hæc fuiſſe conditionum extrema, quo Regii procul dubio offenſi, ſpem omnem protinus abjicerent. Sed à Cæſareis admoniti, ut æquiora proponerent, & Legatus regius ut eorum capitum loco ſua proferret; illi quidem multa ex iis interpretantes, pauca detrahentes, quaſi nova cuderent, vetera demum repoſuere: Terranova autem, re cum Vauxio Funcquioque collata, pacis ſummam viginti ſeptem diſtinctam articulis comprehendit. In quibus Regis nomine pollicebatur inter alia, (ut quantum ab Rege concederetur, oſtendam) *Belgium omne externa militia liberandum: ad regimina civitatum, ad ſenatorum munia, ad arcium præfecturas non admittendos niſi Belgas: Buranum Comitem, Orangii filium libertati ac patriæ reſtituendum, eique præfecturas Hollandiæ, Zelandiæ, atque Vltrajecti conſignandas: Religionem Catholicam Romanam ubique locorum, excluſa omni alia, rite ſervandam; indulgendum tamen iis, qui ab ea diſſentirent, quadriennii tempus alio cum fortunis ſuis commigrandi: denique regii ſanguinis Principem, qui provinciis moderetur, propediem ab Rege nominandum, ac ſtatuendum.* Hæc atque alia concordiæ capita dum oſtenſa Ordinum Legatis, & quæ Legati correxerant, dum tradita Regiis utrinque expenduntur: adventu

1579. ſed à Parmenſi celeriter compoſitas.

Aliæ cauſæ confidentiæ legatorum Ordinum.

eorum articulos non probant Pacificatores.

Terranova proponit ſuos:

Eorum ſumma.

Vtrecht



2009 Ministerio de Cultura

1579. *id ſupra dictum eſt*

De Induciis iterum agunt Ord. Legati,

Parmenſem accuſantes.

Contra diſſerit Terranova, pro Parmenſi, & contra poſtulatum induciarum:

Ioannis Naſſavii Coloniam immiſſi ab Orangio, poſt Farneſiana ad Trajectum caſtra nullo exitu pertentata, iterum de induciis ſermo recaluit, novis præſertim ab Imperatore litteris id ipſum ſuadentibus. Nec ceſſabant Ordinum Legati Parmenſem Principem incuſare, armorum pertinacia, pacis commercia interturbantem: ac provinciarum poſtulata, Colonienſium Procerum arbitria, Cæſaris imperia contemnentem. Sed Terranova ab Alexandro jam præmonitus apud Septemviros contra differebat. *Parmenſem quidem Principem regiis armis non aliena invadere, ſed quæ Regis eſſent, repetere. Dividi hæc poſſe munia, ut armis ſubigantur rebelles, & pactionibus volentes reconcilientur. Sed ceſſationem armorum non præoptari à provinciis ad pacificationem facilius ineundam: ſed iniri tractationem pacificationis ad ceſſationem armorum callidius obtinendam. Id vero tanto nunc certius apparere, quanto præduræ illorum de pace conditiones, quas tamen ipſi nimium videlicet emolliiſſe ſe jactitant, longius eos abeſſe à conſilio firmandæ aliquando concordiæ perſuaderent. Quæ porro concordia dum aut nulla ſperetur, aut incertiſſima ſit; qua ratione poſſe pro re adeo dubia certum ad detrimentum Regem cogi? ſumma per eos dies impenſa à Farneſio Trajectum ultra citraque Moſam, jactis pontibus, frequentibus caſtellis, perpetuis aggerum molibus, continuatis in modum oppidi caſtrenſibus tectis, inſeſſum clauſumque adeo teneri; ut, deſperata omni externa ope, nemo jam dubitet, quin brevi caſurum ſit Parmenſis in manus. Nam quantum virium ſit in fœderatis provinciis ad obſidionem ſolvendam, exploratum modo eſſe, copiis earum ad ejuſmodi caſtrorum aſpectum perterritis, nec pugnam, immo nec acceſſum auſis. Igitur à tanta urbe jam pene capta, remiſſo victoriæ impetu, atque abjectis armis, ſupremam manum abſtinere, quid eſſe aliud, niſi ſpatium modumque obſeſſis ad pervicaciam ſuam communiendam, & Fœderatis ad vires, imploratis externorum, uti ſolent, auxiliis, reparandas elargiri? ac ſimul regio in caſtris exercitu elanguente, forſitan (quod in longa obſidione otioſis accidit) tumultuante, Regem inter-*

2009 Ministerio de Cultura

*Interea ad nova opum impendia, pro retentanda ex intermiſſa urbe victoria, inſtaurato iterum bello, damnare? Iam vero illud appellandum ne provinciarum ſimplicitatem, an confidentiam? Eſſe illas in præſentia ſine exercitu, ſine pecunia: adeo, ut in conatu liberandi paulo ante Trajecti, coacto provinciatim ære, nonniſi poſt menſes omnino duos, collectitios aliquot milites in eam expeditionem ægre compulerint. quum eodem tempore Regis copias & virtute Ducum, & numero militum formidandas, modo ad Antverpiæ uſque mœnia, modo late per Geldriam Brabantiamque, Parmenſis extendat. In hoc ergo tam diſpari partium ſtatu, qua fronte petere provincias, ut arma utrinque deponantur, quum ipſæ exercitum non habeant, quem exarment? Et quod genus induciarum eſſe, uni partium imponere conditionem, cui pars altera ſubeſſe non poſſit? credo iſtos, ſi nudi forent, de indumentorum jactura cum bene veſtitis colluſuros eſſe. Quod ſi remotis vocabulorum ambagibus fateri volunt, induciarum nomine, nihil ſe demum quærere aliud, niſi præſentem armorum tempeſtatem declinare: cur à ſe tantopere diſcordent, ut cujus clementiam exoptant, ſuperbis illum poſtulationum articulis offendant? Itaque Legatos ex animo admonitos, atque etiam oratos velle; ut quo ipſi ſtudio connituntur, induciarum nomine Regis exercitum exarmare, eumdem conatum adhibeant, quo provinciis, pro ſua ſapientia, perſuadeant, ut aut æquiora ab Rege poſtulent, aut quæ ipſæ Regis nomine propoſuiſſet, accipiant. In id enim ſi provinciæ propenſionem ſuam ſincere ac ſerio commonſtraverint, perſancte polliceri ſe, inſeque recipere; quæ nunc jugulo obſeſſæ civitatis imminent, & quæ mox in alias atque in alias pari ſucceſſu deſtinantur arma, intermiſſo victoriarum curſu, illico deponenda. Gaviſuro nimirum Rege, quod indignationem ſuam omnes intellexerint, pauci ſenſerint.* Ergo dimiſſa iterum induciarum ſpe, ad pactionis capita examinanda reditum eſt. quorum pleraque à Terranova propoſita quum Ordinum Legati tanquam expectationi minime conſentanea rejeciſſent, affirmantes, ſi illa mitterentur ad provincias, verendum eſſe,

1579.

Maſtrick.

Reditur ad articulos pacis.



2009 Ministerio de Cultura

1579. ne viſo eorum exceſſu, ad conſilium deſperatiſſimum adigerentur: ac proinde oraſſent, ut ea moderari, ſicuti ipſi jam fecerant, ne gravaretur; Terranova, quamvis ab Rege, quem ſuper Religionis capite conſuluerat, nondum litteras accepiſſet, re tamen cum Caſtaneo, Apoſtolico Nuncio communicata, dempſit ac mutavit aliqua, votiſque provinciarum propiora confecit. Sed neque Antverpiam miſſa placuere Procuratoribus provinciarum. Itaque Cæſarei, quod viderent, concordiæ bis utrimque pactionibus tentatæ, bis utrinque rejectæ finem nullum, animis in diverſa trahentibus, unquam fore; ſuſcepere ipſi in ſe ſe onus ex remiſſo utrinque refractoque partium rigore, temperatum aliquid mediumque componendi. Sed ante audire ex Terranova viſum eſt, quo demum ipſe pro mandati ſui facultate progredi poſſet. Quatuor è multis erant, in quibus potiſſimum diſſentiebatur. Archiducis Matthiæ confirmatio, urbium aliorumque locorum in manus Ordinum reſtitutio, verborum aliquorum correctio, & Religionis Catholicæ obſervatio. Et de Religione quidem jam litteras Toleto acceperat Terranova: in quibus revocans ei Rex in memoriam, quæ tum de obedientia ſibi debita, tum de avitæ Religionis cultu, nullius arbitrio ſubmittendis, in ſecretiore commentario jam exceperat; negabat aſſentiendum Herbipolenſi Epiſcopo ſuadenti, ut Religionis arbitrium uni Cæſari committeretur. ſatius futurum, ſi ſummo Pontifici, cujus hæ partes ſunt, ejuſmodi diſceptatio reſervaretur. ſin minus, placere ſibi, ut Cæſari, ſed non ſine Pontificis definitione tribueretur. Quod autem fœderatæ provinciæ viderentur Religionem admiſſuræ, modo ea, quam vocant *Religionsfrid*, Gandavi, & Antverpiæ, præter alia, in quibus exercebatur jam loca, reciperetur; in duabus hiſce civitatibus permitti vetabat. poſſe tamen, ſpectata temporum iniquitate, hæreticos earum urbium incolas

[Margin notes:]
quos à Terranova propoſitos rejiciunt Legati Ordinum:

mutat eos Terranova:

non tamen placent.

Quatuor, in quibus præcipue diſſentiebatur.

12 *Jun.* De Religione ſervanda Philippi Regis ſententia.

*pax & libertas Religionis*

2009 Ministerio de Cultura

colas tolerari ad certum definitumque tempus, 1579.
nulli pœnarum, quæ in eos à legibus decernuntur, interim ſubjectos. Ex hac litterarum ſumma, quum Terranova, quid de Religione poſſet, Cæſareis Conciliatoribus, Apoſtolicoque Nuncio ſignificaſſet: ſimulque quid in aliis controverſis capitibus præſcriptum ſibi eſſet, aperuiſſet; illi collata opera (nam quæ primum confecerant themata pacificationis, oſtenſa Ordinum Legatis, admiſſa non ſunt) demum iiſdem Ordinibus clementiora petentibus ita cenſuerunt. *Matthiam Belgii Præfectum non quidem confirmandum, acta tamen ejus rata in poſterum habenda. Vrbes, atque alia loca tradenda Gubernatoris in manus, ſed ab eo non niſi Belgis conſignanda: qui præter antiqua ſacramenta Regi tanquam naturali Domino præſtari ſolita, fidem ſuam pro hujus pactionis obſervantia, Regi, atque Ordinibus, obligabunt.* In quibus poſtremis verbis provinciæ magnopere inſiſtebant. ſicut & illud de Belgii Præfecto, qui regii ſanguinis eſſe deberet, in hæc verba concipi volebant: *uti Rex haud poſſet, niſi gratum Ordinibus. Gubernatorem Belgio imponere.* quæ illi modico flexu ita commutarunt: *eligendum à Rege Principem, de quo ſubditi juſtam cauſam, qua ſibi ſatisfaciant, habituri ſint. Denique Religionem Catholicam* cenſuere *per Belgicas provincias unice ſervandam, uti Ordines ipſi in generali, qua appellata eſt, Vnione, ſolennibus ſe ſe verbis aſtrinxiſſent: litteriſque ad Imperatorem, ac Regem non ante modo, ſed poſt etiam præſentes turbas ſæpenumero ſcriptis, ſerio admiſſuros ſe, & curaturos polliciti eſſent. relictis interim Hollandia, Zelandiaq; atque Bommelia conventioni Gandavenſis pacificationis. tamen pro temporum neceſſitate indulgendum ſubditis, qui hiſce provinciis à Religione Catholica receſſere: permittendumque à Rege, ut liceat eis in hiſce provinciis impune degere, ceſſantibus euſque placitorum pœnis, donec aliter ſuper eorum moderatione decretum fuerit à conventu Ordinum, qui juſſu Regis, aut Gubernatoris Belgii, legitime cogantur.* Atque ad horum normam, Cæſarei duobus & viginti capitibus

Pacificatores.

Articuli à Pacificatoribus ipſis pro partibus compoſiti.

Conciliatores

Probant illos Legati Ord.



©2009 Ministerio de Cultura

1579. pitibus univerſam pacificationem iterum accurate compoſitam Legatis Regis, atque Ordinum tradidere. Et hi quidem non eam probavere modo, ſed addidit etiam ſuo & collegarum nomine Areſchotus, ſperare ſe eamdem probatum iri provinciis: quarum ſententia quoniam expectanda eſſet (tempus enim traditæ ſibi facultatis effluxerat) delegaturos ſe cum hiſce concordiæ legibus, ſuorum aliquem Antverpiam ad generales Ordines, atque alios ad eas privatim provincias, quarum Legati Coloniæ adeſſent. Qua occaſione velut oblique ſubdidit Areſchotus, conſiderarent interim Cæſarei, quum hæ ipſæ provinciæ, quæ itu redituque nunciorum conſulendæ ſint, in ſingulos dies irruptionem Hiſpanorum expectent, quam tarde, aut etiam fruſtra ſucceſſura ſint omnia, niſi eis aliquot dierum requies, atque ab armis ceſſatio concedatur. Qua de re à Cæſareis admonitus Terranova, & ſi vanum ſane provinciarum metum reſpondit, quum ſæpe Ordines aut Antverpiæ, aut Vltrajecti, aut aliis in locis tuto convenerint, adſtrepentibus circa Hiſpanorum armis; tamen mittens ad Alexandrum pactionis exemplar ſibi redditum à Cæſareis induciarum mentionem non omiſit: non tam quod ſperaret, ut ipſe ſcribit, ſecuturam inde generalem provinciarum pacificationem, quam ut gratificaretur Ordinum Legatis, in regis cauſam jam propenſioribus eorum multis. Hi autem ſi, quemadmodum polliciti ſint, ad Ordines ſcribant, probaſſe ſe quæ mittant pactionis capita, uti decora atque probanda partibus; profecto alterutrum ſperari poſſe, aut repugnantem Orangium (nam procul dubio repugnaturum) à multis deſerendum, comperta viri pervicacia adverſus publicam pacem à provinciarum legatis eo loci perductam: aut certe admittentibus ea capita civitatibus nonnullis, eoque diſcordibus, Ordinum vires imminutum iri. Atque hanc fuiſſe cauſam, cur ipſe in iis concordiæ conditionibus

*Sex hebdomadarum*

& pro eorum tranſmiſſione ad provincias poſcunt inducias aliquot dierum.

Quas non ſpernit Terranova:

*Vtrecht*

& mittens ad Alexandrum, 13 *Iul.*

exponit cur putet admittendas.

aliquan-

2009 Ministerio de Cultura

aliquanto liberalius, non ſine tamen Apoſtolici Nuncii conſilio, quantum ad Religionem ſpectat, indulſerit. Quid tamen Alexander tam de pacis legibus, quam de aliquali armorum vacatione ſentiat, ſe perlibenter auditurum. Alexander re ad Senatum relata, & ſi nonnulla è miſſis capitibus non perinde concilii Proceribus probata reſpondit, quaſi Regis, Ordinumque authoritas æquaretur, in ſacramento præſertim à Præfectis locorum in Regis, atque in Ordinum nomina concipiendo; hiſce tamen ejus prudentiæ remiſſis, ſuſpectam ſibi ait repentinam Legatorum facilitatem. NON SOLERE illos capi, niſi ſpe aliquid ante momorderint. Aut falſum animi ſe, aut Legatos ad eam ſimulationem ab Orangio inductos, ut hac demum poſt alias atque alias via, belli moram eliciant: eo ſcilicet tempore, quo tumultuante præter modum Friſia, ac Neomago, aliiſque Geldriæ arcibus male munitis, magnopere timeant, ſi in ea loca inferantur victricia Catholici exercitus arma, ne Regiis ſe ſe dedant. Hæc quanquam ſuſpicari ſe, tamen ne ſua cauſa, quæ ea cunque ſit Legatorum propenſio, corrumpatur; ſibi videri, promittendas aliquorum dierum ferias, ſed non ante tribuendas, quam ipſi conficiendæ rei poteſtatem, quam non habere ſe fatentur, ab Ordinibus accipiant. interim fortaſſe detectum iri, ſi quid fraudis mutationi eorum ſubeſt, atque inde conſilium certo capeſſendum. Vt autem tuto inter ſe provinciæ communicent abſque regiorum militum metu, præſtiturum ſe Legatorum nunciis (ne quam cauſam obtendant) teſſeras publicæ ſecuritatis: juſſis propterea Tribunis ea in re perquam ſerio invigilare. Concluditque Alexander, hæc non ita à ſe dicta, quin ſine ulla mora, quidquid Religionis ac Regis intereſſe ipſe, aut Cæſarei Pacificatores interpretabuntur, exequi paratiſſimus ſit. monens interim, ut Coloniam adventantem Philippum Marnixium (à monte

1579.

Alexander nonnullos è miſſis articulis non admodum probat:

23 *Iul.*

Et Legatorum mutationem ſuſpectam habet,

ob hanc cauſam,

& quomodo promittendæ ſint aliquot dierum induciæ exponit,

*Salvocondotto* & publicam ſecuritatem pro tranſmittendis articulis pollicetur.



2009 Ministerio de Cultura

1579.

*Non erat hic ex nobili familia Audomarensi Comitum à S. Aldegunde.*

S. Aldegundis Aldegundium vulgo dictum) ſedulo obſervaret: ab eoque, uti ab homine impie callido ſibi præcaveret. Nec ſuſpicio Alexandrum ſua plane fefellit. Etenim ubi à Terranova Alexandri ſententiam ſecuto moram trahi in paciſcendis induciis audivere Ordinum Legati, velut alii homines, non tam ſua ſponte, (ſiquidem eorum nonnulli Regis cauſam taciti probabant) quam, ut arbitror, incitatione Aldegundii, palam denunciant, eam Regiorum tergiverſationem non laturas diutius provincias: verendumque, ne, quidquid ad eam diem compoſitum ſit, momento diſſuatur. Neque multis poſt diebus, lirteris ab Archiduce Matthia, atque ab Ordinibus, jubentur Legati, Septemviros eorumque collegas adire, ac rogare, ut quoniam miſſa pactionis capita certo prævidetur, ſi provinciatim exponantur, minime placitura; ne graventur, hujuſmodi conditiones proponere, *quæ ſubditis plenam ſecuritatem, majoremque libertatem, quam quæ adhuc conceſſa eſt, animis & conſcientiis eorum afferant.* Tum vero Cæſarei ea poſtulatione ſuboffenſi, negant, alia ſe fila conquiſituros, ad eam telam redordiendam, quam tanto hactenus labore contexuerint: præſertim quum hoc ipſum nullo operæ pretio jam præſtiterint mutatis iterum à ſe capitibus ad eorum preces. Et auxerant Septemvirum, ac Terranovæ in primis indignationem, Ordinum litteræ, Cæſareis per Legatos ſuos ſignificantes, Se, niſi pax conditionibus aliis conciliaretur, in deliberatione verſari, an exuta, quam ad eum diem tenuere, obedientia, Hiſpanum Regem Belgii principatu depoſitum pronunciarent: Regiſque Galliarum fratri, Domino ac Defenſori ſuo ſacramentum dicerent, tanto tunc quidem promptius, quanto Angliæ Reginæ matrimonio mox jungendum, potentiorem ex eo Principem clarioremque ſuſcepturi eſſent. In quam ſententiam, Alenconii litteras Antverpiam ad Ordines datas, Legati exhibuere: quibus ipſe matrimonii ſui, &

Queruntur Legati ob dilationem induciarum. 24 *Auguſt.*

& Ordinum juſſu poſtulant à Pacificatoribus

hanc additionem.

Indignantur Pacificatores ob hujuſmodi poſtulatum:

& ob litteras Ordinum minantium,

ſe relicto Rege, Alenconio adhæſuros:

pacto-

2009 Ministerio de Cultura

1579.

pactorum conventorumque, quæ cum illis inierat, Ordines admonebat. Nempe abruptura colloquium erat hæc denuntiatio, commotiore ad eam Terranova, inque Ordines apud Septemviros invecto, quod tanta fiducia rebellionem, & Gallorum Anglorumque potentiam, Principi Dominoque ſuo minarentur: quaſi Hiſpaniarum Regi aliæ præter Colonienſem conventum deeſſent viæ, cum ſubditis aſpernantibus tranſigendi. Sed ſatius habuere Cæſarei, continuato interim opere, reſponſa opperiri provinciarum ac civitatum, ad quas ſigillatim ſuo ipſi nomine tranſmiſerant pactionis capita, feſtinatis in omnem partem nunciis: tum vero de finiendo, producendove conventu, conſilium ex provinciarum litteris capturi. Iamque toto fere Belgio & viæ tabellariis, & provinciæ ac civitates conſultationibus cætibuſque fervebant. expendebantur ſingula conditionum verba: apices ipſi, ut inter homines falli metuentes, ſuſpectabantur. inde ſententiarum diſſidia, & conſiliorum mora. Donec Cæſarei, expectatis aliquandiu reſponſis, ad eaſdem provincias non ſine querela reſcribunt, colloquio præfigentes terminum hebdomadarum trium: quem tamen, ad Legatorum utriuſque partis preces, alterum tantum producere gravati non ſunt. Verum quum Ordines, datis denique Antverpia litteris, & quidem aliquanto acerbioribus, nihil expediti afferrent: ſolum prorogationem temporis, & gratiores concordiæ leges à Cæſareis poſtularent: quumque civitatum aliæ ad Delegatos Antverpiæ agentes ſe referrent, aliæ oblatas conditiones præciſe abnuerent, aliæ etiam execrarentur; ſoli Buſcoducenſes, ac Valencenates, illi abſolute, quæ miſſa eſſent, pactionis capita, uti æqua ſuſcepere: hi libentius in conſimiles concordiæ leges cum Wallonibus juraturos ſe, polliciti ſunt. Quamobrem Cæſarei poſtremis hiſce collaudatis, Ordinibus autem pernegato novorum capitum temperamento;

Excandeſcente, & abrupturo colloquium Terranova.

ſed ſedatur à Pacificatoribus expectantibus reſponſa provinciarum. 5 *Auguſt.*

Provinciæ conſultant ſuper articulis ad ſe miſſis.

29 *Auguſti.*

10 *Septemb.*

Earum aliquæ prorogationem ad conſultandum poſtulant: Aliæ articulos plane rejiciunt: 12 *Septemb.* Soli Buſcoducenſes & Valencenates admittunt. 19 *Septemb.*

2009 Ministerio de Cultura

1579. Pacificatores certum ultimumque conventui terminum præfigunt.

to ; tantum produxere terminum ad Octobrem integrum : eoque jam expleto, infra dignitatem ſuam, Cæſariſque Majeſtatem rati, nullo cum fructu, ac magno cum impendio diutius Coloniæ detineri, præſertim gliſcente intra urbem peſtilentiæ metu ; advocatis ad ſe Regio, Ordinumque Legatis, diſceſſus ſui rationem verbo, mox & ſcripto reddidere. ac triduo adhuc ſuperaddito, diſſolutum poſtremo conventum pronunciarunt. Sic Colonienſe colloquium tanto Procerum apparatu, tanta ſpe populorum, votiſque ſuſceptum agitatumque, ſeptimo poſtquam cœptum eſt menſe, profectu propemodum nullo, finem habuit. culpa infectæ rei à partibus mutuo rejecta : ab Ordinibus in primis, ut fere CONTENTIVS invidiam à ſe removent, qui ſegnius evitarunt : ſecutiſque ſparſim utrinque libellis, conſueto nempe malo otioſorum plerunque hominum ſe ſe importune in partem publicarum curarum intrudentium. At Septemviri collegæque, una cum Clivienſibus Delegatis, partim in relatione Cæſari facta, atque evulgata : partim in cauſis diſceſſionis ſuæ in ipſo conventu prolatis, mox etiam editis, culpam fruſtrati eventus penes Ordines agnoſcunt : Quod cujus rei definitionem ſex intra hebdomadas illi coarctabant, ſufficiens legitimumque mandatum ad eam definiendam Legatis ſuis ad ultimum uſque diem nunquam plene dederint. quod ex vitiis, quibus illorum ſubeſſe mandatum ejus explicuerant, nullum, præter addita novo mandato ſingularum nomina provinciarum, emendaverint. quod magnam ſeptimeſtris temporis partem in induciis expoſcendis, aut in Wallonum reconciliatione interturbanda præfervide, atque indeſinenter inſtiterint : de publica vero provinciarum concordia, ad quam paciſcendam Legatos miſerant, remiſſe ambigueque, ac plane repugnanter agitaverint. poſtremo quod pactionis capita à Cæſareis Conciliatoribus propoſita, iterumque

Aliquid tamen ſuperaddunt.

13 *Novemb.* Denique conventum diſſolvunt ;

re poſt ſeptem menſium laborem infecta, & culpa ab Ordinibus in regios & à regiis in Ordines rejecta.

18 *Novemb.*
13 *Novemb.*

Sed in Ordines rejiciunt illam Pacificatores, & afferunt cauſas.

ad

2009 Ministerio de Cultura

ad Ordinum preces ita partibus attemperata, 1579.
ut vel eorum Legatis probabilia tunc viſa, mox ab iiſdem Antverpiam miſſa Ordinibus commendata ſint; ipſi tamen modo alia atque alia poſtulando, modo amplius ad conſultandum tempus expoſcendo, ſemper eluſerint. Quibus effectum, ut Regem Principemque ſuum ſubditorum obſequio, Cæſaream Majeſtatem reconciliati Belgii gloria, Cæſareos Delegatos moleſtiarum atque impendiorum pretio, &, quod caput eſt, populos optatæ tandiu pacis fructu ad extremum fruſtrati ſint. In hunc modum Cæſarei Pacificatores ſuper Colonienſi congreſſu ſententiam pronunciarunt: ac ſimul Alexandri Parmenſis Principis judicium, quod is à principio aperuerat Terranovæ Duci, de callido Ordinum conſilio, ſpecie pacificationis alia molientium, apprime comprobarunt. Nec Cæſarei modo, ſed etiam primores ex ipſis Ordinum Legatis Philippus Areſchoti Dux, Ioannes Sanctæ Gertrudis, & Federicus Marollæ Abbates, Gaſpar Grobbendonchii Dominus, & Bucho Sancti Bavonis Antiſtes, ſejuncti ab aliis collegis Antverpiam regreſſis, Coloniæ ſubſiſtentes, Regique ſuo reconciliati: capitibuſque, quæ Cæſarei propoſuerant, uti æquis, ac neutri partium aſpernandis ſua manu ſubſcriptis, Ordinum cauſam non obſcure damnarunt. Immo, quod mirum magis, Otto ipſe Comes Schwartzembergius, longe ab illo Ordinum propugnatore mutatus, Regi ſe Catholico addixit: filiumque ſuum, ut in Hiſpanicam aulam admitteretur, obtulit Alexandro, ac Terranovæ. Sed præter horum reconciliationem, Buſcoducenſium, ac Valencenatum ad regias partes acceſſus, Colonienſis colloquii fructus non exiguus demum fuit. Quod vero conſimilis nonnullarum præterea civitatum propenſio exaudiretur, juſſus eſt à Rege ſuperſedere aliquandiu Coloniæ Terranova, in eamque curam, dum interim revocaretur, incumbere, id quod ab illo ſtrenuè præſtitum, magna utique

Et Alexandri in hoc prædictionem comprobant.

Immo præcipui ex Ordinum Legatis contra Ordines ſentiunt:

*Terranova ad Alex. 18 Novemb.* ipſe etiam Comes Otto:

1579. cum magna Terranovæ laude, à Rege, *Febr. menſ.* 1580. *Gregor. xiij.* 1583. & à Pontifice non ſine remuneratione commendati.

utique approbatione non Regis modo, qui è Germania paucis elapſis menſibus illum revocans, ſtatim Catalauniæ Regno, inde Mediolanenſi provinciæ præfecit: ſed etiam Gregorii Pontificis, qui tertio poſt anno, Terranovæ filium ad Purpuratos adſcribens, habitam à ſe inter alia rationem Patris de Religione in Colonienſi conventu probe meriti, præfatus eſt. Ita Gregorius extendebat ultra aulam urbemque, trans montes ac maria Pontificias curas, ac beneficas manus. Sed hæc quamquam poſtea evenere, non tamen ſuper hujus colloquii fine lectorem alio transferre ſatius duxi. Iam me Trajecto imminens revocat Alexander.

*Maſtrich.*

# DE BELLO BELGICO

## DECADIS SECVNDÆ LIBER TERTIVS.

1579. DE TRAIECTENSI obſidione.

INter alia, quibus urbem communierant Trajectenſes, ante portam, unde Bruxellas itur, molem præſtruxerant perquam validam, portæ Parmam appellabant. Erat illa in modum propugnaculi mucronata, aggere, & lorica, ex qua defenſores jacularentur: & foſſa, quanta ſeſquihaſtæ militaris altitudinem exæquaret, præmunita. Hanc intra molem, moles latebat alia, in quam defenſores, ſi forte loco cedendum eſſet, ligneo ſe ponte reciperent, pugnamque ex eo receptu redintegrarent. nam hæc quoque interior munitio conſimili vallo, atque altitudine foſſæ tegebatur. Quin & hoc quoque ſi potirentur hoſtes, novus à tergo receptus præſto erat, triangulari foſſa,

*Rivellino* Præcipua obſeſſorum ſpes in propugnaculo, *Parapetto* pluribus receptibus munito. *Ritirata*

2009 Ministerio de Cultura

foſſa, & loricæ munimento vallatus. Hinc ad Bruxellenſem portam anguſtus aditus ponte patebat, ſuper foſſa urbis extructo. Aditum turriculæ tres, & quarta grandior portam complexę defendebant. Et, ne quid deeſſet, ſingulos triplicis hujus propugnaculi aggeres, ſudium objectu firmaverant: cæcaſque inipi cryptas ſclopetariis armatas abdiderant: furnulos per labra foſſarum occultaverant: & majorem vicinamque hoſtibus foſſam crebris foraminibus aperuerant, erupturi palam è ſummo ejus margine, aut ſubterraneo meatu improviſo in campum emerſuri. nam in campi parte foſſæ proxima ignorabiles aliquot egreſſus abſconderant. Hæc porro munitio quoniam & regiis caſtris propius admotis infeſta erat: & ea ſi defenſoribus adimeretur, in expedito fore videbatur urbis expugnatio; illuc animum operamque advertit Alexander. Et molem illi ex adverſo oppoſiturus, principio arbores è proximis ſilvis cædi, magnamque inde faſcium comportari copiam jubet: adhibitis in eam rem, præter alios, mulieribus Germanorum, quarum ingens in exercitu numerus. tum ex ea materia contextæ prægrandes oblongæque ciſtæ, noctuque contra hoſtile propugnaculum ſtatui, impactis humi palis, ingeſtaque gleba ſtipari cœptæ ſunt, aliiſque ſuper alias impoſitis, atque incurrentium nexu virgultorum, inſtar ſepis, ſolide firmatis; brevi tantus inde mons extitit, ut non ſolum Bruxellenſis portæ Parmam excederet, ſed ipſis mœnibus urbis, quaſque dicebam, portæ turribus ſuperſtaret. Quamvis ubi primum res apparebat, non ſane quieſceret hoſtis: ſed in operas modo palam ex urbe, modo è media planitie inopinatus emergeret. Quadrangulari forma moles erat, niſi quod in fronte projectior paulo intumeſcebat, ex eoque propugnaculum planiforme dictum eſt. ſingulorum laterum latitudo centum, & quindecim pedibus, altitudo centum ac triginta quinque tendebatur. frontem & vicina

1579.

*Caſematte*

*Fornelli*

*Sortite cieche*

Contra hoc molem planiformem conſtruit Alex.

materia ejus

forma:

*Piattaforma*

2009 Ministerio de Cultura

1579. vicina utrimque latera lorica cingebat texta ex cratibus, atque humenti terra, ceſpitibuſque conferta. quartum fronti oppoſitum latus ſubeuntibus patebat: per eumque aditum ſublata ſunt in molis ſuggeſtum obſidionalia ex ære tormenta tria, atque inducta ſclopetariorum ſtatio ex omni exercitu lecta. Et vero expugnationem portæ, atque inde urbis, huic maxime caſtello deberi certum eſt. Etenim, dum hinc aſſiduis, minimeque irritis tormentorum ſcloporumque ictibus & quatiebatur Parma, & ab ejus defenſione arcebantur hoſtes; immiſſæ in foſſam, pluribus è locis operæ, ſubruere propugnaculi frontem cæpere: cujus parte demum ſubruta, defenſores, ne reliqua ejus latera, unde ipſi pellebantur, Regiis uſui forent contra interiorem Parmæ munitionem; eodem tempore, actis furnulis, ac feſtinatis operibus, ea ipſimet demoliri, quæ modo defendebant, & regii defendere, ne hoſtes ſua corrumperent, nitebantur. Sed corrupta pleraque laterum parte, atque adeo valli & loricæ opportunitate Hiſpanis ademta, in eum, qui à tergo erat, Parmæ receptum confugerunt hoſtes: ac ſimul eundem in locum, quem iſti coacti deſerebant, inferentes ſe ſe Hiſpani, è ruinis disjectorum laterum elato utcunque aggere, in foſſam, aperto aliquot in locis à foſſoribus aditu, irruperunt. ac nonnulla quidem ſuorum jactura, in quos è muralibus cryptis collineabatur, tamen foſſa ad extremum potiti, ſuffoſſionibus aggreſſi ſunt Parmæ receptum: atque adjumento in primis planiformis propugnaculi in præſidiarios aſſidue fulminantis, pulſis ex hoc quoque loco defenſoribus, in eum quamvis magna ex parte dirutum Hiſpani ſucceſſere. ibi communiti adverſus ultimum Parmæ perfugium, foſſionum pugnam ex eventu alacres adornant. nec tamen præſidiarii, licet inter eas munitionis anguſtias contracti, idcirco animos ferociamque contrahebant. Sed novo ſubinde aucti oppidanorum auxilio, quod ex urbis

Præſidiarii.

Diruunt externum propugnaculum Farneſiani:

& ipſi quoque defenſores:

Potiuntur illo Farneſiani

Gaſematte & invadunt internum propugnaculum.

& expugnant.

Invadunt & tertium.

2009 Ministerio de Cultura

ex urbis portâ ponte conjuncta ſubmittebatur, 1579.
defenſionem confidentius agitabant. Donec Alexandri juſſu, quatuor muralibus tormentis ex uno pontis latere, totidem ex altero, non procul à foſſæ margine collocatis, intercidi tranſitus ex urbe in receptum portæ, (gulam vocant) & carpi decutique pinnæ turrium, quæ portæ aderant, cœpta ſunt. Tunc defenſores, relicto hoc demum receptu, ac ponte propere tranſmiſſo, ſed utroque quantum potuere corrupto, ad propugnandos muniendoſque urbis muros accurrere. Sic triplex illud, tantumque, ac toties renaſcens, velut hydra, propugnaculum, multis utrinque ſuffoſſionibus, cuniculis, furnulis, in fruſta conciſum diſperſumque, humi denique jacuit, evanuitque: magno Hiſpanorum fructu, qui parma hoſtem exarmaverant; majore, ſi molem ſtantem, & tanquam inimicum potius vivum, quam emortuum nullumque, cœpiſſent. Tunc vero Alexander admotis ad urbis foſſam militibus, diſpoſitiſque in foſſæ margine, à Bruxellenſi porta ad dexteram Sancti Servatii turrim, paſſus ſcilicet trecentos: atque ab eadem porta ad lævam, paſſus ferme centum quinquaginta, aperiri complura in iis locis ora in foſſæ fundum, atque inde muros attentari, ſubruique juſſit. Quod eo facilius factu erat, quoniam ejus portæ turres portamque ipſam Hiſpani jam obtinebant, munierantque: atque adeo ab eo latere lædi eorum operæ, bellatoreſque non poterant. Igitur in foſſam irrumpentes, poſt acrem in ea pugnam multo defenſoribus iniquiorem, quod è portæ turribus, in quas importata erant campeſtria tormenta duo, hoſtes tuto feriebantur; acceſſere cum operis ad muros, imamque eorum declivitatem tribus ſimul cuniculis aggreſſi ſunt. Quibus poſtmodum incenſis effractiſque, ac multo magis foſſorum opera murum terreum ſubtrahentium, tanta non procul à Servatiana turri ſecuta eſt mœnium ſtrages, ut in eam inſilientes Farneſiani communire late

*expellunt inde quoque præſidiarios:*

*& triplici demum propugnaculo potiuntur.*

*Muros oppugnant:*

*Ad foſſam accedunt.*

*Pugnatur in ea.*

*Scarpa*

*ſubeunt muros:*

2009 Ministerio de Cultura

1579.

Picente omnium primo vexillum muris imponente:

ex Rocca contrada

late locum, ibique copias explicare abunde poſſent. primo vexillum regium è muris attollente Camillo Mannellio Picente, magni animi ſignifero: quem propterea Alexander tunc quidem torque aurea, poſtea vero, quod promptam viri operam ubique probaret, ducentorum Wallonum centurionatu donavit. Interea è defenſoribus miles haud gregarius deſperata, opinor, Trajecti defenſione, ſive præmii ſpe, noctu tranſmiſſo urbis muro, profugit ad Alexandrum: & quo res loco Trajecti foret, quæ conſilia oppidanorum, quæ militum, enucleate ac vere patefecit, affirmans, Poſt expugnatam dirutamque Bruxellenſis portæ Parmam, ac poſt exciſas ejus munitionis fauces, captaſque portæ turres, aliam jam eſſe urbis faciem. cecidiſſe in eo conflictu ex præſidiariis oppidaniſque non pauciores mille, præter ſaucios. inter eos Sebaſtianum, accepta intra lacertum pila, dubium vitæ habitum, ſed extracto plumbo convaluiſſe. præſidiarios Gallos, Angloſque, & Scotos, qui ſupra mille ac ducentos Trajectum intraverant, ad quadringentos omnino redactos: horumque permultos ex vulneribus pugnæ invalidos: reliquos in defendenda urbe remiſſiores, amiſſis ſociorum fortiſſimis, ac præſertim primariis Centurionibus ſeptem, ſupremo cunicularioorum præfecto, ac paris inter cunicularias authoritatis, earum magiſtra. Itaque illos, Gubernatore adito, de reddenda urbe ſerio agitaſſe. ſed oppidanos, quorum multa armatorum millia, per quam ferociter reſtitiſſe, à primariis hæreticorum, qui in urbe dominantur, obfirmatos. populumque omnem, cives, ruſticos, mulieres, pueros ipſos, ſumptis adverſus præſidiarios armis, juraſſe, Si ea de re verba iterum facerent, extemplo ſe in illos, uti in proditores, manus illaturos. animatoſque milites à Sebaſtiano certiſſima ſpe auxilii ab Orangio feſtinandi, cum civibus conveniſſe, firmata invicem fide, ad urbem ſe extremum uſque ſpiritum defenſuros.

Transfuga aperit Alexandro ſtatum civitatis,

& multorum necem,

& præſidiariorum conſilium dedendæ urbis,

ſed mutatum verſumque in

ea reparanda,

2009 Ministerio de Cultura

ſenſuros. Inde reficiendis mœnium ruinis, parandiſque novis intra mœnia receptibus, certatim operam adjeciſſe. Spem vero multo maximam collocaſſe in interna contra Bruxellenſem portam munitione: quam pridem incœptam nunc ſumma feſtinatione, inſudantibus die noctuque multis hominum millibus, illatis octo curulibus tormentis, abſolviſſe: adjecto poſt tergum aggere, primi ſtabilimento, aut effugio ſecundario. Hæc narrantem militem audiens Alexander, agnovit, internam munitionem eam eſſe, quam è muri ruinis Hiſpani jam detexerant in ſemilunæ ſpeciem ampliſſime protenſam, magnis hinc atque hinc lateribus firmam, ac foſſæ triginta cubitorum, ut poſtea compertum eſt, altitudine præſeptam. Igitur ad eam expugnandam imponere foſſæ urbis pontem; ac tormenta ſuſtollere in murum ſtatuit. Id vero quum arduum tardumque opus pleriſque videretur: nam foſſa non minus quadraginta cubitis alta, totidemque fere lata jungenda erat ponte muralium tormentorum patiente, in oculis hoſtium è ſemiluna aſſidue jaculantitium; Alexander pauca verbis, plura manibus hortatus, ligonem cum foſſoribus tractare, trabes ſtruendo ponti fiſtucis adigere, tractorias machinas ad ſubvehenda tormenta verſare: denique ipſe militibus, ipſe fabris immiſtus curſitare huc atque illuc, tanta ſui fiducia, & cupidine feſtinandi, ut nec miles, qui lateri ejus hærebat, hoſtili trajectus plumbo: nec faber una machinam tractans, ferrea pila diſcerptus, ab opere illum ante dimoverint, quam ſecuta Ducis exemplum contentione militum, pons injectus foſſæ, grandia tormenta decem in murum protracta, atque in ſemilunæ propugnaculum obverſa fuerint. Sed dum ea ſecuritas impune Alexandro Principi erat, ſua Ægidium Comitem Barlamontium cautio tutata non eſt, quin eodem tempore ictu glandis exanimatus occumberet. Adeo non ex vano obſervatum, curæ eſſe Deo Principum vitam: quaſi NON MAGIS

1579.

ac potiſſimum in interna ſemiluna.

Hanc Alexander expugnare parat.

Et præit ipſe operi,

magno cum diſcrimine,

& nimia ſui fiducia.

Barlamontii mors:

2009 Ministerio de Cultura

1579. MAGIS cordi in homine, quam Imperatori in exercitu, noviſſimum mori datum ſit. Subſtiterant in muro ſemilunæ continuo aliqui præſidiarii: atque inde hiſpanorum militum, fabrumque interturbare operam adnitebantur. ad eos avertendos Barlamontius, directis in foſſæ margine binis campeſtribus tormentis, dum libratores inviſit urgetque, quamvis aggere tegeretur, emiſſa ex eo, quem dicebam, muro ſclopetarii pila, per ſiniſtrum humerum trajectus in dexterum latus, ſubito concidit, expiravitque, majori exercitus regii jactura, quam luctu: quippe nondum extincta penitus invidia, ob honores in patrem ejus ab Rege congeſtos, &, poſt obitum patris, in ipſum pari facilitate collatos. Quamquam muneribus uterque ſuis haberi par debuerat, ſi INVIDIA ad felicitatem unice intenta ad merita non cæcutiret. Quinque ſupremis Belgii Præfectis operam ſuam peræque probaverat Barlamontius, præliis prope omnibus legionum: ductor interfuerat, regias partes à patre ſibi traditas patre bellicoſior perpetuo propugnaverat: vir impenſe cautus proviſorque, ſed conſilii plus nimio tenax, & propoſiti irrevocabilis: cetera ſplendidus, atque Alexandri in primis cultor, & admirator. Vt merito Alexander mortem ejus, uti amiciſſimi capitis, indoluerit: fratreſque Florum Flojonem, & Claudium Altapennium ſolaturus, in hunc Carolomontii adminiſtrationem, in illum Namurcenſis provinciæ Præfecturam, Germanorumque Tribunatum, quæ Barlamontii fuerant, donec aliud ſtatueretur ab Rege, ultro contulerit. Ergo diſpoſitis, quæ deſtinata erant ad invadendam ſemilunam, Alexander, adorato (uti ante pugnam conſueverat) Dei Numine: adſcitoque in tutelam ejus diei, Præcurſore Domini, cujus naſcentis memoriam lux illa referebat; dari ſignum jubet: ſimulque tormentis quati, ſimul foſſore ſubrui cœptum eſt ſiniſtrum ſemilunæ cornu, Servatianæ turri obverſum. cujus exæquata jam

[Margin notes:]
Elogium ejus.

*Margarita, Albanus, Requiſenius, I. Auſtriacus, Al. Parmenſis.*

Alexander, poſt propitiatum Numen, iuvadi jubet ſemilunam: *24. Iun.*

2009 Ministerio de Cultura

jam parte, atque inde ſtrato per ruinas acceſſu, dum hi præpidi ſigna inferunt, illi connixi repellunt; conſerta cominus pugna, atque adeo mortis aut inferendæ, aut ſubeundæ neceſſitate coacti, collato pede ſinguli privatum ſibi inimicum deſtinantes, haſtas in pectora, gladios in ora dirigunt: mox cæci ira, & vindictæ cupidine abalienatis à periculo ſenſibus, in ferientes irrumpunt, avidius hoſtem ſauciantes, quam ſemet tegentes: tum impliciti omnes coacervatique acceſſu aliorum hinc atque hinc opem afferentium, mutuis ſeſe vulneribus confodiunt, obſtinatis uſque adeo utrinque animis, veſtigiumque ſemel captum nonniſi morte deſerentibus, ut ad duas circiter horas, ancipiti eventu, certamen extractum ſit. Sed poſtquam in altera ſemilunæ parte tormentis concuſſa, ſubjectiſque fulturis aliquandiu ſuſpenſa, & in urbem denique revoluta, ſcandentes Hiſpani apparuere; trepidari à defenſoribus cœptum eſt. præſertim eodem tempore, Sebaſtiano muralis ictu lapidis exanimato, atque è pugna palam retracto. tantoque acrius incumbentibus regiis, illi relato paulatim pede, toto demum propugnaculo cedentes, in proximum ſe ſe aggerem, ultimam naufragii tabulam, ejecere. Neque tunc quidem, quum intra urbis paulatim cadentis mœnia hoſtem haberent, cadebant animis Trajectenſes. Immo quum Alexander, qui urbem Regi ſervare, quam irato militi permittere malebat, caduceatorem miſiſſet, qui Trajectenſibus parte urbis jam exutis, reliquæ partis deditionem ſuaderet, admoneretque illos fortunæ ſuæ: ut, quando ſat multa pugnacis animi documenta, dum urbs defendi potuit, ediſſent; poſtremum actum neceſſitati concederent: neque contumaciæ inſiſterent, quam frangere in manu victoris eſſet; Trajectenſes, opera præſertim concionalium hæreticorum, uſque adeo contemptim, furioſeque hominem rejecerunt, ut nondum eo digreſſo, ad agge-

1579. Conſeritur anceps & cruenta pugna.

cedunt denique ſemilunam defenſores,

nec tamen animis cadunt:

immo nuncium Alexandri miſſum ad ditionem ſuadendam,

ſuperbe rejiciunt;



2009 Ministerio de Cultura

1579.

& aggerem, ſupremum perfugium ardentius inſtaurant.

gerem poſt ſemilunam relictum procurrentes, novas in eo munitiones certatim extruere aggreſſi ſint: auctiſque etiam per reliqua urbis mœnia ſtationibus, ibi cibum, ibi ſomnum, mulieribus alimenta perferentibus, immoti caperent. Verum, ut morientium vires ſupremo in actu intenduntur, mox concidunt: ſic ardor ille animorum incitatius tunc quidem efferbuit, ac vires exprompſit; brevi tamen elanguit, reſeditque.

Regii, ob Alexandri abſentiā morbo correpti, languidius agunt.

Unde ſegniores quoque fiunt Trajectenſes.

Quæritur Alexander è lecto cum Tribunis ſuper hac remiſſione ſuorum.

Quum enim ex Alexandri abſentia, qui poſt præliarem Divi Ioannis diem, violenta correptus febri decumbebat, multum inter regii exercitus Duces remiſſum eſſet; ſecuriores id effecit, indiligentioreſque in ſervandis excubiis, & conſerendis præliis Trajectenſes: Sebaſtiano præſertim abſente, qui ab eodem quoque Divi Ioannis die, ex vulnere quotidie ingraveſcente, wicchæ curabatur. At poſtquam Alexander, qui e tentorio quotidianas belli curas non omittebat, accito ad ſe Mansfeldio caſtrorum Præfecto, cum aliquot Tribunis, queſtus eſt, tantum laxamenti hoſtibus dari, exercitumque tot tantarumque molium expugnatorem, circum aggerem unum dies complures hærere: atque à potiunda urbe, quam jam intraſſent, objectu modico tumultuarii ſepimenti tandiu arceri; mandavit, eam moram, qua miles ſatis jam peccaſſet, conſulto verterent in hoſtium perniciem: in eoſque tacitis velut induciis ſegniores, ſubita nec expectata illis impreſſione conſurgerent. Cum hiſce mandatis convenere primarii quique Duces apud Mansfeldium, collatiſque capitibus decrevere, poſtero die, qui Principi Apoſtolorum ſacer erat, quanta vi poſſent, munimentum aggredi. Animatiſque inde militibus non tam ad certamen ineundum, quam ad fructum tot ad eum diem certaminum capeſſendum; juſſi ſunt excubitores vallum noctu ingredi, atque hoſtium curas, & colloquia (nam hæc quoque è ſtationibus exaudiebantur) obſervare. Forte ex iis ſpeculatoribus, Hiſpanus rima grandiore obſervata in

Interim Hiſpanus miles per aggeris rimam ingreſſus. *Alonſius Garſia*

2009 Ministerio de Cultura

1579.

in aggere, quem paucis ante diebus apertum non ſatis reparaverant defenſores; tantum hinc, atque hinc terræ ſubtraxit, quantum ampliato foramine, audactèr ſe in ſepimentum penetravit. Tum circumferens oculos, inalbeſcente jam cælo, quum nullas inibi vigilias, circitorem nullum videret, ſed ſtationarios procul ab eo loco ſparſim humi ſtratos, ac ſomno prægraves; illico regreſſus Tribunos admonet, atque hi Alexandrum: qui eos hortatus, occaſioni ne deeſſent, ſed auſpicatiſſimo in die, aperiente urbem Petro, vindicemque gladium porrigente Paulo, ſequerentur longe quam ſe meliores è cælo Duces; confeſtim remiſit, paucis pro tempore monitis inſtructos. Tum vero Regii nihil morati, ordinibus ſilentio motis, ſumma vi in aggerem vadunt, ac partim ſuffoſſum intrant, partim ſcalis tranſcendunt: accurrentibuſque hinc atque inde defenſoribus, pugna committitur, qualis eſſe ſolet inter aggredientes, animoque firmatos, atque inter inopinantes, ac perculſos. Pauci Gallorum ſuſtinere impetum irruentium: plures, tanquam deſperata urbe, pontem, & wiccam circumſpectare: omnes cunctari magis, quam reſiſtere. Sed ad famam penetratæ urbis, advolantibus certatim aliis aliiſque è vicinis caſtris, abrupta omnis cunctatio eſt, ac ſecuta ſtrages tanto militum furore, ac cædis aviditate, quanta raro alias in hujuſmodi excidiis urbium legi ſolet. Quippe Hiſpani ſuper alia obſidionis mala, memores acceptæ à Trajectenſibus cladis, in qua nemo non propinquum amiſiſſet aliquem, aut amicum, contubernalemve; privatum dolorem impotenter ultum ibant: &, ut plures quaſi victimas commilitonibus ſuis mactarent, in omnes laxato iræ furorique freno promiſcue ſæviebant: in mulieres autem tanto inclementius, quanto & ipſi turpius ducebant à debiliori ſe læſos: & illæ viros licentius profeſſæ, debitam ſexui clementiam ſibi præripuerant, quin etiam auſæ per urbem, intempeſtiva nempe

Obſervat negligentiam vigiliarum & præſidiariorum, *Sentinelle Ronda* & rem ad Alexandrum defert:

qui ſuos animat.

& ipſi in aggerem vadunt, pugnant:

urbem intrant.

iram in Trajectenſes explent

in mulieres inclementius,

at illæ etiam in morte feroſciunt.



2009 Ministerio de Cultura

1579.

ferocia, ad defenſionem cadentis patriæ viros incendere: aut è feneſtris, ac tectis nunc ingentia ſaxorum pondera tegulaſque, nunc ebullientes aquas, & fervefactas arenas in ſubjectos devolvere; authores fuerant, ut ab artificum ruſticorumque globo reſtitueretur aliquot in locis prælium, præſertim in area Servatiana, u-

Vnde major victorum rabies & promiſcua in omnes cædes:

bi Bolſius Germanorum Centurio ictus interiit. Ex quo aucta milites rabie, conſumptaque omni miſericordia, ſcrutati per domos mulieres juxta ac viros, è feneſtris tectiſque præcipites agebant: aut nacti per vias quoſcunque vel puberes, & imbelles, obtruncabant: aut, ulti mor-

*Cavalca & alii capti & ſubmerſi.*

quam Duces inter ſe diſcordes non reprimunt, *Mansfeld. Gonzaga.*

tis genus commilitonibus à Trajectenſibus illatum, in amnem Moſam, ſuper alium, alios intorquebant. Nec ſatis militum ferociæ moderabantur ii, queis ab Alexandro commēdata urbs fuerat, Mansfeldius, & Gonzaga, jam pridem inter ſe diſcordes: quod ille, vetus ſub Carolo Quinto ordinum ductor, honorem ſibi à Gonzagæ inventa depoſceret: hic favore Hiſpanorum tumidus, ad eam formam à Belgis obſe-

Miſera Trajecti facies.

quium expectaret. Et ſane fœda, nec verbis æquanda urbis calamitas erat, quum omnia armorum ſonitu, clamoribuſque terrentium aut paventium, miſto ejulatu muliebri, ac puerili comploratione reſonarent: paſſim per vias ac fora ſanguinis rivi, & variæ morientium formæ, & amputata adhuc ſpirantium hominum membra viſerentur. Nuſquam tamen, quam in

præſertim in ponte: *Wicca.*

ponte, quo Wicca Trajecto jungitur, crebrior aut miſerabilior cædes fuit. Etenim quum Sebaſtiani conſilio, qui vel capto Trajecto defendi ſuburbium poſſe crediderat, aſportatæ in il-

quem, ut in Wiccam Trajectenſes confugiant, eo uſque complent.

lud eſſent pleræque Trajectenſium opes, eoque honeſtiores quique, & præſidiariorum multi confugiſſent; reliquam multitudinem, deſperata defenſione, illuc fuga rapiebat. atque, ut ex omnibus urbis partibus viri mulieresque cum parvis liberis eodem confluebant,

ibique obtriti.

pontis anguſtiis haud accipientibus eam acervatim irruentium turbam, multi mortales & in adi-

2009 Ministerio de Cultura

1579.

aditu colliſi, & in conatu progreſſuque, dum alius alium trudit, à valentioribus obtriti expirabant. crevitque ſtrages effracto ponte. Veriti enim Wicchenſes, ne hoſtes oppidanis immiſti ſuburbium irrumperent; penſiles trabes inter extrema marmorei pontis, & wiccam projectas, illico interciderunt: ignarique, qui conferti citatique procedebant, ut erant impetu delati, in amnem devolvebantur. neque qui pone inſtabant, animadverſum periculum effugiebant, impulſi ab iis, qui & ipſi, uti fluctus fluctu premitur, urgebantur. Mortuorum eo die numerus, quos aut flumen hauſit, aut ferro in ingreſſu victor abſumpſit, non facile definiri primum potuit: deinde tamen non fuiſſe quatuor millibus pauciores, (quippe multis, præter eos, qui initio apparebant, repertis domi jugulatis) Comes Maſius à ſecretis Principi, rerumque quæ in dies agebantur, obſervator apprime fidus, & prudens æſtimator affirmat. cujus etiam viri teſtimonio non dubie coarguuntur, qui ſcripſere, Gubernatorem urbis Swarzemburgium Heerlenſem, coqui habitu eluſiſſe Hiſpanorum manus. quod licet ejus vitæ non ſatis militariter actæ convenire videatur, tamen exploratum ſibi ait, in Servatiano foro, quo redintegrata non leviter pugna, ipſe haſtatus cum multis accurrerat, ſtrenue dimicantem interemptum fuiſſe: nec agnitum in eo tumultu, cumuloque cæſorum, in flumen projectum, Gubernatoris uxor retulit Alexandro, nec ementitam vir ejus nuſquam exinde repertus oſtendit. At non par animus fuit Manzano Centurioni: quem, uti nationis hiſpanæ dedecoramentum (quinque enim annos pro Orangio non inſtrenue arma geſtaverat adverſus Regē) ipſa ſtatim in urbem irruptione perveſtigarunt avidiſſime Hiſpani, inuſtam nomini ſuo maculam per ſe deleturi. tandem inter tectum & lacunar, non ſane ex prioris vitæ ferocia latētem, ab Alfonſo de Solis populari ſuo repertum, extractumque aliorum accurſu in publicas vias, inſe-

aut in amnem prolapſi paſſim pereunt.

mortuorum numerus.

*In relatione ad amicos 11 Jul.*

*Meteran. l. 9. & Iſſelt. in hiſt.*

Mors Gubernatoris.

*Comes Maſius*

& Manzani deſertoris.

*Ant. Herrer. l. 9 Hiſt.*

*ex Occania uterque fuit.*



2009 Ministerio de Cultura

1579. infeſtas inter haſtarum cuſpides juſſum decurrere confoderunt. Plane ut ex hujus, ac Heerlenſis exitu intelligas, & DESERTOREM raro fortiter finire: & IN NOBILI pectore generoſos ſpiritus torpere magis, quam non eſſe; injecta vero neceſſitate expergiſci. Interea Wicchenſes, quum ſe hinc Hiſpanis è capto jam Trajecto imminentibus, inde urgenti aſſidue Mondragonio impares viderent: ac ſperarent oblata deditione clementiora, quam quæ Trajectenſes paterentur; agitare inter ſe de ſuburbio dedendo cœpere, diſcordibus tamen conditionibus, quod Sebaſtianus ante omnia ſuo ac militum decori, oppidani propriæ incolumitati præcautum vellent. hiſque pervincentibus (namque ille affixus lecto minus audiebatur) dum ea ſuper re, cum Mansfeldio & Gonzaga diſceptatur; repente in Tranſmoſanis Mondragonii caſtris rumor ſpargitur à Burgundis ortus, Hiſpanos Wiccam ingreſſos omnia depopulari. ſive ſuſpicio ea fuit ex reſtituto ad colloquium ponte: ſive fictus à milite dolus, quo colloquium interturbarent, atque in ſuburbii præda Ciſmoſanis commilitibus anteverterent. Certe arrepta res eſt. ac dum oppidani conſultant, uſi opportunitate milites, (ſeu decipiebantur, ſeu decipi volebant) non expectato Mondragonii imperio, ſibi quiſque dux, & ſua cuique cupiditas, in muros pleriſque defenſorum ad audiendas deditionis leges converſis, inſiliunt: portam ad Sanctum Ruirinum obtruncatis excubiis revellunt, ſocios accipiunt: ſparſique per interiora ſuburbii, terrorem, ac cædem inferunt. Id autem ubi Ciſmoſani milites videre, furore acti, quod Trajectenſium opes, Trajecti expugnatoribus præriperentur ab otiatis trans Moſam Mondragonianis, dirempto colloquio, tranſmiſſoq; ponte Wiccam frequentes irrumpunt, novo terrore miſeros complent. Hic vero, quamquam prædæ magis, quam ſanguinis cupido erat, & Tribuni ab Alexandro increpiti promiſcuam illam ſtragem inhibuerant; tamen Gal-

Wicchenſes populationem veriti, de ſuburbio ſuo dedendo agunt.

Sed interea Wiccam irrumpunt Tranſmoſani milites Mondragonii. Oppidani

*Leproſorum locus*

Idem faciunt & Ciſmoſani.

& dives ſuburbium ſimul omnes deprædantur.

2009 Ministerio de Cultura

Gallorum aliquot, Anglorumque manipuli pugnam auſi, irritavere Victorum animos. illiſque, & præſidiariis ferme omnibus interemptis, ſpargebatur in omnes late cædes: niſi Ducum interventu factum eſſet, ut mulieribus pueriſque, ac reliquis ſe ſe dedentibus parceretur. At longe alia Sebaſtiani ſors fuit. captus enim, atque ad Alexandum, ut is mandaverat, deductus perhumaniter exceptus dicitur, admiratione militaris induſtriæ: impenſaque perdiligenti curatione, Limburgenſem in arcem eſt amotus. ubi paulo poſt recrudeſcente vulnere, ſive, ut aliqui ſcribunt, ſclopo appetitus, interiit, magna ſane portio Trajectenſis internecionis. Iam vero ſecuta cædem populatio dies plures tenuit, par ſcilicet urbi, vel ſolis panni opificibus paulum infra decem millia frequenti: commercioque rerum, quæ in Germaniam exportantur, aut importantur inde, quæſtuoſiſſimæ. quæ omnia victoriæ additamenta fuere. Conſtat, militarem prædam ex domeſtica ſupellectili, venalitiiſque mercibus, atque ex redemptis pretio oppidanis, palam quidem partam, (nam multa, nox & tumultus involvit) longe decies centena auri millia exceſſiſſe. Sane Leodii, Aquiſgrani, Cliviæque, perſolutum pro captivorum redemptione, præſenti pecunia ſupra ducenta auri millia certum habeo. Gliſcebatque in dies militum avaritia per officinas atque apothecas, ſi quid reliqui foret, corradentium, mortemque, niſi abditas opes miſeri exponerent, comminantium: adeo, ut reperti, qui deſperatione vitæ, quaſi monſtraturi conditæ pecuniæ locum, protinus è torquentium manibus elapſi, de ponte ſe ſe projicerent, invitantes, ut ſe ſequerentur, expleturi inexplebilem pecuniæ ſitim. duravitque populatio, donec Alexander edicto propoſito vetuit; *Ne quis in exercitu regio, cujus illecunque nationis poteſtatiſve ſit, audeat ab eo in poſteros die, Trajecti ſuburbiive domos diripere, habitatores capere, captos ad redemptionem cogere, injuria*

1579.

Sebaſtiani exitus.

*Coſmus Maſius in relat. 11 Iul.*

Tridua Trajecti depopulatio,

*drapiers vocant*

quanta:

*ſupra millionem*

*Idem ibidem*

quamque avare exercita:

*Eques Rinald. qui interfuit.*

coercet illam tribus edictis Alexander.

 *damnove*

2009 Ministerio de Cultura

1579. *damnove afficere. immo relictis, quas ad eam diem injuſſi inſederint, domibus, ſuum quiſq; ad contubernium in caſtris ſe recipiant, nihil earum rerum, quæ domi fuerint, aſportantes: niſi facta ad eam rem à ſupremo Belgii Præfecto, aut à deſignato Gubernatore Trajectenſi poteſtate: capitis pœna ex edicti violatoribus illico ſumenda.* Præterea vetuit; *Ne quis domos, bona, perſonas ſemel redempta, novæ iterum redemptioni ſubjiciat: neve à captivis, præter impoſitum primo tributum, quidquam ſive alimentorum, ſive rerum quarumcumque aliarum rurſum exigat. ſecus facientes & tributi jactura, & perſevera animadverſione plectendos.* Denique mandavit; *Quicunque mulierem, puerumve apud ſe detineat, confeſtim in domum remittat ſuam: aut dicendam ad cauſam accedat, quo eam, eumve jure non remittat neutrum qui fecerit, ut neglectæ diſciplinæ reum, pœnas extemplo daturum.* Sic denique Trajectum quarto obſidii menſe captum expugnatumque eſt, octo circiter millibus ſuorũ toto eo quadrimeſtri tempore deſideratis. cenſu tanto quidem miſerabiliore, quanto illum & mulieres non pauciores mille & ſeptingentis confecere. Porro magiſtri præconeſq: hæreticorum, quos ad ſuſpendium quæri potiſſimum juſſerat Alexander, pleriq; deſperata fuga, furioſe ſe in amnem, ipſimet ſui carnifices, projecere. Non tamen hæc victoria incruenta Regiis parta eſt, amiſſis bis mille ac quingentis militibus: ſeptem ac triginta Centurionibus, ſupremo rei tormentariæ Magiſtro, & honorariorum militum ductore. Quin & ipſe Imperator, quam prope fuit, ut præter omnium opinionem, victoriæ ſuæ immoreretur? Nam perlevis initio credita eſt febris: ſinebatque illum intra tabernaculum, curis intereſſe belli, ac mandata epiſtolaſq; ſubſcripto nomine tranſmittere: uti poſtremo fecerat in nunciis victoriæ deſtinandis, ad Regem quidem in Hiſpaniam, Tribuno Mondragonio; ad Gregorium vero Pontificem, ad Octavium, & Margaritam parentes, atque ad alios per Italiam Regulos, ac regios Adminiſtros, Centurione Hercule Magno. Dein tamen

*Franciſcus Monteſdoca*

In obſidione Trajectenſi numerus mortuorũ ex Trajectenſibus:

*Inter hos centuriones fuere Hiſpani viginti duo.* & ex Regiis: Nec Alexander longe abfuit à morte. *Ægid. Barlamontius. Fab. Farneſius.* Primum levi febre corripitur. deſtinatque ex lecto nuncios victoriæ ad Regem, ad Pontificem, & ad alios.

2009 Ministerio de Cultura

tamen increvit immodice malum, promptis in cute ſignis vitiati ſanguinis ex attracto, mota humo, peſtilenti ſpiritu, continuatiſque ſub dio, atque humenti in ſolo noctibus inter operas, quarum laborem non magis exactor intendebat, quam particeps allevabat. Itaque à ſpe vitæ deſertus, & jam ſupremis intentus, evocato ad ſe regio ſenatui adminiſtrationem belli paciſque, quamdiu ipſe decumberet: & ſuper hoc, ſi aliud ſibi humanitus accideret, quandiu placitum Regi, confectis legitime tabulis attribuit. Exinde averſatus humanas curas, expiata iterum à noxis per confeſſionem anima, (nam quo primum die lecto teneri cœpit, ante alia in id incubuit) ac Cæli Pane ad ſubita morbi confirmatus; nihil jam propius erat, quam ut ultimæ mortalium neceſſitati concederet. Acciditque poſt hæc aliquid memoratu ſane dignum. Nam quum peſtifero jactatus æſtu deliraret, inter varia, quæ militariter inſaniens effundebat, erectus paulum è ſtrato, Gaſparem Roblæum ac I. Baptiſtam Taſſium ex adverſo intuens, *Quid vos*, inquit, *hic moramini? An non videtis Wallones Germanoſque, verſis in ſe ſe armis, prælium conſerturos? Abite hinc præcipites, mutuæque noſtrorum cædi antevertite.* Illi, ut Principi obſecundare viderentur, abiere. vixque Trajectum intraverant, quum ad arma pulſari tympana, magno in forum accurſu, audiunt: properanteſque, vident Germanos, atque Wallones (nec erant quatuor hominum millibus pauciores) directa utrinque acie, ob incœptam in Wicchenſi ſuburbio litem inter paucos, mox acceſſu plurium, tanquam ad nationis decus injuria pertineret, exaſperatis animis, de ſumma rei, infeſtis armis, decernere jam paratos. Tum Billius, Taſſiuſque medios ſe ſe inſerunt, miniſque & authoritate incercedentes, recipienteſq; in ſe controverſiam dirimendam, aliorum præſertim interventu, diſcordes deniq; legiones complacavere. admirati enimvero, veneratique præſens propitiumque regiis militibus

1579. mox ingraveſcit, & deſperata valetudine, adminiſtrationem cedit regio ſenatui: ſeque ad mortem pie comparat. Mira delirantis Alexandri divinatio. *Billii Dom.* Germanorum atque Wallonum acies certaturas dirimunt, componuntque Billicus, & Taſſius.



2009 Ministerio de Cultura

1579. Dei Numen, qui furentis ac vaticinantis ore præmonere voluiſſet, unde miſerabili tot fortium virorum ſtragi mature caveretur. Sed de Alexandro, intendente ſe in horas morbo, triſtes interea nuncii ferebantur. Iamque illum obiiſſe per exercitum rumor evulgaverat: apparuitque eo quidem tempore, quo RES IN exitu æſtimantur: & QVVM abeunt ex oculis, tunc videntur, quæ militum in eum caritas, quive ſenſus. eæ enim voces exaudiebantur tabernaculum ejus obſidentium, atque Imperatorias virtutes certatim, nec ſine lacrymis prædicantium, plane ut frui jam tum poſſet Alexander fama ſui, & poſthuma de ſe hominum judicia prælibare. Senſitque adhuc gratius ſuorum ſtudium æſtimationemque, quum præter omnium ſpem, ſuppuratione perrupta, periculo defunctus, ac firmatis utcumque viribus, Trajectum intravit. Id enim non privatim, quemadmodum ille deſignaverat, ſed triumphali prope pompa, uti milites evicere, peractum eſt. Namque ab Alexandri tabernaculo, quo denſatis ordinibus cuncti (non pauciores viginti bellatorum millibus) convenerant, Trajectum verſus, in turmas, centuriaſque diſtributi, gradario agmine proceſſere, ſagulis, torquibus, galeiſque plumantibus, pro cujuſque copia perornati. Tum interiores aulici, aſſeclæque, & nobiles è contubernio Principis ſequebantur. Ipſum autem impoſitum ſellæ purpura auroque conſtratæ, quaterni Centuriones hiſpani (namque hæc natio id obſequium præ aliis impetravit) humeris ſuſtulere, ſub aurea umbella à primariis quoque militum elata. Ante, circumque ſellam, inter expl cata vexilla ipſum complectentia, Tribuni, ordinumque ductores & ſuo, & armigerorum cultu inſignes: propiuſque caſtrorum Præfectus, & Magiſter equitum comitabantur: prætoriana cohorte concludente agmen. Sic tranſmiſſo ponte, quem ſuper foſſam urbis ipſi paulo ante fabricaverant, Trajectum per apertos ejus muros, juxta

Militum ſenſus in Alexandri evulgato rumore mortis:

ſed ipſe convaleſcit.

& triumphans in urbem invehitur.

21 *Iulii.*

Triumphi pompa:

*Mansfeldius & Gonzaga*

Bruxel-

2009 Ministerio de Cultura

Bruxellenſem portam, ſubiere: paſſim agno-ſcentes disjectas à ſe aut extructas moles: viamque, quam ſibi ſuo hoſtiumque recenti adhuc ſanguine fecerant, repetentes. Invectus in urbem hac militari gratulatione Farneſius, exceptuſque à Franciſco Monteſdoca, quem Trajecto Gubernatorem, Senatus regius impoſuerat: atque à Clero in templum recta deductus, ſolenni ritu Imperatorem Deum, pro recuperato, ejus ope, Trajecto veneratus eſt. ac ſecundum Deum, Apoſtolis ejus Petro & Paulo gratias, quaſi ſtipendium perſolvit commilitonibus Divis. 1579.

& gratiæ Deo Diviſque actæ.

Trajecti ad caſum, fama longe lateque ruinam deportante, concuti Belgium propemodum omne viſum eſt. Pleræque Ordinum provinciæ, Brabantia in primis, Tranſiſelania, Friſia, Flandria, tanquam ad eas victore cum exercitu properaret Alexander, urbes quæque ſuas novis præſidiis firmare, annonam advehere, defenſionem parare: contra Catholici hæreticis permiſti animos ſumere, pro Religione, ac Rege arma expedire, jugum haud ultra pati. Nec Alexander aut ſibi, aut famæ deeſſe, non ignarus, ALIA victoria ad tuendam victoriam opus eſſe. Tumultuabatur Civitas Buſcoducenſis, præpoterantque, inducta Religionis libertate Calviniani: ſed audita Trajectenſium clade, Catholici ſumptis armis, ac vicina ab Alexandro miſſa militum ope præſidentes, ejectis urbe calvinianis, reconciliationis authore Terranovæ Duce, dedidere ſe Regi. Mechlinienſes, acceptis primum ab Alexandro legatis, in eaſdem cum wallonibus conditiones, amplexi ſunt Regis partes: mox immiſſis ab eodem militibus, eorum ductor Fabius Gatta (cujus à Carolo filio, dum hæc typis mandarem, Orbatellum, etruſcum Hiſpani Regis oppidum, adverſus trimeſtrem Gallorum obſidionem, aggreſſioneſque defenſum, qui hæc litteris tradent, non ſine palmaris viri præconio memorabunt;) jubetur willebroucum

Expugnatio Trajecti Belgium terret. *Over-Yſſel.*

Buſcoducen. ab Alexandro, & à Terranova adjuti ſe Regi dedunt. *Bolduc Religions fria.*

Mechlinienſes ad Regem tranſeunt, & alios in auxilium milites accipiunt: *Neapolitanus.*

 petere,

2009 Ministerio de Cultura

1579.

cum propugnaculi expugnatione.

petere, ejuſque propugnaculum ad caput Bruxellenſis alvei ſitum occupare. Fabius opinione celerius Willebroucum aggreſſus, cæſo Ordinum præſidio, propugnaculum in poteſtatem redegit. Verum audito, novis copiis Mechliniam aggreſſuros Ordinum Duces, feſtinatis ab Alexandro turmis aliquot, cohortibuſque, ductu Licquii; obviam hoſtibus ire viſum eſt.

*Roderic. Zappata*

interim miſſa ad explorandum Zappatæ turma, quam Contrera vicarius ducebat; inter Mechliniam, & Willebroucum, caſtra poſuere Licquiani. Sed ante expectatum apparentes

ſed poſtea ab Ordinum copiis invaduntur,

Ordinum copiæ (erant pedites quatuor millia, equites octingenti) in Contreræ turmam, nondum illuceſcente die incurrere. Contrera, relato protinus pede, non ante ad ſuos ſe recepit, quam hoſtes fugientibus immiſti in caſtra ſimul penetrarunt: territique improviſa aggreſſione milites, vixque nacti tempus coëundi, poſt leve certamen, alii ad defendendum vici-

& fugantur,

num Willebroucum, alii alio fugam arripuere, victoribus per relicta contubernia ad prædam

& caſtris exuuntur. ſed Oliveræ adhortatione,

verſis. Eodem tempore Garſias Olivera, turmæ vicarius Antonii Oliveræ patrui ſui, Willebroucum verſus, ſclopetariis equitibus comitatus properabat; quum ex fugientibus audito quod acciderat, indignum ratus, ejuſmodi notam regio inuſtam militi, inultam pati, inſtare apud eorum primarios cœpit, precarique, paulum ſubſiſterent: conſiderarent, poſſe ab illis, ſi conſilia vireſque ſecum jungerent, haud dubie recuperari amiſſum decus. hoſti ad prædas intento, aut ſpoliis implicito, non ſpatium, non animum reſiſtendi futurum. quippe EXPERIENTIA compertum, nihil eſſe vilius adverſus invadentes, prædatore milite. reſumerent itaque generoſos ad eam diem ſpiritus, occaſionemque repræſentandæ hiſpanæ virtutis ne omitterent. ſe quidem, quamvis præter ferreum collare, cetera inermis eſſet, (& diloricata veſte nudum pectus oſtendit) primum in hoſtes iturum. ſperare autem, quam ſibi mentem

indi-

2009 Ministerio de Cultura

indiderit Deus, & vires eidem menti pares Deum additurum. Nec pluribus agendum fuit apud eos, qui jam fugam ipſi ſuam taciti damnabant, ac Ducem aliquem reparandæ quoquomodo famæ cupiebant. Ducenti equites ſclopetarii, plerique hiſpani, & lancearii quinquaginta, regendos ſe Oliveræ, quocumque is duceret, adjunxere. Ille nihil moratus, hoſtes enim in conſpectum venerant, aſſumptis prima in acie ſclopetariis, juſſiſque pone ſequi lancearii, magno tubarum ſonitu, quo ſuorum numerum mentiretur, in præcedentem equitatum pilarum procellam repentinus effundit. Inde addenſato gradu, lancearii perrumpunt agmen, eoque bifariam ſciſſo, partem alteram majoremque hiſpani equites poſt repetitam pilarum emiſſionem, gladiis cominus aggrediuntur, ac terga vertere compellunt. Sed fugam inhibuit Licquius, qui Willebrouchi jam ſecurus, pleroſque ſuorum in pugnam opportune retraxerat. Itaque circumventi, poſt acrem, quam neceſſitas intendebat, pugnam, complures eorum interempti, capti permulti, paucis perfugium patuit, omnes præda, armis, ſignis exuti. Nec pars altera tutior fuit, aliquandiu per invia ſaltuſque errabunda, poſtremo à ruſticorum manipulis cæſa ſpoliataque. Oliveram complexi deinde commilites, Reſtitutorem publici decoris conſalutarunt. Et Alexander, tradita illi ſclopetariorum equitum turma, in patentibus ejus rei litteris teſtatum voluit, Id à ſe dari Garſiæ Oliveræ, quod res ab hoſtibus raptæ, illius conſilio ac fortitudine recuperatæ fuerint, victis fugatiſque paulo ante victoribus. Hæc autem ad confirmandos regiis in partibus, uti jam cœperant, Mechlinienſes magnopere valuere. Nec Brugenſes interim quieſcebant: abrogatoq; factionis hæreticæ Magiſtratu, calviniani Euangelii buccinatoribus urbe pulſis, dein reverſis, atque adeo ſecta in partes civitate, rem armis decreturi videbantur. ſed juſſus ab Alexandro Mottæus raptim illuc trahere

1579.

in prælium redeunt,

& vincunt,

& præda hoſtem ſpoliant,

magno in Oliveram plauſu, & præmio ab Alexandro.

Brugenſes ad Regis partes accedere conantur,



2009 Ministerio de Cultura

1579. wallonum cohortem, dum paulum cunctatur, octo Scotorum ſignis, quæ à Calvinianis accita præcucurrerant, poſterior fuit. At Martinus Schenchius, nobilis Gelder, militia quam conſtantia clarior, ex Blyenbecano caſtro, tractum omnem inter Venlonam ac Genapum, ad Regis partes, ſuis Farneſianiſque militibus, attrahebat. ſed auſus ultra vires Zutphaniam invadere, captus, mox liber, & multa felicius auſurus, emiſſus eſt.

*sed fruſtra. Accedunt alii opera Schenchii.*

*FRISIA nutat:*

Sed nuſquam, poſt expugnatum Trajectum, acriores turbæ, quam in Friſia, incenſis oppidis, deletis pagis, everſis arcibus, dein repoſitis, Nobilibus plebeiſque in novas factiones coëuntibus, Regem aliis, aliis Ordines aſſerentibus. Præerat provinciæ, Ordinum nomine, Georgius Lalinius, Villæ Dominus, Rennebergii Comes: verebaturque, ſi eo adverteret arma Farneſius, ne Friſia, ac Tranſiſelania (nam utramque Rennebergius moderabatur) Regis haud dubie partibus accederent. Verentem nutantemque aggreditur Terranovæ Dux, re cum Alexandro communicata, atque aſſumpto reconciliationis miniſtro Coudenhovii Domino, Rennebergii amicorum longe intimo. Hic per Baylium & Greyterium, illum Rennebergio à ſecretis, hunc provinciæ à conſiliis, prætentata Comitis mente, hominem invadit: atque exorſus à miſeratione periculorum ejus, quibus in horas obnoxius inter homines æque infimos, ac infidos, precariam traheret non minus vitam, quam præfecturam; addit, *Conſtare ſibi, miſſos ad Parmenſem Principem à Groningenſibus evocatores Hiſpanorum in Friſiam. Qui ſi advenerint, & advolaturos eſſe, haud dubitandum, (Parmenſi ad hujuſmodi occaſiones minime cunctante) non videre ſe, qua ratione copiis victricibus, & accitis reſiſti poſſit à provincialibus partim inter ſe diſcordibus, partim cum Hiſpano conſpiratis. Quin igitur ipſe anteverteret? pactuſque cum Parmenſi, Wallonica nobilitatis exemplo, provinciam Principi ſuo, antequam cogeretur, ultro reſtitueret? An indecorum ei futurum,*

*& ejus Gubernator.*

*Prætentat illum attrahere ad Regis partes Coudenhovius,*

*hac oratione:*

2009 Ministerio de Cultura

rum, quod Comiti Lalinio Hannoniæ ac Valencenæ Præfecto, quod Lalinio Montinii Domino cognatu ejus, quod Vicecomiti Gandavenſi perhonorificum, & conducibile fuiſſet, Regi reconciliatis, bono provinciarum ac ſuo: auctiſque, ſuper Regis gratiam, novis honorum appellationibus, inſignibuſque? Eadem ei ſperanda à Parmenſi Principe, cujus Rennebergius, ipſe admirari virtutem, & amare ingenium conſueverit. Se quidem, pro eo, quem haberet apud illum, atque apud Terranovæ Ducem aditu, non omiſſurum, quin omnia, conditionibus gratioſis atque magnificis, peragantur. 1579. Philipp. Emmanuel Marchio Rubaſus.

Poſt hæc Coudenhovius, permiſſo ſibi negotio, conditiones cum Terranova componit, ſed ante ad Alexandrum tranſmiſſas, in hanc ſententiam. *Permittendas Comiti Rennebergio, aſſerendaſque diplomate Regio, Friſiæ, ac Tranſiſelaniæ præfecturas. Eundem annuo reditu donandum viginti millium florenorum, qui è regio harum provinciarum patrimonio petantur. Villæ Dominio inſignia, ac jura Marchionatus ab Rege tribuenda. Inſtandum efficaciter apud Regem, ut Comitem prima equitum aurei Velleris creatione, in eum ordinem adſcribat. A Parmenſi Principe tradendas ei peditum legiones duas, quas ipſe, uti earum Tribunus, per provincias ſuæ ditionis, præſidiorum loco, diſpertiat. Viginti aureorum millia eidem adnumeranda ſtatim atque pactis conventiſque firmatis, ſacramentum Regi dixerint ipſe, locorumque Droſſardi* (ſic Satrapas ſeu Præfectos Friſii vocant) *qui Harlingæ, Stavriæ, Leovardiæque arces, Regis nomine tueantur. Droſſardis autem, præter diplomata à Rege mittenda, quibus ſua cuique maneat Satrapia, ipſique in Gritmannos*, ut Friſii loquuntur, *aſſummantur; florenos mille ac ducentos, annuo cenſu, tribuendos. Nec prætereundos Greyterum & Baylium, ſed ſexcentorum ſingulos florenorum reditu remunerandos. Immo quum tam hi, quam Droſſardi jacturam fortunarum à partibus facile paſſuri ſint, tunc eis tantundem in Friſia rependendum, fruituris ea compenſatione, quandiu loca, in queis bona illorum ſunt, non recuperentur. At vero Coudenhovii Domino, qui hujus reconciliationis author ac ſequeſter in primis fuit, hæc offerenda: primum Regis epiſtolam* Conditiones Rennebergio propoſitæ à Terranova. Patente. Pretores magni

*appro-*

2009 Ministerio de Cultura

1579. *approbantis commendantiſque operam ejus hoc in negotio adhibitam Catholicæ Majeſtati: dein cenſum annuum duorum millium florenorum, ſi in hanc reconciliationem intendendo, ejus bona ac dominia à conjuratis provinciis publicentur, etiamſi reconciliatio ex ſententia non ſuccedat: non ſolvendum autem hunc cenſum, ſi forte ſuis ille bonis non ſpolietur: nec proceſſurum, ubi in eorum poſſeſſionem aliquando reducatur. denique octo adjungenda aureorum millia, quæ Coudenhovio, eodem tempore, quo Rennebergio, in Colonienſibus nundinis adnumerentur.*

Senſus Alexandri ſuper his conditionibus.

Alexander, etſi haſce conditiones animadvertit aliquanto liberalius compoſitas eo tempore, quo cogi poterat, qui rogabatur: contra tamen apud ſe reputans, TUNC offerri abſque neceſſitatis ſuſpicione concordiam, quum à ſuperiore offertur; ad colligendam Regi apud populos clementiæ famam, re ſtatim probata, conditiones ad Terranovam remiſit. Quibus à Cornelia Lalinia Rennebergii ſorore ad fratrem (cujus reconciliationem magnopere optabat) allatis, gaviſus ea liberalitate Rennebergius, diſſimulato aliquantiſper conſilio, tum audito adventare Orangium, rem, uti erat, ſuſpicatum, regias partes palam profeſſus, ſe Regi ac provincias addixit. Et vero præter hoc additamentum, motis jam ubique provinciis, ſperari potuiſſet, uti ſperavere permulti, Belgium propemodum omne ad Regis partes aut ſponte acceſſurum, aut armis attrahendum, ni pecunia, minime profecto in tempore, ab Hiſpania defuiſſet. Sed Luſitanica expeditio animum occupabat, & pecuniam Regis, facile patientis differri recuperationem Belgii, dum interea in poteſtatem redigeretur Luſitania, ex qua pecunia non unius tantummodo Belgii, ſed plurium victrix regnorum, in longum hauriretur. Etenim ex pactionibus in Wallonum reconciliatione pridem initis, externi milites emitti Belgio debebant, eorumque loco novus conflari Belgarum exercitus. dumq; hic æris inopia ſcribi non poſſet: & veteres, qui miſſionem inſtare

Accipit illas Rennebergius:

& Friſiam ac Tranſiſelaniam Regi addicit. Inde ſpes Belgii univerſi ad Regem attrahendi:

niſi pecunia defuiſſet in Luſitanicam expeditionem verſa. Difficultas conflandi novi exercitus, abeuntibus Hiſpanis;

2009 Ministerio de Cultura

inſtare ſibi inaudierant, niſi ſolutis ſtipendiis ad opera ægre interim adhiberentur; Alexandro à pecunia vacuo, qui præter Hiſpanum obſequii retinentem, ceteros turbidos ac prope contumaces habebat, multa videlicet omittenda erant, quæ eſſent ſub manu. Hinc miſſis in Hiſpaniam Alphonſo à Sotomajori, & Octavio Comite Lando, Regem docuerat, quanta in præſens opportunitate rei bene gerendæ fraudarentur Catholicorum partes: quantoque exinde periculo ſubeſſent amittendi, quæ parta ad eam diem, abeuntibus Hiſpanis, nec ſuppeditata ad novum exercitum pecunia. Quin & eandem quoque operam Hiſpanos in Belgio retinendi, novo apud Wallones conatu non omiſit, inſtantibus comitiis.

1579.

18 *Auguſti.* Ideo miſſis ac Regem nunciis pecuniam rogat.

Etenim Montibus, in quam Hannoniæ urbem indictus erat earum provinciarum conventus, Proceres Legatique jam aderant, ut incœptam Atrebati reconciliationem, temperatis aliquot, Alexandri poſtulatu, conditionibus, aliquando conficerent. Et pro Arteſia quidem Legati venerant ejus Gubernator Robertus Melunius Marchio Richeburgius, & Ioannes Saracinus S. Vedaſti Abbas, & Franciſcus Doignius Beaureparii & Beaumontii Dominus, cum aliis nonnullis. Hannoniæ autem nomine agebant Philippus Comes Lalinius provinciæ Gubernator, & Iacobus Froyus Abbas S. Petri Haſnanienſis, & Iacobus de Croyx Saumontii Dominus, & Franciſcus Gualthierius ſyndicus Montenſis, aliique ex eadem provincia. Denique pro Inſulis, Duaco, & Orchiano, quæ ſunt Flandriæ Gallicanæ, aderant earum Præfectus Maximilianus Vilanus Raſſinghemii Dominus, & Hadrianus Ogniacenſis Villervallius, & Florentius Vander Haer, & Euſtachius Iumellius, & cum iis alii. Cum hiſce provinciarum Legatis acturos immiſerat Alexander Regis nomine, Petrum Erneſtum Comitem Mansfeldium, Ioannem Noyellum, & Adrianum Gomicurtium, illum Roſſignolii, hunc cognominis loci Do-

CONVENTVS provinciarum Wallonum.

*Arras.*

Legati pro Arteſia.

*Marchio Rubaſius*

Pro Hannonia.

Pro Inſulis aliiſque.

*Lilla*

Legatos quoque ſuos mittit Alexander,

2009 Ministerio de Cultura

1579. Dominos: una cum totidem Iuriſconſultis, Ioanne Vendevillio, quem poſtea Epiſcopum Tornacenſes habuere, Antonio Hauſtio, ac Georgio Veſtemdorpio, quorum hic concilii provincialis in Friſia, priores duo privati concilii ſenatores erant. His impenſe mandaverat, in id ſedulo inſiſterent, ut contenti Wallones, provincias ſuas externorum militum onere acceſſuque exemptas habere, ne vellent è reliquo Belgio emitti eos, quos ad arcendum ex ipſis Wallonum provinciis hoſtem, ſocios aliquando deſideraturi eſſent. Sed fruſtra erant Alexandri vota, ejuſque Legatorum opera: obfirmatis omnium animis, in externa militia ab omni Belgio removenda, quum tamen in pleriſque aliis haud gravate Alexandri petitiones admitterent. Acceſſitque eodem tempore reſponſum Regis ab Hiſpania, jubentis non modo à provinciis omnibus abire Hiſpanos, ſed ceteris in rebus nihil eorum immutari, quæ Atrebati cum Wallonibus compoſita jam eſſent. Hoc autem poſterius clam Wallonibus habens Alexander, ne per hujuſmodi Regis indulgentiam irrita fierent, quæ magno ipſe labore Regi jam acquiſierat; ex altero Regis diplomate, generatim acta Atrebati confirmante, reconciliationem cum provinciis Wallonibus tandem conficit: ac duodetriginta capitibus comprehenſam, ineunte Octobri menſe, Trajecti primum mox aliis in locis, ingenti populorum lætitia evulgat. Leges, in quas conventum eſt, hæ fuere inter alias præcipuæ. *Vt reconciliatarum provinciarum Præfecti, Magiſtratus, copiarum Duces, milites, cives, incolæ omnes munere quopiam fungentes, fidem ſuam ſacramento obligent, Religionem Catholicam Romanam, & obedientiam regiæ Majeſtati ſeſe perpetuo ſervaturos. Vt milites hiſpani, externique alii provinciis haud grati, ſex intra hebdomadas ab evulgata reconciliatione, Belgio excedant, nunquam in poſterum redituri, niſi aut belli cum externis occaſione, aut alia reconciliatis provinciis æſtimanda neceſſitate. Vt hoc ipſo diſceſſionis tempore, ad Religionem tuendam,*

cum mandatis pro retinendis Hiſpanis.

ſed non impetrat.

Immo jubetur à Rege nihil ultra tentare.
12 *Septembr.*

Itaque reconciliationem Wallonum conficit, *capita* 28.

in has leges.



2009 Ministerio de Cultura

*are tam Regis, quam harum provinciarum, conſletur exercitus defenſioni oppugnationique par: iſque ex militibus indigenis, aliiſve, qui Regi, ac provinciis accepti habeantur. Vt Rex non alium univerſo Belgio Gubernatorem, niſi ſui ſanguinis Principem in poſterum præficiat. interim ſex ſpatio menſium, Parmenſis Princeps reconciliatas provincias, uti reliquum Belgium, adminiſtret: quo ſemeſtri elapſo, niſi Gubernator à Rege nominetur aut ipſe Parmenſis, aut alius Princeps regii ſanguinis; provinciarum regimen penes reconciliatorum Ordinum concilium ſiet, conciliumque arbitrio Regis, modo ex indigenis, eligatur.* Hiſce aliiſque conditionibus utrinque firmatis, decreta ab Wallonibus honorifica legatione, Montes evocatur Alexander capeſſendo regimini provinciarum. Ille tamen, dilata paulum profectione, dum inſtantia componeret; opperiebatur reſponſum Regis, à quo reditum in Italiam cum abeuntibus è Belgio Hiſpanis enixe poſtulaverat: juſſo Comite Lando, poſt Regem, edocere Ioannem Idiaqueſium belgicarum rerum conſultationibus præfectum, Id Regiæ Majeſtatis intereſſe, ne in ea militum abalienatione & querimoniis, atque adeo in eo periclitantium ſtatu rerum, ad certam ruinam accederet Gubernatoris contemptus. Exercitus egeſtatem ab ſe diu ſuſtentatam, dum licentiam authoritate coërcuerit: jam ſemeſtri Duci non eandem authoritatem fore. Itaque quum paucis poſt menſibus abeundum ſit, ſatius futurum, ſi & provinciis novi Gubernatoris anticipatione, qui non arma adverſus eos, quos recturus ſit, exercuerit, conſulatur: & ſibi integra authoritate exire Belgio haud negetur. At Rex, cui ſuper Alexandro alia mens erat, geminatis eum litteris, quanta ejus præſentiæ neceſſitas, quantum in illo ſpei collocarit, admonuit. addiditque Regis nomine Idiaqueſius, *Miſſionem externorum, novumque in eorum loco delectum Wallonum, Regi adeo cordi eſſe, ut in utroque conficiendo pro certo haberet Alexander, ſe gratius ejus Majeſtati facturum, quam ſi duas pariter urbes* ex-

1579.

Evocant Wallones in ſuas provincias Alexandrum.
*Mons de Enau*

*Oct. Com. Landus*

qui à Rege petit reditum in Italiam,

Sed Rex negat, jubetque ut externis dimiſſis, novum exercitum ſcribat:
1 3 *Octobris.*
1 3 *Octobris.*

2009 Ministerio de Cultura

1579. *expugnaret*. Nempe Rex per eam militum mutationem, ſimul provinciarum animos devinciebat ſibi, ſimul Alexandrum ipſum victoriis & veteranorum ſtudiis quotidie majorem in poteſtate habebat magis. Sed Alexandro quam fixum erat Regi parere, tam arduum aggredi ad parendum fuit. Etenim raro abſque militum querelis, atque aliorum terrore ac damno, diſſolvitur vetus atque ingens exercitus: uti nec magna ædificii moles ſine cadentis fragore, vicinarumque ædium noxa deſtruitur. Præterea novum repente conflare exercitum, & tanquam uno pedis pulſu equeſtres, ac pedeſtres tyronum copias de terra extundere: ac ſubita adverſum veteres hoſtes diſciplina firmare, Magni olim gloriatio Ducis eſt habita. Hæc autem ipſa duo difficultatibus ſemper implicita, tam multæ hoc tempore res adverſæ circumſtabant, ut militarem Alexandri prudentiam non minus in eo veterani exercitus corpore diſſuendo, novoque conformando; quam in arcibus ſive hoſtilibus diruendis, ſive adverſus hoſtem fundandis, Rex merito agnoverit, commendaveritque. Ex militibus abituris, veteres Germanorum legiones, Burgundorumque, à reconciliatis provinciis, uti gratæ, in partem novi exercitus admittebantur. ſed Burgundi admitti renuebant: Germani operam ſuam ſeu Regi, ſeu provinciis contumacius pernegabant, tantum in patriam redituri ſtipendia poſcebant. Itaque deficientibus Germanis ac Burgundis, ex Wallonum provinciis conflari exercitum oportebat. at hi, præterquam quod, niſi ſolutis ſtipendiis, militiam palam detrectabant, pauciores erant, quam ut ex eis componeretur exercitus, qui unus in Belgio & Wallonum provincias defenſaret, & Orangio multis in locis arma inferenti occurreret, & Mechliniæ, Buſcoduco, Groningæ, aliiſque urbibus, ac provinciis in Regis partes jam tranſgreſſis, aut tranſgredi meditantibus, opemque ab Alexandro quotidie poſcentibus ſubveniret. Sed in altero plus adhuc operæ Alexandro erat.

Alexandri difficultas,

*Pompejus Mag. apud Plutar. in vita.*

in conficiendo novo exercitu:

& in veteri diſſolvendo.

2009 Ministerio de Cultura

erat. Conſtabat eo tempore, quo diſſolvendus erat, Farneſianus exercitus legionibus omnino quindecim: Germanicis quinque, totidem Wallonicis, Burgundicis duabus, tribus Hiſpanicis, (præter Italicas aliquot extra ordinem cohortes) non eodem numero militum pariter refertis: quippe Hiſpanicæ, Germanicæque longe ante alias ibant. Equitatum conficiebant turmæ ſeu vexillationes quadraginta duæ, ex Raitris potiſſimum, Burgundis, atque Epirotis. Erat hic exercitus ut prius hoſti, ita nunc Duci ſuo formidandus: quantoque & numero militum, & veteranarum legionum robore præſtabat, tanto, ſi exuto obſequio hoſtilia moliretur, augebat Alexandro curas, timebatque ipſe vires ſuas. Nec temere: namque nationes certatim omnes, quum inſtare ſibi belgicæ militiæ finem viderent, confici ſecum rationes, & quæ ad eum diem ſtipendia utcunque differri paſſæ erant, partim compenſatione prædarum, partim honores & rem aucturæ, continuatione militiæ; ea nunc numerari ſemel omnia armatæ poſcebant. Et Alexander, cui jampridem ne ad unam quidem legiunculam dimittendam pecuniæ ſatis aderat; metu futuri, aliquot ante menſibus per Tribunum Mondragonium; poſtremo per Comitem Landum, ac Sotomajorem, de rerum ſtatu Regem anxie commonuerat. Quumque plus interim ſpei, quam pecuniæ mitteretur ab Hiſpania, advocato regio ſenatu, quid conſilii capeſſendum inter extrema illa, diſquirit. Placuitque Serbellonii ſententia: qui, (poſt aliquorum magis querimonias, quam conſilia) & ſi cauſam tardioris ab Hiſpania ſubſidii negavit in Principem referendam, tanquam ei Belgium minus cordi foret: nec de ejus potentia demiſſe adeo ſentiendum, quaſi regium ærarium expeditione una Luſitanica exhauriatur; adjecit tamen, *In eo falli Principis parſimoniam, quod perſuaſum habeat, liberalius opem Gubernatores petere, ut habeant unde è pleno ſemper hauriant: quum contra Rex ſentiat, ſolitus dicere,* ADÆQVANDVM

1579.

Quantus regius exercitus eſſet:

Duci quamque formidandus, *Albaneſi.*

ſi, quum ſe dimittendum audit, ſtipendia petat

à Duce pecuniâ vacuo.

Ipſe conſulit ſuper hac difficultate ſenatum.

Serbellonii ſententia.



2009 Ministerio de Cultura

1579. *eſſe neceſſitati ſubſidium, ne ſi abundet, effundatur. Itaque ad oſtendendum, quam infra neceſſitates auxilia ſint ab Hiſpania, optimum factu, ſi per regios hujus exercitus Quaſtores, certus equitum peditumque numerus, ac ſtipendiorum ſumma cuique centuriæ in ſingulos menſes pendi ſolita, quantumque debiti, ſubducta cum legionum Tribunis ratione, adhuc ſuperſit, ineatur: atque eorum indice per certum hominem in Hiſpaniam miſſo, Rex oretur, ut quando tam longe res diſtent à copia, intelligat non alia peti ſubſidia, quam quæ neceſſitatibus, & quidem extremis adæquentur.* Addidit Alexander, non hunc modo publicum, ſed privatum etiam domus ſuæ ſtatum, atque impenſas, velle Majeſtati ejus, cui ſua omnia patere cupiat, accurate perſcribi. uti factum eſt feſtinata domi militiæque cenſione. Et primus quidem militaris index, nam plures miſſi ſunt, ſummatim referebat, Hiſpanorum peditatui ex tripartitis Toletani, Valdeſii, & Figueroæ legionibus compoſito: cēturiaſque unam & quinquaginta complexo, pendi pro ſtipendio menſtruo aureos unum & triginta millia, octingentos quadraginta ſeptem. Equitatui leviter & ſclopis armato ex variis nationibus, in unam & viginti turmas ſecto, aureos quatuordecim millia, trecentos & nonaginta. Wallonum peditum ſignis octo ſub Altapennio, quatuor ſub Reuſio, & ſex Germanorum recens ſcriptorum ſub Fronsbergio, aureos tredecim millia, quadringentos ac novem. equitatui germanico ferreolorum, in quo vexilla tria Sanblemontii, quinque Saxonis Ducis, duo Billii, unum Bilzii, ac Brendelii decem, aureos ſexaginta tria millia, ſeptingentos quinquaginta duos: ſubducta in fine omnium ſumma, aureorum centum viginti trium millium, & trecentorum nonaginta octo. Tantum erat unius menſis ſtipendium, & non totius exercitus: omiſſis videlicet in hoc cenſu peditibus Burgundis, Italiſque omnibus, Wallonum parte, ac Germanorum pleriſque: quorum vel uni Altempſiæ legioni ſtipendium ſupra triginta aureo-

Ferreteſſe

quam pro domo ſua.

2009 Ministerio de Cultura

reorum millia ſingulis menſibus ſolvebatur. At 1579.
index Farneſiæ domus particulatim cenſæ oſtendebat, in aula Alexandri Principis conſtante hominibus ex familia quidem, ducentis quadraginta novem, cum equis duodecim ſupra ducentos: ex aliis autem Nobilibus quinquaginta, qui honoraria Regis ſtipe detinebantur in Belgio, ſed Alexandri menſa impenſaque excipiebantur, impendi ſingulis menſibus nummos ex aurea moneta quinquies mille, nongentos ſexaginta. Ad hos autem ſumptus ſuſtentandos habere Parmenſem Principem menſtruos reditus partim à ſe, & ab Octavio, & ab Auſtriaca parentibus aureos bis mille ac trecentos quindecim: partim à Rege bis quoque mille quadringentos triginta ſeptem: nempe acceptis expenſas non æquantibus. Sed nihil expeditius neceſſitatem pecuniæ arguebat, atque relata alio in indice æris ſumma ad eum diem veteranis debita: quæ abſque Wallonibus, Italiſque, pro Hiſpanis decies centena millia, pro Germanis vero ac Burgundis millia tricies centena longe ſuperabat. Quibus tum publicis, tum privatis minutiſſimæ diligentiæ taxationibus, traditis, (quo plus authoritatis ineſſet) Petro Aragonio, qui Carolum patrem Terranovæ Ducem poſtea ſecuturum præcedebat in Hiſpaniam, Regem oravit Alexander, ut quando eo loco res eſſent, monſtrare dignaretur, unde ſibi tantum æris hauriendum, ut externas legiones, ſolutis ſtipendiis, emittat: unde ut pactam Friſiis pecuniam diſſolvat: unde ut novos militum delectus habeat, qui tot arces, abeuntibus externis, intrent, provincias armati defendant, hoſti non impares occurrant. conſtare in eo Germanos, ac palam edicere, non moturos ſe Belgio pedem, niſi ſtipendiis in Belgio numeratis. eadem Hiſpanorum, ſed modeſtiora poſtulata eſſe. urgere interim provincias, appetente præfixo jam tempore, ut externi atque ante alios Hiſpani Belgio cedant. at iis cedentibus verendum eſſe, ne Germani jam pridem ſeditionem minitan-

Mirum de alio indice.

*millio unus*

*milliones tres.*

Mittit hos indices ad Regem: eumque ſubſidium orat:

& pericula dilationis ob oculos ponit.



2009 Ministerio de Cultura

1579. tantes, metu Hiſpanorum liberi, adjunctis ſibi Wallonibus, populabundi per agros excurrant, urbeſque ſibi, ſtipendiorum loco, deſpondeant. Id vero ſi accidat, eodemque tempore Orangius, occaſionum minime negligens, reconciliatos invadat; dubitandum non eſſe, quin populi, ne ſuo ære conſlare, atque alere exercitum cogantur (quod ut evitarent Regi ſe ſe potentiæ commiſerint) ſpe dejecti regiæ defenſionis, aut in gratiam cum reliquis conjuratis provinciis redeant, aut in alicujus vicini Principis manus tutelamque confugiant. Porro hiſce malis omnibus non alia via occurri poſſe niſi feſtinatione pecuniæ, cujus in præſens inopia ſibi adeo dolori eſſe, occaſiones præclariſſimas corrumpi, ut non dubitaret large ſanguinem dare, ſi ſanguinem vertere in aurum poſſet, quo Belgium Principi ſuo ea opportunitate redimeret. Verum jam anteverterat Rex, miſſis ſexcentis aureorum millibus, factaque ſpe ſecuturæ acceſſionis. quibus ut nonnihil reſpiravit Alexander, ita nova illum excepit cura, excitatis nationum Tribunis ad ſtipendiorum famam, metuque non ſuffecturæ pecuniæ feſtinantibus. Et quamquam ut aliis præhaberet Hiſpanos, admonebant Alexandrum eorum fides, militiæ diuturnitas, laborum conſtantia, & in hiſpani Regis exercitu prærogativa nationis; illos tamen poſtremos ab ſe dimittere conſultius habebat, uſurus eorum objectu, ſi quid forte hoſtile molirentur alii. & occaſio præſto fuit. Etenim diſſito rumore inter aliquot Germanorum centurias per oppida pagoſque Trajectenſis agri diſtributas, militaria æra partim Hiſpanis, partim novo delectui ex reconciliatis provinciis deſtinari; fremere primum variis in locis miles, mox coïre, & furorem conſociare. Erant Trajecti ſigna veterum Germanorum tria, præſidio urbis apud Alexandrum: horum opportunitate Germani, qui circa Trajectum agebant, conſilium ineunt urbem invadere, captaque, ad Parmenſem Principem allegare Centurionum aliquem (nam Tribunis

*Rex mittit pecuniæ partem.*

*Alexandri difficultas in ea diſtribuenda.*

*Seditio Germanorum ob eam cauſam.*

*& eorum conſilia.*

2009 Ministerio de Cultura

bunis non ſatis fidebant,) qui miſſionem, & ſtipendium flagitet: abnuentem, aut tergiverſantem tandiu obſeſſum habere, donec diuturnæ militiæ merces aliquando ſolvatur. Nihil horum latebat Alexandrum; prævidenſque tanto eis rem pronius ſucceſſuram, quanto & aperta alicubi urbis mœnia aditum præberent, & eorum ipſe vires animoſque non ignoraret; illico jubet, ſex Hiſpanorum centurias intrare urbem, & aliquot Italorum, Burgundorumque ſigna obequitare mœnibus: ſimul fabros reficiendis murorum hiatibus jam inductos feſtinare opus. tum vero advocatos ad ſe Polvillerium atque Altempſium Tribunos, qui Trajecti forte aderant, diſſimulato metu, ac magis eorum, quam ſui anxius in hunc plane modum, ut ad regem ſcripſit, alloquitur. *Scilicet milites veſtri perquam honeſta miſſione finem militiæ, reditumque in patriam moliuntur. & ego in Hiſpaniam ſcribens, læta enimvero Principi, honorifica de vobis adjungam, flagitando ab Rege pecuniam, qua ille urbem ſuam, quæ ſororis ſuæ filium redimat à Polvillerianis Altempſianiſque militibus. Sed neque iſti, quantumvis feroces ac ſceleſti, aut potiundæ urbis, aut mei compotes erunt. Quin ego, aderit enim mihi violati ſacramenti ultor Deus: aderit fortuna Regis, ſi unquam alias, hoc maxime tempore, additamento regnorum felix: aderunt tot fidæ legiones hac in primis tutela gratiam Regis emeritura: adero ipſe mihi cujuſquam pervicacia flecti neſcius; ſi quid eorum, quæ improbe decreta ſunt, attentaverint, illos non modo vi atque armis coercebo, ſed ne aſſe quidem ex hac ſumma, cujus adipiſcēdi jure ipſi ſe ob noviſſimum ſcelus exuerint, perſoluto, è Belgio ejiciam, tam pecuniæ quam fidei inanes. Nam, quæ iſthæc intemperies? dum ſtipendiis per Quæſtores ordinandis inſiſto, ſollicitus ne ex ea quantulacunque nummorum copia, centuriam aliquam ſua portione defraudem; nullo conſilio præcipites ruere pecorum more, vaniſque captos rumoribus, velle per ſcelus extorquere. quæ accipere innocenter queant? Hæc ne ego ſperaverim à Germanis? quorum nationi tantum tribuerim, ut vel Caſi-*

1579.

Quibus poſtquam antevertit Alexander,

cum eorum Tribunis conqueritur in hunc modum.

21 Dec.

*Alex. ipſe*

*Luſitaniæ & Indiarum*

 *miri*

2009 Ministerio de Cultura

1579. *miri hoſtiu milites meis armis & ultioni, ut ſcitis, expoſitos, liberos tamen ac ſecuros emiſerim, teſtatus id a me honori Germanorum dari. Quid quotidiana meos erga milites ſollicitudo, pro quorum neceſſitatibus toties Regis curas, odioſe propemodum oneraverim? quorum inopiam, ceſſante ab Hiſpania ſubſidio, toties ære meo, meoque demenſo, immo & ære interdum veſtro ſublevaverim? teſtes enim vos habeo, qui mihi ſuper egeſtate meorum militum ſollicite omnia circumſpicienti, præſentem opem offerentes, curas meas introſpexiſtis atque allevaſtis. Quod ſi hujus rei gratia, perhumanas ab Rege litteras, benevoli in vos animi ejus, memoriæque (ut ipſe loquitur) non abolendæ pignus accepiſtis; quid in præſentia ſperare vos à liberalitate Principis æquum eſt, ſi iſtorum conatibus antevertentes, conſilio operaque veſtra efficiatis, ut exempta ex eorum animis, quaſi prætereantur, opinione, modeſtiæ admonitis, & obſequio redditis, felix, quem tenemus, victoriæ curſus per hujuſmodi turbamenta non retardetur? Sic enim vos & dignitati veſtræ, magis extra facti conſcientiam futuræ, quam extra culpæ opinionem: & militibus veſtris, ſi inſanire pergant, nil niſi egeſtatem & dedecus in patriam relaturis, opportune præcavebitis.* Ad ea, qui

componitur tumultus, Tribunorum opera,

evocati, quique ſupervenerant Tribuni, quum ejuſmodi ſuorum facinora ſibi nequaquam probari reſpondiſſent, eoque ſe ab eis non minus præſentia, quam conſiliis ſeparaſſent; ſpopondere, nullam ſe ſe operam omiſſuros, quo tumultuantium conatus ſiſterent, componerentque: præſertim quum pro certo haberent, paucorum ea eſſe tentamenta, atque inanes minas. Nec illi, quod promiſerant, omiſere.

& metu ab Alexandro.

Plus tamen apud turbidos valuit præſidium feſtinanter illatum urbi, & præſens intrepiduſque animus Alexandri. Itaque tumultuandi locum magis quam animum mutantes, transferunt alio furorem, per agros prædabundi, pagis tamen non ultra rem cibariam graves, neque pecunia ſupra neceſſitatem extorta. Plus

*Januar. menſe* 1580

periculi à locorum præſidiariis fuit: gliſcentibus in dies, aureſque Alexandri everberantibus

2009 Ministerio de Cultura

buscivitatum & Gubernatorum querelis, A præſidiariis ob alimentorum inopiam, domos civium ſpoliari, præſidiis relictis per agros excurri, arces, urbes, omnia hoſtibus exponi. Et vera dicebantur. Iamque Licquius Lovanium deſerere meditabatur, ne, ſe Gubernatore, urbs hoſti dederetur: Mechlinienſes, raris neque fidis præſidiariis, nihil propius, quam caſum urbis pertimeſcebant: eundem metum pleraque Friſiorum oppida denuntiabant. Lucemburgenſes, compleri divexarique provinciam confluentibus eo Germanis, lamentabantur: reconciliati, in quos ante alios ferebantur Orangii minæ, aſſiduis Alexandrum precibus fatigabant, Veniret aliquando, præfecturam capeſſeret, exercitum exauthoritatis externis, ex indigenis conflaret. Sane ad tam multa, uno ſimul tempore componenda, non ſexcenta aureorum millia, quæ miſſa fuerant, ſed neque decies ſexcenta millia ſatis erant. Ergo Alexander diviſo partes in omnes animo, ingruentibus tot undique acervatim malis ordine proſpecturus, primo Namurcum ad Hiſpanos, tum Limburgum, ubi ſeditionis germanicæ caput, inde Montes Hannoniæ adire ſtatuit: non tamen ante, quam Trajecti ſtatum ordinaret, creato Magiſtratu, ac pro Hiſpano Monteſdoca, Adriano Gomicurtio Gubernatore urbi dato. Arcem, quam fundari cupiebat Rex, quoniam neque temporis, neque facultatis præſentis exiſtimabat Alexander, Regi ſcribit, ſe propugnaculum multo validius quam quod Majeſtas ejus mandaverat, Trajecto impoſiturum, Collegium Patribus Societatis Ieſu fundando: cujuſmodi arce, ſub Auſtriaca parente, Trajectenſes in fide erga Deum Regemque egregie retentos, adverſus utriuſque hoſtes, non ignoraret. Annuente Rege, ſimulque Leodienſi Epiſcopo in eamdem cum Alexandro ſententiam conſpirante, miſſis Leodio Patribus, attributo ex Servatianis ſacerdotiis proventu, (nam & multi ejus loci reditus, & pauci

1579. Queruntur aliæ civitates à ſuis præſidiariis divexatæ:

Quarum remedium difficile Alexandro, non ſufficiente pecunia ab Rege miſſa.

Conatur tamen ille.

& primum res Trajecti componit.

Collegio Patrib. Soc. Ieſu ibi fundato arcis loco.



2009 Ministerio de Cultura

1580. ex ſacro ordine ſupererant in civitate ab hæreticis adminiſtrata, iis Sacerdotiis pares) Alexander Trajectenſe collegium ſtabilivit: Gregorio Pontifice tranſlationem cenſuum, & Alexandri conſilium comprobante.

*Greg. xiii. 2 Mar.* EMISSIO Hiſpanorum aliorumque

Rebus Trajecti compoſitis, novo ab Hiſpania argento auctus, ſtatim Namurcum petiit Alexander, educturus Hiſpanorum præſidium ex ea primum arce, qua illi maxime, ſi quid forte tumultuarentur, niti poterant. Et quidem in ipſo urbis aditu, ſuſpectandi occaſio non defuit. Namque Namurcum intranti quum occurriſſet equitum haſtatorum turma, Ninovam Flandriæ oppidum contendentium, inter eos militari more lanceas ſupremo Duci ſubmittentes, unus appenſam cuſpidi haſtæ crumenam, cum haſta ſubmiſit. Alexander equitis audacia peroffenſus, ſed offenſione pauliſper compreſſa, dum inter confertos latentem, (quippe exitus incertum,) extraheret, agnoſceretque; ſubridens, *Lepidum enimvero*, inquit, *feſtivi capitis commentum.* Ille plauſum Ducis interpretatus, impulſo ante alios equo, ſecurus apparuit. Tunc Alexander hominem torve intuens, illico ferrum ſtringit, ac plaga ori luculenter inflicta, *Diſce*, inquit, *haſtam mihi reverentius inflectere, nec per hujuſmodi deridicula ad ſeditionem quietis militibus ſignum attollere.* Simul duci equitem imperat, ac ſuſpendi: ipſe interim tot inter lanceas in ſe unum inclinatas, & ab honore Ducis ad commilitonis defenſionem facile tranſituras, majeſtate ſua tutus, & timoris contemptu timendus. At ille, quod ſuſpendii miniſter non ſtatim repertus, dilato ſupplicio noctu aufugit, Alexandro, uti eſt creditum, permittente. Nam, quod militem cætera ſtrenuum æſtimaret, paulo poſt revocatum non modo in gratiam recepit, ſed etiam centuriæ peditum impoſuit: contentus, læſam militaris imperii majeſtatem lictore metu vindicaſſe. Primi ad ſtipendia extra ordinem vocati (nam in ea re cura Parmenſi non levis adhibita) Hiſpani fuere arcium præſidiarii, Na-

Equitis facinus,

Aſtu ab Alexandro detecti,

& caſtigati:

Stipendiis donantur, ex præſidiis removentur primi Hiſpani:

murci

2009 Ministerio de Cultura

1580.

*Philippeville*

murci in primis, Trajecti, ac Philippopolis. nempe ut facilius ea prærogativa deliniti, arces desererent: in quas intrare Wallones Reuſii Comitis, uti fideliores inter ſuos, juſſi ſunt. Abeuntibus autem non ægre perſuaſum, ut quaternis præſentis pecuniæ ſtipendiis contenti, reliqua Mediolani, ſide regia expectarent. Tum Burgundi domum emiſſi, pecunia quidem leviter aſperſi, ſed Tribunorum opera non inviti. At vero Raitrum pleriſque, & Altempſii, & Polvillerii legionibus, quæ diutius Germanis aliis militaverant, ſena in præſens ſtipendia enumerata, bina in proximis Francofurdianis nundinis, reliqua tres intra annos, certis cautionibus, promiſſa. Eadem conditione cum veteranis Fronsbergiæ legionis, aliter cum ejuſdem tyronibus actum eſt. ſola Fuggeri legio, ac pleraque, quæ Barlamontii fuerant, ſigna, cum tyronibus Fronsbergii, nullis Tribunorum flecti precibus potuere, ut partem tunc quidem acciperent: poſtea acceperunt. Ceteri haud facile dictu eſt, qua reverentiæ amoriſque ſignificatione ſuo ab Imperatore divellerentur, ad genua ejus accidentes, dexteram exoſculantes, ad pedes vexilla ſubmittentes: alii procul venerantes, oſcula jacientes, Alexandro victorias, Alexandro felicitatem comprecantes. Exploratum habeo, pleroſque Germanorum Chiliarchos, equitumque ductores, Alexandri Principis vultum coloribus expreſſum retuliſſe domum: aliquos numiſmate cælatum aureo, ſuſpenſum è collo perpetuo geſtaſſe. Nec Alexander ullum liberalitatis officium, ut inter eas anguſtias, omiſit erga primiores exercitus: alios torquibus annuliſve, thorace alios galeave, aut etiam gladio ac pugione donatos. Hiſpanos præſertim atque Italos, quibus univerſim Regi commendatis, aliquos ſelegit militaris virtutis fideique præcipuos, quorum haberi ab Rege ante alios rationem enixe laboravit. Quin gregariis quoque militibus impetravit ab eodē annuos aureorum cenſus, à Neapolitano

tum Burgundi: *Ceraſius & Marchio Varambonius Tribuni.* poſtea Germani.

*Carolus*

Aliorum omnium amor erga Alexandrum in diſceſſu.

*Colonnel.*

& in illos benevolentia Alexandri.

qui Regi eos commendat,



2009 Ministerio de Cultura

1580. politano Prorege ſolvendos iis, quos ipſe præ reliquis meritos nominavit; miſſo in Hiſpaniam

& multa eis impetrat.

Franciſco Guillama aulico à ſecretis, qui & eorum perferret ad Regem nomina, & belgarum qui apud ſe erant, Procerum cauſam eidem commendaret. Horum enim nonnullos quamvis

30 *Martii* præcipue Belgis,

Alexander, ut ſcribit ad Regem, inexplebiles ſciret, ex eorumq; numero, qui INIVRIAM putent, finem accipiendi; tamen, quum eorum

ob hanc cauſam.

ſe manibus, poſt abitum Hiſpanorum, relinquendum videret, referre permagni putabat, recenti eos beneficio obſtrictos habere. uti factum eſt: pleriſque eorum, ex Alexandri deſignatione, aut præſente ſubſidio, aut perpetuo reditu, aut honeſtiore Dominii titulo ab Rege ſublevatis. Atque in hunc modum acceptos mi-

Abeunt externi alii in patriam,

lites, inque varia dein loca diſparatos, Germanos quidem Trajectum verſus, inde Coloniam, atque in Germaniam profecturos ſuis ſub Tribunis. Hiſpanos autem atque Italorum partem per Lotharingiam ituros in Italiam, ductore Octavio Gonzaga, è provinciis Martio exeunte dimiſit. Sed Hiſpani paululum in Bur-

Hiſpani Mediolanum, *ex litt. Sabaudiæ Ducis* 12 *Apr.*

gundia ſubſiſtentes, dum Parmenſis cum Sabaudiæ Duce tranſigeret de exercitu per ejus provincias iter facturo, in manipulos quingenis conſtantes militibus diſtracto; Mediolanum, ineunte Iunio, devenere. Vbi ſenis ſtipendiis

8 *Aug.*

acceptis, quæ (uti Gonzaga ſcribit ad Alexandrum) in arma, veſteſque, & verſicolores criſtas inſumpſere omnia, è Finali portu ſolventes, præter ſex peditum ſigna, quæ manſere in

Inde in Luſitaniam deſtinantur.

Inſubria ſub Gamboa; in Hiſpaniam intendere curſum, inde in Luſitaniam, nondum abſoluto bello, transferendi. ſed in via, mutato Re-

ſed denique per Italiam diſtribuuntur.

gis conſilio, repetere Italiam juſſi ſunt, diſtributis legionibus, Federata per Inſubriam, Valdeſia per Siciliam, Inſubrica veteri per Neapolitanum regnum.

Cortracum recuperant Malecontenti: 1 *Mar.*

Dum emittuntur externi, Cortracum vetus Flandriæ oppidum à Malecontentis recuperatum eſt, Montinii ductu aſtuque. At Ninova, oppi-

2009 Ministerio de Cultura

oppidum Alosto proximum, nec poſt multo 1580.
Mechlinia, amiſſæ ſunt. Illam Franciſcus Lanua, ſupremus militum in Flandria tunc Præfectus expugnavit: capto in ea Comite Egmontio loci Domino, cum fratre, atque uxore. hanc Ioannes Norritius Anglorum Tribunus, aliquorum dolo, ac præſidii parte in proditionem aſſumpta, inopinatus intravit: nec, niſi redintegrata aliquoties pugna, amiſſis ſuorum circiter ducentis, tandem obtinuit, continuata menſem integrum direptione, tam profunda Victorum avaritia, ut poſt abraſa, expilataque templa pariter, ac domos: poſt cives non ſemel vitam libertatemque redimere coactos; in mortuorum quoque monumenta ſævitum ſit, humo revulſis ablatiſque inde ſepulcralibus lapidibus, atque in Angliam avectis, ac palam, hæreſi ipſa erubeſcente, divenditis. Quibus profecto ſpoliis, & ſibi Norritius non leve dedecus, vel apud gentis ſuæ ſcriptores: & in Anglos omnes odium Belgarum, eam populationem, novo nomine, Anglicanas furias hodieque execrantium, comparavit. At Alexander, qui Mechlinienſium infortunio eo magis indoluit, quo majore illorum confidentia id acciderat, non receptis intra urbem, quos ipſe immiſerat, Epirotis equitibus Georgii Baſtæ; properavit Montes ingredi: ibique in principe templo Gubernator provinciarum, priſco ſolennique ritu ſalutatus, confeſtim ordinando civili militarique ſtatui animum adjecit: ac ſuppleto principali concilio, in Octavii Gonzagæ, Serbellonii, ac Taſſii locum, qui ſenatorium munus obierant juſſu Regis in ſenatum inducti, non tamen ejuſdem diplomate inter conſiliarios adlecti; Marchionem Rubaſium, Comitem Lalinium, & Raſſinghemium nominavit. Vt verò ſanctæ Gertrudis, ac Marollæ Abbates in regium hunc ſenatum admitterentur, quamvis utrique, ob egregie præſtitam in Colonienſi conventu operam, Terranovæ Dux id ſpopondiſſet, & Rex inter conſiliarios deſtinaſſet, & Alexander inſtitiſſet,

Fœderati 10 *Martii* capiunt Ninovam, 9 *Apr.* & Mechliniam,

Furiali depopulatione,

inde Anglicanæ furiæ. *Camdenus Annal. Angl. par.* 2.

Alexander provinciarum Walloneum regimen capit. 29 *Apr.* *concil. ſtatus.*

ſenatum ſupplet eorum loco qui diſceſſere:

Duos tamen admitti repugnant Wallones.



2009 Ministerio de Cultura

1580.

ſtitiſſet; adduci non potuere provinciarum Delegati: opponentes ſimulato in præſens unius diei obſequio, præterita eorum facinora regiis partibus perpetuo noxia: TVTVM autem non eſſe, ingenia odiis innutrita, novo conciliata beneficio, velut delinitam lactis hauſtu viperam, in ſinum admittere. Acrius de novo militum delectu diſceptatum: decretumque, ut exercitus triginta peditum millium, quinque equitum conſtaretur, ſtipendio menſtruo ab Rege quidem ducentorum quinquaginta millium aureorum, reliquo autem à provinciis perſolvendo. Equitatui, nam hujus præcipui duces abierant, Gubernatorem impoſuit Marchionem Rubaſium, promptum animi ducem præſervidumque. Equitum levis armaturæ Legatum addidit Marchionem à Monte, notæ jam pridem fidei, bellicæque virtutis: & Commiſſarium generalem dixit Georgium Baſtam, origine Epirotam, in pago tamen Tarentini agri natum, militari ſcientia clarum: quem è Farneſiana ſchola ſupremum Cæſarei exercitus Ducem vidimus in Pannonia ex Othomannicis copiis perpetuo victorem. Vtrumque autem horum, quos nominavi, & Epirotas omnes, & Italorum multos tanquam è Gubernatoris domo, provinciæ, quamquam externos, non abnuebant.

De novo exercitu conſtando agit Alexander. *Vicecomes Gandaven.* magiſtrum equitum creat: *Tenente* & vicarium ejus & Commiſſarium generalem.

*Rocca, pagus;*

*qui poſtea Huſta Comes.*

PVGNA apud Engelmunſterum.

Et Rubaſius quidem Alexandri judicium cito commendavit. Etenim poſt captam Ninovam, Engelmunſterum, caſtrum ſluvio Mandræ vicinum, obſidione cinxerat Lanua. commiſſaque Marquettio Vicario quatiendæ arcis cura, ipſe Inſulas, oblata ſubito ſpe intercipiendæ urbis, cum parte copiarum clam divertit. Sed audito, Rubaſium liberando Engelmunſtero cum quindecim turmis Epirotarum Italorumque, & ſelectis aliquot wallonum cohortibus adventare; mutato conſilio, relictis ad celeritatem nonnullis ſuorum centuriis, in caſtra extemplo redit: ac Marquettio mandat, ut arreptis quinquaginta majoribus ſclopeta-

Lanua obſidet Engelmunſterum *Lilla*

cui liberando advolat Rubaſius.

peta-

1580.

*Moſchettieri* ejus milites pro occupando ponte confligunt cum Lanuianis: & pontem obtinent.

petariis, Iſinghemium contendat: ac pontem, quo Mandra ibi trajicitur, interſcindat. Eodem tempore Bica equitum ductor, qui cum duabus ſclopetariorum turmis præmiſſus fuerat à Rubaſio ad occupandum pontem, Iſinghemium feſtinaverat: juſſiſque ſuis equo deſcendere, commiſſa confeſtim pugna, ponte Marquettium expulit. ac ſuperveniens interim Rubaſius, relictis cuſtodia pontis aliquot Wallonibus, aggredi ſtatuit hoſtium caſtra prius, quam Odettus Telinius Lanuæ filius quam ocyſſime Wacchanam miſſus à patre, advocaret inde relictas

Caſtra Lanuæ;

cohortes. In iis caſtris Lanua delegerat equitatui ſuo armorum aream aliquanto quidem anguſtiorem, ſed ſitu percommodam, ac ferme inacceſſam, niſi aditu uno, eoque à quingentis majoribus ſclopetariis, proximas molas inſidentibus, præmunito. Per hunc aditum in caſtra Bicam irrumpere, una cum Georgii Chariſææ, ac Nicolai Baſtæ, lancеariis turmis, additis aliquot peditum cohortibus, Rubaſius jubet, ipſe cum reliquis copiis in tempore affu-

ejus militum numerus & ordo.

turus. Erant equites Lanuæ circiter octingenti, veterani ferme omnes, per turmas aliis alias ſucceſſuras ita diſpoſiti, ut in aditum, quem ſatis tutum dicebam, latus obverterent. eo conſilio, ut dum commilitones apud molas pugna-

Caſtra invadunt Rubaſiani:

rent, ipſi, ſi opus foret, ex alia caſtrorum parte prodeuntes, Rubaſianos à lateribus aggrederentur. Sed Bica, ſuperatis multo, quam hoſtes crediderant, celerius iis, qui ad molas ſtabant, eodem impetu illatus in caſtra, directa in primam, quæ Scotorum erat, turmam pilarum emiſſione, eam paululum turbat: turbatam Chariſææ Baſtæque lancearii protinus invadunt, motamque in turmas pone aſtantes reflectunt inclinantque: inde equitatus omnis inſtar connexi conſertique corporis, ab unius impulſu partis, nutare ubique, diſtrahique cœpit: fruſtra nitentibus inter eas anguſtias reſtituere ordi-

fruſtra defendente Lanua,

nes, inque locum gradumque reponere Lanua, ac præcipuis quibuſque Gallorum. Quum



2009 Ministerio de Cultura

1580. ſubito arma inferente Rubaſio, recenti cum equite peditequee, ductoribus Camillo à Monte, ac Nicolao Cæſio: aucto cum cæde metu, pars in fugam conjicitur, pauci hoſtium impetum conſtanter excipiunt, Lanua expectatione filii pugnam ſuſtinens, à pleriſque deſertus, ad extremum capitur. Dux, ſi quiſquam alius, belli ſciens, ſed fortunam expertus plerunque improſperam, partibuſque ab eo ſumptis merito iratam. Captus eſt ſemel in Tornacenſi prælio, iterum ad Monconturnum, rurſum captis Hannoniæ Montibus inter deditos obſes retentus, quartum hic, & quidem ſuis in caſtris: raro ſine privato infortunio pugnam ciens, quippe aut corpore ſaucius, aut brachio toto ſectus, aut demum capite glande ictus extinctuſque.

*qui & ipſe capitur. 12 Maji. Virtus bellica & fortuna ejus. 1569. 1569. 1572. 1591.*

Deſiderati ex hoſtibus dicuntur in hac apud Engelmunſterum pugna, paululum ſupra ſexcentos, capti cum Lanua Marquettius, ac nobilium multi: capta ſeptendecim ſigna peditum, equitum vexilla quatuor, ac tormenta muralia tria, cum omni bellico in caſtris apparatu. Sed ſpoliis omnibus carior Alexandro fuit ipſe Lanua à Rubaſio velut in triumpho Montes adductus ad Alexandrum. Qui poſtquam illum perhonorifice aliquandiu habuit, incertus animi de hujuſmodi captivo quid ageret, Regem conſulit in hæc verba. *Quum primum Lanua venit in manus meas, homo & ſacramenti violator, (quo ſacramento, è Montenſi urbe ab Duce Albano capta non prius emiſſus eſt, quam ſe cum reliquis obſtrinxit, Nunquam ſe militaturum adverſus Hiſpanum Regem:) & hæreſis, hæreticarumque partium ubique locorum ductor: & in primis rebellium Belgarum incentor, ac propugnator; reputans ipſe mecum, huic uni non minus ab ingenii ſagacitate, quam ab aſſidua civilium diſcordiarum tractatione, artes ineſſe omnes, quibus conſilio manuque bellum alere adverſus Deum, Majeſtatemque veſtram, diuturnum queat, decreveram, ſumpto de eo ſupplicio, uti meritus eſt, externis hominibus documentum dare, ne ſpargendis per alienas provincias turbarum facibus,*

*Numerus occiſorum captorumque & ſpoliorum ex Lanuianis.*

*Mons de Enau*

*26 Iun. Alexander incertus quid agat de Lanua, conſulit Regem in hæc verba;*

2009 Ministerio de Cultura

*cibus, venalem operam cuiquam præſtent. idque per-* 1580.
*agere præmature avebam, antequam Majeſtati veſtræ integrum foret, in ea re quidquam certi præcipere: quo intelligerent omnes, ſumptum in Belgio, non acceptum ab Hiſpania conſilium. Sic enim ſentio,* FIDELIS *miniſtri partes eſſe, ſi qua ex animadverſionibus ac repulſis timentur odia, ea in ſe transferre, objectuque ſui, Principem tegere ab invidia: illi beneficentiæ materiam, illi gratias ſeponere. Verum quum plane proſpicerem, quid hæc animadverſio effectura eſſet in Egmontio Comite, in Norcamio Sellæ Domino paucis ante diebus in fraudem inducto captoque, inque aliis regiarum partium conſtantiſsimis viris, apud Orangium jamdiu detentis: in quos ſi quid gravius ſtatueretur, non leves profecto turbæ à Nobilitate cum iis ſanguine conjuncta timendæ eſſent; ſatius duxi, non aliud ſuper eo conſilium capere, quam quod Majeſtas mihi veſtra ſuggerere non gravabitur. Interim Namurcum brevi profecturus, illuc hominem mecum traham, traducendum inde Limburgenſem in arcem, & Gaſpari Roblao Billii Domino committendum: cujus fidei, ſi quid arcani de eo Majeſtas veſtra mandaverit credere unice poſſumus.* Ad ea Rex animo hærens, eoque nihil certi in hac cauſa reſpondens, (quod Regi ſolitum, quum dubiam laudis aut culpæ aleam miniſtro cedere ſatius ducebat) ſolum Alexandro mandat, ut Marchioni Rubaſio victoriam ſuo nomine gratuletur: ſpondeatque, memorem ſe virtutis ejus induſtriæque futurum, uti mox fuit. Sic Regis nihil de Lanua expedientis hæſitatio, in quintum uſque annum, hominis captivitatem remorata eſt; donec eum cum Egmontio Comite commutari demum placuit.

*à Lanua à Villerſio*

Rege nihil reſpondente de Lanua,

inter captivos aſſervari Alexander illum jubet.

Interea Namurcum advenerat ab Italia Margarita Parmenſis, Caroli V filia, Alexandri mater, ab Rege deſtinata provinciarum Gubernatrix. Etenim Rex, ut initis in Wallonum reconciliatione capitibus ſatisfaceret, non diu ſuper ſorore dubitaverat, Belgarum populis per quam grata, & ab ipſis ſæpius ad illud regimen repetita. Hæſerat quidem à principio, an inter eas bellorum tempeſtates, ac multorum nau-

MARGARITAM Alex. matrem mittit Rex in Belgium Gubernatricem: *ſub initium Auguſti*



2009 Ministerio de Cultura

1580. naufragia, rei bellicæ clavum feminæ quamquam gubernationis nequaquam ignaræ, tuto committeret. Sed hærentem Cardinalis Granvellanus in conſultationem adhibitus cum I. Idiaqueſio rerum belgicarum in Hiſpaniæ conſilio moderatore, in ſuſcepta prius ſententia firmaverat: modo juberetur Alexander Gubernatrici adeſſe, & armorum imperium retinere. Sic enim & feminæ addi virtutem viri, & quidem Alexandri virtutem: & unum ex utroque Gubernatorem belgicis neceſſitatibus parem apte componi. neque enim verendum, ne unus futuri non eſſent, talis parens, natuſque: quorum illa unicum hunc unice diligeret, hic illam ſupra omne filii obſequium adoraret. Rex probato conſilio, quid decreviſſet, Alexandrum admonuit: juſſitque provinciis exponere, Motum ſe ad ſororem ſuam, quamvis ætate gravem, eo inſuper onere gravandam, unico Belgarum bono, quibus acceptam fore illam non dubitaret, cujus diuturnam in eo regimine prudentiam comitatemque ad eorum mores accommodatam, experti jam eſſent, ejuſque reditum conjunctis populorum votis ſæpius expetiiſſent. Et vero non falſo expetitam, inſolita provinciarum gratulatio, Nobiliumque ad eam certatim inviſendam venerandamque frequentia palam fecit. Niſi quod publicam Namurci lætitiam interturbarunt veteranæ aliquot Germanorum cohortes, quæ urbis præſidio deſtinatæ, ſumptis armis, atque occupato mercatorum foro, ſtipendia, ut in novo regimine, licentius ac minacius efflagitabant. Id quod animum perculit Alexandri, ad matrem ſalutandam Namurcum ex Hannonia contendentis: eo magis, quod in itinere nunciatum eſt, haud procul eſſe centuriam Lovanio egreſſam, properantemque, ut ſe ſeditioſis Namurcenſibus immiſceat. Erant Alexandro turmæ Epirotarum duæ: cum his tranſverſa per itinera incitatis equis, centuriæ Lovanienſium improviſus occurrit. ſumptoque protinus de ſubcenturione ſup-

*eique Ducem armorum deſtinat Alexandrum:*

*& conſilium ſuum provinciis exponit:*

*quæ ſumma illam gratulatione ſuſcipiunt. ſed lætitiam turbat ſeditio Germanorum Namurci orta: Namurcum*

*Ad quam diſturbandam occurrit ex Hannonia Alex.*

*Et in via alios ſeditioſos plectit.*

2009 Ministerio de Cultura

ſupplicio, nam Centurionem fuga procul abſtulerat, milites paucis increpitos, velut unius pœna placatus, Lovanium remittit. Sed accitum ad ſe Licquium Lovanio præfectum, traditaque ei ſtipendiorum parte in præſidiarios dividenda; jubet, habita quæſtione haud impunitos omittere reorum duces. Ipſe interim, ut erat equitibus comitatus, Namurcum intrat: rectaque in forum tendens, conglobatis illic cohortibus inter preces ac minas ſtipendia confuſe poſcentibus imperato ſilentio, exprobrataque perquam acriter importuna inverecundaque licentia, qua inter ea populorum gaudia, ac venerantium officia, Caroli V filiam, Philippi Regis ſororem hoſtiliter obſediſſent; jubet venire eorum aliquem, ac per modeſtiam poſtulata militum exponere. Diſcordes quem mitterent, turbidos atque impacatos relinquit minitabundus, ac certus omiſſis aliquando mollibus remediis, præſente animadverſione contumaciam ulciſci. audierat enim prope jam eſſe, quos periculo matris anxius advocaverat è Carolomontio ſclopetarios equites, ac peditum Wallonum ſigna. Quum ecce mutati repente Germani, ſive meliorum ſuaſu, ſive aliquid de accitis auxiliis ſuboluerat, conferti, reverenteſque, Alexandrum circumſtant, neceſſitati factum imputant, nudanteſque corpora cicatrices oſtentant, ætatem hiſpanis in caſtris actam, duriorem in dies militiam, nec ſtipendiis allevatam objiciunt: orant, ne ſecuturis mox annis militiæ invalidis, inopem adeo finem miſerumque, ipſe militum pater imponat. Motus ad ea Alexander, ſecumque reputans (ut ad Regem ſcripſit) quam male apud omnes auditura eſſet belgica Regis militia, ſi externus miles, poſt annorum complurium labores, emerito ære vacuus è regiis caſtris exigeretur; ſtipendiis partim enumeratis in præſentia, partim in Germania enumerandis, è Belgio dimiſit. Valuitq; exemplum, ut quæ Lucemburgenſem provinciam vexabant Fuggeri, & Barlamōtii legiones, tanto

1580.

Tum Namurcum ingreſſus tumultuantes objurgat.

*Sciarlemons* illi neceſſitates ſuas Alexandro repræſentant:

eumque movent: *6 Auguſti,*

& ſtipendiorum parte accepta Belgio abeunt.



2009 Ministerio de Cultura

1580. quotidie pervicacius, quanto poſt Fuggeri obitum, exuto omni obſequio licentius prædabantur; miſſis ad Alexandrum legatis clementiam ejus, opemque diuturnæ militiæ debitam imploraverint. Sic acceptis, ſed ea, quam prius abnuerant, conditione ſtipendiis, pars domum abiit: pars, non ſufficiente quamvis grandi pecunia, (ſiquidem quæ Germanis debebantur, vetera erant ab Ducis Albani, ac Requeſenii, Auſtriacique temporibus) Limburgenſem agrum infenſa retinuit. aucta ex eo Margaritæ cura: quæ quoniam Belgium ingreſſa, ſe ſe vidiſſet per Limburgenſem provinciam, velut per hoſtile ſolum, præſidio deductam, ac Namurci ſtatim obſeſſam; longe profecto, quam ſibi perſuaſerat, turbis agitatum gravioribus Belgium nacta, damnare apud filium cœpit facilitatem ſuam. Sed Alexander, ut malum non inficiabatur, ita prudentiam ejus extollebat, cui, modo Rex ab Luſitanica expeditione liber, Belgium liberalius aliquando reſpiciat, procliviora in poſterum omnia augurabatur. Sic ille tunc quidem apud matrem. ceterum Cardinali Granvellano ſcribens, quem conſilii authorem ex ejus litteris deprehenderat; *Negat ea partitione regiminis, Belgio conſultum, aut ſibi: cui arma tractanti apud homines ægre parentes, & libertatis immodicos, addi non diſtrahi authoritatem oportuerat. Matri omnia ſe debere: nec opinari ſe, quemquam eſſe mortalium pronioris erga parentem obſequii venerationiſque. idque non propter naturæ ſolum jura, ſed etiam ob ſingularem ſapientiam doteſque maximi Cæſarum filiæ, Regumque maximi ſororis, cui vel haſtati peditis in munere deſervire, laudi nimirum ſibi decorique ducturum. Verum diviſo cum ea imperio Belgium moderari, Regis cauſæ conducibile non eſſe. Itaque quum ſextus jam inſtet menſis, ex quo ipſe præfecturam inierit apud Wallones, ideoque ex eorum conditionibus novus in provincias Gubernator inducendus ſit; obnixe orare, cum Rege tranſigeret, ut ſibi Belgii cura mox libero regias manus deoſculatum adire permittatur.* Acceſſit

*9 Maji*

*Alex. ad Regem 11 Aug.* At Margaritam hiſce turbis motam pœnitere incipit admiſſi regiminis

Alexander illam animat;

*1 Sept.* non tamen probare ſe hanc imperii diviſionem ſcribit ob has cauſas:

*à die 29 April.*

2009 Ministerio de Cultura

ſit ad Alexandri ſententiam Margaritæ volun- 1580.
tas, quæ novis quotidie turbis offenſa, ſeme- Ita quoque
ſtri quamvis elapſo, regimen adire non ſuſti- ſentit Margarita.
nebat: precata filium, onus ne deponeret, dum
reſponſa Regis opperiretur; cui pridem com- in eamque
poſitis litteris oſtenderat, regimen provincia- ſententiam
rum quacunque ratione diviſum, præſenti re- Regi ſcribit.
rum ſtatui opportunum non eſſe. ac falli, qui
ob matris filiique conjunctionem indiviſum
putent: ſatis dividendum, (ſi cetera deſint)
contentionibus miniſtrorum. urbana quippe negotia eo maxime tempore ita armis innexa implicitaque, ut dubitari non poſſit, quin in eorum ſeparatione, certamen inter bellicos politicoſque conſiliarios ad ſe ſe illa trahentes, aſſidue futurum ſit, ingenti negotiorum mora, atque pernicie. Ita quoque viſum Alexandro filio, quem adminiſtrationem interim continuare compulerant & ipſa, & Procuratores provinciarum, teſtati, ſi quid Belgio adverſi contingeret, Alexandro Principi tribuendum.
Verum quum à Cardinali Granvellano, atque 1581.
à Petro Aldobrandino Margaritæ aulico, (quem ipſa quatuor ante menſibus ad Regem allegaverat nuncium adventus ſui in Belgium, eique nuper hanc regiminis cauſam cum Rege tranſigendam impoſuerat) aliquoties reſponderetur, Regem in ſententia perſtare: Rexque ſed Rex non movetur,
ipſe, feſtinatis ad Margaritam, atque ad Ale- 1 *Febr.*
xandrum litteris, huic mandaret, ut matri per- 1581
ſuaderet Belgii præfecturam capeſſere: illi, ut filium induceret ad operam ei in armorum
adminiſtratione præſtandam; Margarita qui- & ad Margaritam atque ad Alex. ſcribit.
dem expugnata eſt. oſtenſiſque Alexandro litteris tum à Rege poſtremum datis, queis jubebatur, eum filio adminiſtrationem inire: tum à Granvellano non obſcure ſignificante offenſionem Regis, ſi obluctarentur; denunciat Alexandro, ſe onus exinde ſubituram, ſed cum
ipſe partitam. proinde orat, ne Regi acrius ob- Illa dat manus;
nitens, judicium Principis, diſſentiendo, damnare videatur. immobili ad ea Alexandro, quod diceret,

2009 Ministerio de Cultura

1581. Non Alexander, — diceret, ejuſmodi regimen nec publice utile, nec privatim decorum, atque adeo nec Regi denique probandum. Ad quem ipſe in hanc ſententiam multa quum perſcripſiſſet, quibus

6 Mar. qui Regi ſententiam ſuam exponit. At Granvellano planiſſ. aperit cauſas diſſentiendi; — ex ea bipartitæ adminiſtrationis forma certam provinciarum perniciem conficiebat, non diſſimulans honoris inde jacturam ſui; Cardinali Granvellano mentem prorſus omnem denudandam putavit. Namque poſt curſim expoſitas diſſenſionum occaſiones, ſe inter, ac matrem, haud dubie ſecuturas, partim ipſa negotiorum neceſſitate, ubi eorum ratio uni non redditur: partim æmulatione inter arcium urbiumque Præfectos ſolito majore, quaſi eorum jura, quorum perſonam referant, defenſuros: par-

additque apud eum querelas: — tim aulicorum culpa nonnullorum, quos matri percaros, ſibi parum benevolos non ignoraret; queritur, operam ſuam adeo male collocatam in Belgio viſam fuiſſe Regi, ut, quo maxime tempore dignum aliquid liberalitate

& conficit, diviſionem illam ſtipendii nec deberi meritis ſuis, quæ large & ex vero commemorat: Limburgum — Principis expectaret, de gradu poſitus (quod in militia inuſitatum) dimidiata adminiſtratione plecteretur. *Et quid enim ad eam diem ab ſe factum, quod acceſſionem gratiæ apud Regem, omnium gnarum memoremque, non meruerit? Initio præfecturæ repertas à ſe provincias regiarum partium ex univerſo Belgio omnino tres, quarum tamen unam ipſe, Auſtriaco Gubernatore, ſubjeciſſet. in præſentia, & quidem intra biennium, ſeptem ſive octo numerari, præter urbes in Brabantia aut obſidione domitas, aut officiis & cura ad obſequium traductas. Hæc autem peracta cum exercitu, ut ab Auſtriaco acceperat, primum modico, atque intra munitiones obſeſſo: mox aucto quidem, ſed ſtipendiis imminutis: tum, remotis Hiſpanis externiſque, relictum ſe in Wallonum manibus ſemeſtrem Gubernatorem, atque adeo expoſitum eorum contumaciæ, tanquam abiturum. gliſcentibus interea hoſtium copiis, irrumpentibus paſſim in Belgium Gallorum auxiliis, auditis undique defectionibus: inter ſuſpectos, ſuſpectanteſque, inter Præfectorum arcium, Tribunorumque diras, ſtipendiis non procedentibus, denunciationes: inter legio-*

2009 Ministerio de Cultura

*legionum ſeditiones ac minas, quas ipſe non raro aut ſuo ære placaverit, aut periculo ſuo perterruerit. Et tamen adverſus hæc omnia ſtetiſſe ſe ſemper impavidum invictumque; & , poſt emiſſos Hiſpanos, cum tyrone exercitu, quem armorum rudem componere agmen, ad ordines ſe recipere, haſtam inflectere (quod Tribuni dedignentur) ipſe docuerit: pecunia ab Hiſpania ſuppeditata ſemper parce, interdum nulla, raro opportune; non modo ſuſtentatas à ſe partes, regiique nominis exiſtimationem; ſed etiam additas provincias, amplificatam catholici exercitus gloriam, auctum ſibi apud hoſtes uſque adeo nomen, ut profecto, æſtimatis, quibus hæc patrata ſint viribus, pro milite famam Ducis pugnaſſe, & cauſam Deumque viciſſe dicendum ſit. An poſt hæc, æquo poſſe animo ferri, horum nullam, tanquam ingrata Principi fuerint, rationem haberi? Et ferri tamen poſſe, ſi uni res ſibi denique obeſſet. Sed quum hæc imperii diminutio authoritatem imperantis infringat, miniſteria confundat, obedientiam peſſundet, atque adeo in perniciem provinciarum vertat; decreviſſe ſe, nudam armorum præfecturam non admittere, ratum Regi æquiſſimo rerum æſtimatori non improbandum conſilium ejus, qui malit ſe gratia, quam Principem ditione ſua periclitari. Quamobrem obſecrari à ſe Granvellanum, quem patris ſemper loco veneratus ſit, ut hæc Regi ſubjiciens, authoritatem quoque ſuam in loco adjungat. non quo ejus opera præfecturam Belgii integram ſibi continuatam velit, id enim averſari ſe, ac deprecari: ſed ut ſibi per Regis clementiam liceat, aut in Hiſpaniam ad ejus conſpectum ire, aut in Belgio privatum militem matri adeſſe: certe ne intra provincias ſiſtatur cum eo dimidiati regiminis dehoneſtamento, ex quo detrimentum Regi, dedecus ſibi procreetur.* Hæc à Granvellano Cardinali perlecta Regi, quamquam is nullo offenſionis indicio audiit, velut eodem animo ingenioque ſcripta, quo geſta: & ea ad fugam concepti dedecoris, non ad prædicationem gloriarum referebat; tamen parum illis motum eſſe nunciabatur Alexandro à Granvellano, & Margaritæ ab Aldobrandino. Igitur evulgato inter Wallo-

1581.

nec præſenti Belgarum ſtatui.

Itaque aut diſceſſum petit,

aut privatum militis munus.

Rex perſtat in ſententia.

009 Ministerio de Cultura

1581. Vulgatur Al. diſceſſus è Belgio, cum magnis procerum querelis;

Wallones Alexandri diſceſſu, tumultuari cœptum à belli Proceribus, palam edicentibus, ſi ita deſererentur provinciæ, renunciata Regi militia, ſibi quemque conſulturum. Vnus inter eos lætari Mansfeldius credebatur, non quidem offenſus Alexandro, quem potius amabat ante alios, colebatque; ſed expertus olim ſingularem Margaritæ benevolentiam, ſperabat armorum onus in ſe unice à Gubernatrice inclinandum. quo intentius Rubaſius aliique Mansfeldianæ ſpei non ignari, abſceſſum Alexandri Principis improbabant. Itaque Margarita, ſuper alias cauſas, hanc etiam militum denunciationem Regi perſcribens oravit Majeſtatem ejus, ne quid in Belgio immutatum vellet. & Alexander, miſſo jam in Luſitaniam Adriano Gomicurtio Trajecti Gubernatore, fortunato ſemper commiſſorum interprete, diſceſſum ſuum apud Regem urgere non deſtitit, ejus clementiam precatus, ſibi perſuaderi pateretur, hominem tot nominibus Majeſtati ejus innexum mancipatumque, quique ſemper occaſiones ei parendi vita ipſa cariores mercari vel ſanguine conſueverit; cauſam utique habere permagnam, cur in præſentia juſſa ejus morando, interpretari potius commoda Principis, quam exequi verba coactus ſit. Rex tot è Belgio litteris, nunciis, deprecatoribuſque tandiu fatigatus ac feſſus, ne aut perſiſtendo cogendoque, Alexandrum offenderet ægre parentem, eoque nec diu pariturum: aut illum revocando, tali ſe Belgiumque deſpoliaret Duce, cui quem compararet, non facile habebat; à ſuſcepto conſilio deſiſtendum ſatius duxit. Vt tamen & ſorori fruſtra in Belgium inductæ conſuleret, & deſtinationi ſuæ: quaſi ERRORIS confeſſio ſit, mutanda feciſſe, alio nomine Margaritam in Belgio detinere ſtatuit. Scriptiſque ad eam litteris, ac laudato ejus tum prompto obſequendi animo, tum opera ad permovendum filium adhibita: poſtquam exemptam illam onere, quod impoſuerat, idque integrum Alexandro reſtitutum expoſuit, addit;

[Margin: quas Regi Margarita ſignificat 16 *Martii.* ad eum permovendum. *ubi tunc erat Rex* ſed Alex. diſceſſum ſuum urgeri mandat apud Regem, hiſce rationibus.]

[Margin: Rex denique à conſilio deſiſtit;]

[Margin: Margaritam tamen jubet in Belgio ſubſiſtere ſub alio nomine. 29 *Decembr.* 1581]

*Non*

2009 Ministerio de Cultura

*Non idcirco viſum ſibi, è Belgio illam, uti ipſa poſtulaverat, liberare: non ſolum ne ſermonum materia præbeatur multis, ſubitum ejus abſceſſum in matris filique contentiones, ac diſsidia relaturis: ſed etiam ut, quum rebelles ita vi armiſque domandi ſint, ut ſimul locus aliquis pœnitentiæ ac regreſſui commonſtretur: quumque illud nemo melius Alexandro impleat; ſit ipſa veluti ara fugitantes alliciens, retinenſque. ſic enim expertum ſe,* RARO *impunitatem fruſtra proponi: & plerumque ſpe veniæ ſcelera diſparari. Belgarum in eam ſtudium & obſervantiam ſumma eſſe; & parem ei prudentiam. ex quibus futurum, ut cetera contumaces ſequeſtrem illam ac mediam non refugiant: & ipſa patrocinium offerendo, reduces componat, & obedientiæ ac paci reſtituat. Capeſſeret igitur libenti animo provinciam: delectaque arbitratu ſuo urbe ad hoc clementiæ tribunal accommodata, ſibi perſuaderet, nullam ex omnibus rem eſſe, in qua fratri obſecundare gratius unquam poſſit.* Eadem Alexandro Rex ſcribens, cauſiſque ſuſtentati ad eam diem conſilii ſui redditis; quid de ſorore in Belgio retinenda ſtatuerit, quantumque repoſitum in eo putet, admonuit. Ac poſt commendatam ei rem belgicam, ſua Rex manu addit, *In provinciarum adminiſtratione nihil eſſe, quod ab eo partes omnes explente deſideret, præter id, quod alias admonitum voluit, ut in poſterum vitæ ſuæ parcior, imperatoriis artibus, quibus poteſt pollетque, contentus ſit.* Et quoniam ex præfectura Margaritæ tradita, abrogatum jam erat imperium Alexandro, Rex novum ei diploma tranſmiſit. quod ut factum eſt rogatu provinciarum, Alexandrum Gubernatorem depoſcentium, (hæc enim afferebatur in diplomate cauſa) ita hoc ei ſupra omnes retro Belgarum Præfectos honorificum gratulatur ab Hiſpania Funcquius rerum belgicarum curator apud Regem. At Margarita parendi quidem anxia, ſed Namurci quum diu morata, vix operæ ſuæ locum, cunctis arma reſpicientibus, videret; reditu impetrato, ac relicta, quam ſupra triennium habuit, non exercuit præfectura; ſeptem-

1581. quod ipſe Margaritæ exponit in hunc modum.

Idemque Alexandro ſignificat,

cum hoc monito

Ac ſimul novo illum diplomate Gubernatorem honorifice confirmat: 29 *Decemb.* 1481 & Margarita impetrat ab Rege reditum in Italiam.

2009 Ministerio de Cultura

ſeptembri menſe anni ſeſquimilleſimi octogeſimi tertii in Italiam profecta eſt. Atque in hunc modum deſignatio illa Regis, tres ipſos annos conati inter matrem natumque diſtribuere imperium, (ſeu cauſam referas ad non dividuum Belgii regimen, ſeu potius ad hominis animum in regimine non dividuum, fruſtra ad extremum fuit.

# DE BELLO BELGICO

## DECADIS SECVNDÆ LIBER QVARTVS.

DEFECTIONES aliquot civitatum & Nobilium,

SED me neceſſitas rem ſimul omnem non interrupte comprehendendi, ad tempora poſtea memoranda tranſduxit. Vnde, retracta narratione, redeo ad intermiſſas cum tumultuantibus curas Alexandri. qui vix diem ſeptimum hæſerat apud matrem, quum de Aloſti periculo, deque aliquorum Nobilium tentamentis ſollicite admonitus, Montes confeſtim repetiit, propius inde cum regio Senatu conſulturus. Et gliſcebant in dies hinc atque inde ſuſpiciones, trepidis offenſiſque, ut memoravi civitatibus, ex militum querelis arces deſerentium, deditioneſque minitantium: Rege interim novis Imperiis intento, ac vetera ſecurius poſthabente. Acceſſit & Regis morbus, qui ut ingraveſcere ab aula nunciabatur, ita pernicialis ac ſupremus vulgo eſt creditus. Immo (facili perſuaſione multorum, occultari Principum fines nominibus ingraveſcentis morbi) mors Regis toto ſtatim Belgio evulgata: feſtinante

*Mons de Enao.*

ex pecuniæ inopia, *Luſitan.* & Regis morbo,

famaque mortis ejus.

2009 Ministerio de Cultura

nante per hæc turbida Orangio, ritu aranei nubilo texentis. Et vero vix ulla in provinciis Regi parentibus urbs, paguſve, aut caſtrum erat, quo ille turbarum fila non deduxerat. Iamque ejus aſtu Dieſtemium, Sichemiumque in manus Ordinum devenerant, ſiniſtra Wallonum præſidiariorum fama: juſſiſque ab Alexandro arcis utriuſque Gubernatoribus attineri. Quin & Trajecti præſidiarios palam denunciantes, portas ſe ſe ſollicitanti Orangio recluſuros, niſi pecunia actutum ſolveretur, Alexander tranſmiſſa ad Gomicurtium Gubernatorem duorum millium aureorum ſumma, quam forte per eos dies ab Octavio parente, cetera vacuus, acceperat; utcumque ſedavit. Sed multo altius perculere animum ejus ſubitæ primariorum aliquot defectiones. Namque Auxii Dominus, Comitis Boſſuvii frater, præter omnium expectationem, conatus Aloſtum præfecturæ ſuæ urbem Orangio tradere, repulſus à Magiſtratu, ac loci præſidiariis, in caſtrum ſuum Licherchium ſe recepit, ejecto inde Regis præſidio, Ordinumque admiſſo: ipſe interim exutus & patria turma belgicorum equitum, & Aloſti regimine, & præfectura ſilvarum, immo & uxore ipſa mariti transfugium execrata, atque Aloſtum cum filiis clam digreſſa. Majus adhuc aliquid molitus eſt Gulielmus Hornanus Heſii Dominus, cum Chrecquio, Inchioque. Summa conſiliorum erat: ut Heſius ſuam, & quæ captivi Egmontii fuerat, ſibique tunc parebat, legiones in ſeditionem excitaret: atque à Regis partibus abſtractas venienti è Gallia Alenconio adjungeret, eumque Armenteriæ primus exciperet. Chrecquius Ariam, vicinaque loca in Alenconii nomen adigeret. Et eundem Inchius arcis Cameracenſis Præfectus in urbem, uti jam erat pactus, admitteret. Addunt aliqui, Heſium de Alexandri nece cogitaſſe: quem orare decreverat, ut ſe, ſequenti die, explicaturum legiones Cameracum verſus deſtinatas aſpectu ſuo dignaretur, alacritate mili-

1581.
*Plin. lib. 9. cap. 24.*
Orangio occaſiones non omittente
*Maſtric*
*Alex. ad Reg. ij Aug.*
Trajecti præſidiarii accepto ære ſedantur.
Relinquunt Regis partes, Auxii Dom.
*Maximil. Hennin. Boſ. Com.*
*Baliage du Boſchi*
& Hornanus, & Chrecquius, & Inchius,
conjurati tradere Alenconio legiones,
& arces,
*Eques Rinal. Alexandri aulicus in comment.*
& moliri necem Alexandri.
in hunc modum,

1581. militum haud dubie gaviſurus. Conveniſſe autem illum cum aliquot legionariis in ſcelus coëmptis, ut inter ſalutandum feſta ſcloporum exploſione Ducem, ipſi aliis immiſti ignorabileſque, Alexandrum pilis impeterent, ſternerentque. Conſilium cum aliquot Gallis initum primus omnium Alexandro aperuit Wallonum ductor Montinius, admonitus à Centurione ſuo Gallo, cui in partem aſcito Heſius deſtinata communicaverat, ac litteras tranſmittendas ad Orangium, Alenconiumque tradiderat. Alexander, licet Montinius, mox & Rubaſius affirmarent, poſſe Heſium in poteſtatem haberi, idque in ſe reciperent; tamen laudata eorum fide, actiſque Regis nomine, gratiis; addidit, cautius & procul ab invidia ſibi quidem videri, ſi, quæ eacunque eſſet proditio, novis adhuc indiciis exploraretur. id enim haud dubie gratius Regi futurum: ne per ſpeciem novæ culpæ ulciſci veterem videretur. ſe certe ad hujuſmodi animadverſionum miniſteria ægre adduci. Interim ipſe, quamvis ob vetus Wallonum in Gallos odium, illorum induſtriæ non parum in ea cauſa tribueret, attamen nihil cunctatus, Armenteriam, aliaque ſuſpecta in oppida fidos ſibi homines, ſtrenuoſque feſtinavit; qui ad omnia intenti, ſi quid uſpiam moveretur, prompta viciniſ è locis præſidia evocarent. Quum Rubaſius occaſionem nactus inviſendæ matris in caſtrum non procul Condæo nuper advectæ, illuc Heſium adduxit. nobiles apud matrem mulieres libenter ſalutaturum, atque ibi captum (namque alibi quidquam in eum attentare militibus ſuis ſeptum, arduum habebatur) juſſit illico traduci Quercetum proximum oppidulum, ſed munitum, ibique aſſervari, dum Parmenſis admoneretur. qui ſucceſſu lætus, præſertim, quod liberum ſe, Regemque ab invidia videret; delectos ex reconciliatis Regi provinciis ſingulos cauſæ cognitores Quercetum immittit. à quibus expreſſa primos inter congreſſus rei confeſſione, eaque in earundem

Montinius & Rubaſius detegunt inſidias Alex. *Emanuel Lalin.*

qui oblatam eum capiendi operam non admittit:

Heſius tamen aſtu capitur à Rubaſio.

*Queſoy* & à judicibus reus pronunciatur.

pro-

2009 Ministerio de Cultura

provinciarum conciliis expenſa, reus Majeſtatis eſt habitus. Nec poſt multo acceſſere ab Rege litteræ ſupplicium imperantes. Sed cunctabatur Alexander, commiſeratione in ſororem ejus: quæ nupta Egmontio, eodem tempore virum apud hoſtes captivum, & fratrem capitis damnatum lamentabatur cum Margarita Alexandri matre Namurci agente: quam & Heſius compoſitis è Quercetenſi cuſtodia litteris precatus eſt, Avocaret ad ſe cognitionem: aut ſaltem, pro ſua apud Regem fratrem gratia, laxius aliquod feſtinatæ damnationi ſpatium impetraret. Sed elapſis, qui inter conjuratos cuſtodiebantur, Heſii OEconomo, Chrecquioque, Alexandri juſſu Heſius, quinto poſtquam intra Quercetanam arcem attinebatur menſe, ſecuri percuſſus eſt: nulla Belgarum in eum commiſeratione, quorum multos ex primoribus in ſenatu olim capi, & in cuſtodiam trahi ipſe tunc Bruxellenſis urbis Gubernator imperaverat, ſuperbo juvenis ingenio, & commutabili, quique ſemper alibi, quam quo loco erat, eſſe mallet. Ejus bona, quæ fiſco debebantur, deprecatore apud Regem Alexandro, ſorori attributa ſunt: Crecquii vero, & Eſpinoii Principis, ſi abſentes damnarentur, uti agitabatur; illa Comiti Reuſio tanquam ex eadem Croyorum familia, hæc Marchioni Rubaſio Principis fratri ab Rege deſtinata. Aucto interim tam Regi, quam Alexandro gloriæ cenſu, quos ab alienis facultatibus intactos, facile conſtaret in perduellium ſuppliciis jus & æquum ſectari, non judiciorum retibus, vindiciſque juſtitiæ telis venationem exercere.

[Margin: 1581. | Alex. differt aliquandiu ſupplicium, | 24 *Septembr.* | 8 *Novemb.* tandem gladio plecti jubet. | 1576. *Vide l. 8. Decad. 1.* | Hominis ingenium | & bona non fiſco ſed conſanguineis attributa ſunt;]

Nec minus ſollicitum jampridem res Friſiæ Alexandrum habebant, obſeſſo Groningæ Rennebergio, deſertumque ſe, poſtquam regias partes ſequebatur, conquerente: præſertim audito, Philippum Comitem Holachium novis inſtructum copiis ad caſtra ante Groningam advolare, aggrediendæ urbi ab affini Orangio deſtinatum. Diſcruciabatur ad hæc animo Alexander, pecuniæ inopia triſtibus undique nunciis

[Margin: HARDEMBERGENSIS pugna. *Georg. lalin.* | Ad aggrediendam Groningam jam obſeſſam tendit Holachius:]

oc-

2009 Ministerio de Cultura

1581. occurri non poſſe. Tamen venalem ſe ante paſſurus, quam tradi in manus Orangii Rennebergium; ære undecumque conquiſito, cohortibus aliquot in Champenſi territorio contractis, adjunctiſque ad tria haſtatorum ſigna Thomæ Epirotæ, prænobilis equitum ductoris admonuit Iacobum Coudenhovium, Rennebergii amiciſſimum, ut germano friſioque cum milite, quem accepta à Terranova Duce pecunia conflaverat, præſto eſſet; præficitque his ſimul omnibus (erant autem tria millia peditum, equites ferme ſexcenti) Martinum Schenchium, ſtrenuum ſcientemque militiæ Ducem: & contendenti in caſtra Holachio mature antevertere, intercludereque aditum jubet. Sed Holachius, omiſſis caſtris, occurrere Schenchio, & pugnæ neceſſitatem inferre decreverat. Et jam uterque ad Hardembergam, extremæ Tranſiſelaniæ pagum, prope Vidrum amnem venerat, militibus feſtinato curſu, & intentiſſimo ſolis ardore fatiſcentibus, aliquibus etiam, præſertim ex Holachianis, æſtu ſitique, nam rivi paſſim aruerant, extinctis. Erat Holachius equitum numero, & campeſtribus tormentis ſeptem, quæ apud Regios nulla, non paulo ſuperior: ductorum tamen virtute longe poſt erat. Et Schenchius ſpecimen ſui ſtatim dedit. Nam dum uterque aciem inſtruit, ita ſuam ipſe circumegit, ut ſolem ſibi à tergo relictum, hoſtibus in oculos objecerit. Tum pugnam aggreſſurus, quod ejus equites, depoſitis pauliſper galeis, elatiſque in cælum manibus, Dei opem militariter implorarent; irriſione hoſtium exceptus eſt: quaſi jam, ut Holachius animans ſuos ajebat, manus darent, nudaque capita victori ſubmitterent. tantoque id magis, quanto ad primam tormentorum emiſſionem, loco mota Epirotarum ala, excuſſoque ex equo Coudenhovio, inclamare victoriam cœpere Holachiani: fruſtra interim Schenchio firmare trepidos adnitente, ſuamque illis virtutem, ac Rennebergii intra urbem obſeſſi ſalutem in eorum manibus ſitam

contra quem ſuos mittit Alexander,

Schenchio duce,

*Vidrus ſeu Vechta.*

*circa finem Iunii.*

copiæ utriuſque exercitus: Schenchii aſtus:

& militum pietas,

irriſa ab Holachianis.

Pugna procul à caſtris.

2009 Ministerio de Cultura

ſtam repræſentante. Et vero ab ejus eventu pugnæ, deditio pendebat urbis tertium jam obſidionis menſem ægre ſuſtinentis. Atque inde attentandæ fraudi quæſitus eſt locus. Nam dum eos, qui Groningam obſidebant, quique obſidebantur, ſuſpenſos æque haberet Hardembergenſis pugna, & utrique in horas nuncios inſtantis eventus expectarent; ecce in Fœderatorum caſtris feſti collucere ignes, circumſonare plaudentium murmura tormentorum, tubarumque cantus: omnia in lætitiam compoſita, velut acceptæ argumenta victoriæ Groningenſibus oſtentare: quin & miſſo tubicine, ſollicitati ad deditionem obſeſſi, gratioſiſque ad celeritatem conditionibus adurgeri. Et procedebat, mœſta ceſſuraque civitate, jam dolus; quum repente feſtinatus à Coudenhovio nuncius ad Rennebergium, ordine uti geſta erant in prælio cuncta, in hunc modum commemorat: Pugnæ initium arriſiſſe Holachianis, ob perniciem Epirotis illatam à prima tormentorum impreſſione: aucto dein metu à Coudenhovii caſu duabus pariter lanceis impetiti. ſed turmis in gradum repoſitis ab ductore Epirotarum Thoma, cui cum haſtata Germanorum cohorte acceſſerat Rinelfeldius, & mutato equo redierat cum Friſiis ſuis Coudenhovius, redintegratam eſſe utrinque pugnam. At urgente provectas hoſtium centurias Schenchio, trepidationemque, mox & cladem in peditatum inferente; non diu eventu dubio certatum eſſe, fugam arripientibus Holachianis, eoque pluribus interim cæſis. &, quantum colligi tunc quidem potuit, deſideratos ex victis non pauciores mille ac quingentis: exceptoque Holachio, pleroſque ductorum aut cæſos, aut captos. ex victoribus non majorem quam duorum & quinquaginta jacturam hactenus repertam. ceterum tormentis hoſtium impedimentiſque omnibus in poteſtatem redactis, eodem impetu Covordiam victores moviſſe, atque oppido atque arce haud dubie potitos jam eſſe. Enimve-

1581.

Calliditas obſidentium, ut Groningenſes ad deditionem impellant.

ſed detegitur à nuncio, qui narrat obſeſſis

pugnam,

*Albanenſes*

& regiorum victoriam,

& numerum utrinque cæſorum.



2009 Ministerio de Cultura

1581. Vnde verioris lætitiæ ſignis Groningenſes illudunt hoſtibus, qui obſidionem ſolvunt. Schenchius urbem intrat.

vero tam opportuno, inſperatoque nuncio revixere Groningenſes, ſtatimque excitantes per mœnia paſſim ignes, pari tormentorum tubarumque reſponſo, adhuc læta agitantem irriſere hoſtem: eumque, ut raptis propere ſignis caſtra desereret, audito præſertim adventare Schenchium, perpulere. Et Schenchius cum victricibus copiis triumphantis in modum urbem intravit: nonnullis eundem illum eſſe menſem memorantibus, quo ante hoc tempus annis quatuor & quadraginta, Georgius Schenchius Groningam ingreſſus, Caroli V nomine in deditionem accepit. At Rennebergius & animis à victoria, & militibus ab Alexandro auctus, Groninga confeſtim egreſſus multa cum Orangianis prælia plerumque feliciter commiſit. ſolum in Stenovicenſi obſidione non perinde ei cecidit alea, hoſtili præſidio in oppidum immiſſo per amnem Blocſilam repente glaciatum. Qua in obſidione initam à Norritianis fuiſſe viam tranſmittendi litteras ad obſeſſos, per tabellarios ab interceptoribus ſecuros, refert in ſui temporis hiſtoria Bulingerus. Nam plumbeo globo duarum ferme librarum ex una parte perterebrato, intra eam latebram litteras includebant, ac foramen alio plumbo ferruminabant: in altera parte, aperto anguſtiore foramine funiculum, qui diu ignem aleret, appendebant. Tum globus tormento in urbem excuſſus, atque indicio coruſcantis funiculi tamquam nuncius ex amicis caſtris agnitus exceptuſque, litteras reſignabat. Hanc porro viam per hujuſmodi tabellarias pilas arcana perferendi, uſurpatam ampliatamque nuper vidimus in obſidione Taurinenſi: diu continuato inter Sabaudum Principem, & Inſubriæ Gubernatorem, per igneos hoſce curſores, commercio litterarum. Quæ libenter ipſe memoraverim, quod æquius ſit, tranſmitti ad memoriam poſteritatis illorum inventum, qui hæc mortis inſtrumenta tranſtulere ſapienter ad alendas firmandaſque obſeſſæ civitatis ſpes: quam qui eadem ad inferendam

Rennebergius cum hoſte ſæpe confligit, non ex voto in Stenovicenſi obſidione:

*Norritius Tribun. Anglor.*

*lib. 6.* in qua tranſmiſſæ ſunt litteræ ad obſeſſos miro ſane modo,

1640. *Princ. Thom. & Leganes*

mœni-

2009 Ministerio de Cultura

mœnibus ac domibus ſtragem, dire ingenioſi, 1581.
protulere. At Rennebergius, præter Stenovicum fruſtra tunc quidem attentatum, ceterum Delfzila valido ad Amiſiam caſtro potitus, claſſe ad loci auxilium nequidquam ab Hollandis immiſſa: Covordia recuperata, Oldenſalia capta: victo rurſus ad Burtangas paludes Holachio, relatis in ea pugna uno equitum, octo peditum ſignis, cum tormentis ſarciniſque omnibus; multum profecto regias partes per Friſiam, Tranſiſelaniamque firmavit. Hæc quamquam læta proſperaque, non tamen ab Wallonibus ſine querela in vulgus audiebantur: quaſi Alexander, milite in Friſiam ſubinde miſſo, poſthaberet eorum provincias, in dies magis ac magis expoſitas incurſionibus, ac prædis hoſtium, Cameraco, ac Tornaco impune prodeuntium: immo, quod pudendum eſſet, preſſa vexataque adeo Valencena, hinc à Bouchemio, inde à Condæo, arcibus utique non Antverpianis; ut jam cives egredi urbe, niſi armati non auderent.

*Ems ſuv.*

ceterum ſemper victor.

Et ſane Bouchemii proditus captuſque à Villerſio anno ſuperiore Norcarmius Sellæ Dominus, ſtimulabat Alexandrum ad urbis, Præfectique ultionem. Itaque lætus, uſuruſque earum opportunitate querelarum, ad eam expeditionem ſuſcipiendam; adjumento pecuniæ aliquo à Valencenatibus oblatæ, Mansfeldium illuc protinus immittit, cum Montinio, & copiarum parte, juſſo cum tormentis aliquot ſequi Mottæum, & Rubaſium, qui non procul equites habebat, propius accedere. Validum habebatur & urbis ſitu ad lævam Scaldis ripam, & arcis munitione Bouchemium. Accedebat Cameraci, fœderatæ urbis vicinitas, & Villerſii Gubernatoris præſentia. Sed Regiorum ardor invadentium tantus fuit, ut ſimul mœnia quaſſari, ſimul aperiri cœpta ſint. Hinc, deſperata defenſione, Villerſius feſtinavit urbem arcemque dedere, impetrato ut ipſe duceſque cum gladio, familia cum ſupellectili, milites ſi

IN BOVCHEMIVM expeditio.

*Iuſtus Villerſius Norcar. Barodiſeſſes*

Cur eam ſuſcipit Alexander;

Bouchemii firmitas.

oppugnatur,

deditur,



2009 Ministerio de Cultura

1581.

non armati, ſaltem incolumes Cameracum e-
mitterentur. At vaſtatio illa, non deditio urbis
*dolose.*
fuit. Etenim præſidiarii antequam abirent, juſ-
*Doli artificium.*
ſu Villerſii, effoderant aliquot in locis, ignaris
conſilii oppidanis, fundamenta arcis ac cele-
brium ædificiorum, bellicoque pulvere opple-
verant, applicitis illuc prælongis ſub terram
incendiariis funibus, qui admotum ad eorum
capita à diſcedentibus ignem ita attemperate,
ſe ſe conſumendo, devolverent ac ſuſtinerent,
ut horæ ſpatio, (aberat autem à Bouchemio Ca-
meracum itinere circiter horario) pulverem
contingerent inflammarentque, cum hominum
urbiſque pernicie. utque ſtrages intrantium
certior eſſet, ante ea maxime loca, ubi locatæ
erant inſidiæ, arma, veſteſque, prædandi irri-
tamenta paſſim quaſi per incuriam, aut feſti-
nationem reliquerant. Quibus ita diſpoſitis,
haud multum viæ confecerant Villerſiani, quum
*flagrat urbs*
tonitru admonente, reſpiciunt collucere flam-
mis urbem, tecta ſublime ferri, ſaxorumque
ac trabium colliſu late fragorem edi. Frue-
bantur illi fraudibus ſuis: ſed procul viſa equi-
tum turma, quam comperto hoſtium ſcelere ad
eos inſequendos contento impulerat curſu Ru-
baſius; rati id quod erat, præcipiti ſe ſe gradu
Cameracum projecere: majore apud ſe conce-
*damno regiorum nullo,*
pto gaudio, quam illato Regiis damno. ſiqui-
dem & arx incolumis ſtetit, extincto intra cu-
niculum fomite: & ex Regis, quippe lentius
inductis, omnino neminem ignis abſumpſit.
centum circiter domus incendio conflagrarunt,
*oppidanorum magno,*
inque oppidanos flamma, & ruina ſæviere. urbs
tamen proſtrata licet atque depoſita, viva nimi-
rum arce, animari non deſiit, rurſumque in
*Thuan. lib. 71.*
corpus ac vires excrevit. Ferunt inſequentibus
Rubaſii equitibus denunciaſſe Villerſium, fi-
*& magna Gubernatoris perfidia:*
dem ſibi, hoſtili illo inſequendi conatu, viola-
tam: atque adeo ſe promiſſis pactiſque non
ultra teneri. multum irridentibus Rubaſianis
mentionem fidei pactorumque factam ab eo,
qui æque ſe perfidum in dedenda urbe, ac vi-
le[...]

2009 Ministerio de Cultura

1581.

lem in propugnanda præſtitiſſet. tamque jus faſque illum ſervaſſe, urbem ea ratione diſpoſitam pro vita ac libertate paciſcendo, quam qui mancipium veneno ante imbutum, pro pecunia emptori tradat. At vero Alexander, audita Bouchemii deditione, non omiſit Manſfeldium litteris increpare, quod conditionibus longe mollioribus cum homine tranſegiſſet, cujus perfidia merebatur, ut qua in urbe Sellium dolo malo cœpiſſet, inde ipſe non impunis emitteretur. Sed Mansfeldius plerunque culpæ in gliſcentem in exercitu diſcordiam transferebat.

*ita Alex. ad Reg. 8 Septemb.*

Quæ fuit cauſa, cur Alexander, quem magis hoc militare incendium, quam Bouchemii perurebat; continuo Valencena eo contenderit: compertis inter Proceres diſcordiis longe quam inaudierat latius proſeminatis. Namque inter Comitem Mansfeldium, Marchionemque Rubaſium, hunc equitem Magiſtrum, illum caſtrorum Præfectum, adeo ſuſpiciones, atque æmulatio percrebuerant, ut jam in ſtudia, inde in factiones paulatim ſcinderetur exercitus, præpollente Rubaſio ob Montinii, Mottæique, & aliorum Wallonum amicitias, ac neceſſitudines. Itaque Alexander quaſi ad reparandum oppidum, & in commune conſulendum, non ad eorum audiendas querimonias adveniſſet; advocato belli concilio, quærit inter alia, quando exercitum illic expeditum haberent & victorem, quo dirigenda arma viderentur? ratus haud dubie illos in diverſa tracturos: ideoque poſſe ſe, expeditionem quam quiſque anteferret, ei committendo, alium alio diſparare: melius deinde, non ita calentibus animis, reconciliandos. Nec falſus conſilii fuit. Nam quum Rubaſius Cameracum monſtraret invadendum, antequam Gallorum armis firmaretur: contra Mansfeldius, ſupra vires in præſentia id affirmaret, quando vix quadraginta hominum millibus urbs claudi poſſet: at Nivellenſem expeditio-

DISSIDIVM in caſtris,

inter Manſfeldium & Rubaſium:

quos Alex. diſparat, *Bouchemium*

concilio belli habito:

in quo Rubaſius ſentit, invadendum eſſe Cameracum:

Manſfeldius Nivellam:



009 Ministerio de Cultura

1581. ditionem & effectu promptam, & Namurcenſibus, Hannoniiſque juxta gratam. Alexander etſi cum Mansfeldio ſentiebat, tamen utriuſque ſententiam complexus, ſibi videri dixit, Gallis Cameraco auxiliaturis, uti Rubaſius cenſuerat, antevertendum: ideoque iret ipſe, & cum Egmontia legione, turmis quatuor levis armaturæ, una equitum ſclopetariorum, & cataphractorum duabus, Marcquoium pagum in limite Arteſiæ contra Veromanduos inſideret, muniretque. Ex quo & opem è Gallia, importationeſque in urbem inhibendo, & ex altera parte Bouchemii præſidiariis idem ſatagentibus, clauderetur ex longinquo Cameracum: prætenderentur certe primæ retis lineæ, quæ poſtea majore acceſſu virium, ipſa circum mœnia expanderentur. Nec ideo Nivellæ aggreſſionem omittendam: quod ea in poteſtatem redacta, non illa modo commoda Namurcenſium ſequerentur à Mansfeldio indicata, (quæ eo quoque nomine magnificienda eſſent, quod Namurci degeret Regis ſoror) ſed ſumi etiam de Nivellæ Gubernatore ultio poſſet ac deberet, ob captam ibi prænobilem domicellarum virginum Antiſtitam, atque in triumpho Bruxellas abductam. Eſt enim in ea urbe perquam celebre canonicarum collegium, flos plane delibatus; belgicæ nobilitatis, addictum Divæ Gertrudi ſodalitium, inque ſubſidium levamentumque principum familiarum inſtitutum. Harum Præſidem, quam Nivellæ Dominam appellant, quod ad eam jus ſpectet urbis, agrique Nivellenſis; ſub anni hujus initium, Dionyſius Templæus, Nivella, & Glimeſio loci Gubernatore potitus, inter captivos adnumeraverat, & Bruxellas cum aliis una tranſmiſerat. Igitur Alexander hujus recuperationem urbis, attributa reliqua ferme exercitus parte, committit Comiti Mansfeldio, commendatque in primis, ne ſibi elabi è manibus Templæum patiatur, quo videlicet capto, bene de Antiſtita ſperari poſſit. Ad extremum Mottæo Gravelingam

Alex. ſententiam Rubaſii probat.

& Cameraci expeditionem ei committit.

& NIVELLENSEM expeditionem probat, ob has cauſas

*Marg. Auſtriaca*

Collegium canonicarum virginum Nivellæ.

Hujus Antiſtitæ liberationem, & Nivellenſem expeditionem committit Mansfeldio:

2009 Ministerio de Cultura

gam ad præfecturam ſuam remiſſo: & Montinio cum paucis aliquot cohortibus equitibuſque ſecum Valencenam ducto; non modo illos & quidem volentes diſſociavit in præſens, & poſtea utcunque compoſuit: ſed etiam expeditionibus ipſis in eum modum diſtributis apprime conſuluit. Namque aucta per æmulationem induſtria, Mansfeldius quidem tertio poſt aggreſſionem die ad deditionem Nivellenſes adegit, præſidiarios vitam libertatemque pactos emiſit, paucos ſuſpendio affecit, Templæum tandiu retinuit, dum pro Glimeſio, & Nivellæ Domina commutatus eſt. Rubaſius autem, præmiſſo Vicario Marchione à Monte, qui Marquoium pagum, adjuncto ſibi machinatore Plato communiret; abſoluto opere cum equitatu peditatuque munitionem ingreſſus, atque inde Cameraco imminens, modo infeſtis agrum excurſionibus depopulando, modo cum auxiliaribus è Gallia copiis congrediendo, ingentem in urbe metum, ſæpe & tumultum concitavit.

1581. qui urbem ad deditionem cogit: *5 Octob.* & Gubernatorem pro Glimeſio & Antiſtita permutat. *I. Bapt.* Rubaſius operibus & excurſionibus Cameracum terret.

Nec Emmanuelem Montinium Alexander otioſum habuit, Condæo recuperando propere immiſſum. Expugnaverant illud Tornacenſes: quodque inde ſibi gradum facere ad proximam urbem Valencenam moliebatur Princeps Eſpinoius Tornaci Gubernator, locum præſidio octigentorum peditum ex Gallis, Anglis, Scotiſque compoſito, & quatuor equitum vexillis communierat, plura in dies ad Valencenatem expeditionem introducturus. Quo celerius Alexander, fabricato ponte ad tranſmittendum Scaldim, in cujus dextera ripa ſitum eſt Condæum, Montinium cum peditibus mille, & equitibus trecentis illuc feſtinare juſſit: muralibus tormentis, ſecundo Scaldi, pone ſecuturis. Sed Condæi milites eo apparatu territi, auditoque adeſſe Alexandrum (audierant autem à præcurſore equite, quem inter exploratores à Montinio miſſum aſtu ceperant Condæani) clam cum præda Tornacum abeuntes,

CONDÆI oppidi recuperatio. *6 Decembris 1586.* loci præſidium. contendit illuc Alex. cum Montinio: *Dominicus Rapetius* Præſidiarii Condæo abeunt cum præda.



2009 Ministerio de Cultura

1581. tes, Montinio nondum flumen tranſgreſſo antevertunt. At Camillus à Monte I. Baptiſtæ frater cum ducentis equitibus, qui pontem primi tranſmiſerant, inſiſtens fugientibus, eorum peditatum, ut erat præda gravis, in aditu ſilvæ aſſecutus eſt: injectaque pugnæ neceſſitate, cum parva ſuorum jactura, non pauciores quadringentis hoſtium interfecit: ablataque præda, reliquos per nemorum incerta non eſt auſus inſequi, præſertim equites, qui jam prægreſſi, præter quatuordecim captos, evaſere omnes. Secuta ſtatim eſt, ubi ſuorum audivere cædem ac fugam, Condæi deditio: magno utique, ac ſupra rem gaudio Valencenatum, qui Alexandri celeritatem extollentes, ejus nominis fama perculſos eo numero præſidiarios, paucarum horarum ſpatio captum oppidum arcemque, cæſos ac fugatos hoſtes, ſe aſſidua excurſione metuque liberos gratulabantur.

Aſſequitur eos Camillus, qui pugnat vincitque, & præda eos ſpoliat.

magno Valencenatum gaudio celeritatem Alexandri extollentium.

Iam mihi dicendum eſt facinus, cujus à commemoratione, quaſi abhorrente animo, hactenus superſedi. Anni ſuperioris initio Princeps Orangius præſentium ſucceſſu perculſus, & futurorum anxius, apud Ordines Antverpiæ de ſtatu rerum pluribus diſſeruerat, confeceratque, *Quoniam regiis partibus potentia ac fama in dies accreſceret, ipſi tot urbium quotidie deficientium tributis imminuti, viribus imminuerentur ad novas clades avertendas; aut in gratiam cum Rege redeundum, dominatumque Hiſpanorum tolerandum: aut, ſi conditiones, quas illi imponunt, uti in Colonienſi congreſſu obſervatum eſt, liberis hominibus ferendæ non ſunt; incidendum aliquando vinculum cum hujuſmodi Domino, qui & obedientiam à populis exigat ut à ſuis, & eoſdem bello proſequatur ut alienos. ejurataque Hiſpani Regis dominatione, Principem adoptandum, cujus præſentia provinciæ animentur, & potentia defendantur. Nec, qui alius præhabendus ſit, diu deliberandum, quum jam publico nomine cum Alenconio Galli Regis fratre conventum ſit, ſi ad mutandum Principem Ordines*

DE DEPONENDO Phil. Rege à Belgii principatu

agitat Orangius in ordinum conventu:

& Alenconium in Principem proponit,

2009 Ministerio de Cultura



FRANCISCVS HERCVLES VALESIVS, *Dux Andeg. Alençon. et Brabant. etc. Defenſor Belgarum.*

009 Ministerio de Cultura

©2009 Ministerio de Cultura

1581.

quatuor ab causas, 4 Iul. 1579. Prima Secunda

*dines adigerentur, ſe ceteris illum prælaturos. idque in Colonienſium conſeſſu Procerum, prolatis Ordinum litteris confirmatum. Quamquam, vel ſi nulla fides publica, & promiſſio intercederet, multa ſane invitare ad eum aliis præhabendum. Invitare vicinas Galliæ vires, Regiſque haud dubie ad partes attrahendi, ſi non amore fratris, certe odio Hiſpanorum, & Regni cura, cujus interſit, alibi Alenconium abſtineri.*

Tertia

*Invitare auxilia ab Angliæ Regina, quæ ſive uxor Alenconii, res agi ſuas in Belgio exiſtimabit: ſive offenſa Hiſpano Regi, motas nuper in Hibernia, Hiſpano incentore turbas, turbis in Belgio redditis, ultum ibit.*

Quarta

*Invitare ſpem, Wallonum provincias recuperandi: quando ipſimet Alenconium ſua ſibi ſponte jam ante delegerint vindicem libertatis, tanto infenſiorem hoſtem, ſi nunc ſpreverint, formidaturi.*

Quinta

*Denique invitare ingenium juvenis, ut vividum atque imperio natum, ita minime imperioſum aut pervicax, ſed bonis conſiliis pronum, aptumque regere & rectorem pati.*

Omittit propriam.

Nempe hoc poſtremum ad votum erat Orangii, vanis apud alios titulis ſolide dominaturi. quum interim omitteret, habere ſe Arauſienſem Principatum in Gallia, ex Gallia uxorem, ac veteres inde neceſſitudines, quæ hominem utilitati ſuæ unice invigilantem ad accerſendum è Gallia Principem efficacius impellebant. Ergo, dum res tanta per fœderatas ſigillatim provincias, erectis expectatione omnium animis, agitatur,

Rex Orangium proſcribit: 15 Mart. 1580.

Rex non ultra laturus unius contumaciam clientis, tot à Cæſare patre, tot ab ſe beneficiis, uti memorabat, obſtricti; illum denique edicto à Parmenſi Principe, Martio menſe, Trajecti propoſito, atque inde per Belgium publicato, uti perduellem hoſtemque publicum proſcribit: occiſoribuſque, aut eorum heredibus, vigintiquinque millium aureorum præmium decernit.

& Alexand. proponit proſcriptionis edictum.

cui Orangius prius facto, poſtea litteris reſpondit: 4 Febr. 1581.

Nec omiſit proſcriptioni reſpondere Orangius. diſtulit tamen in decimum menſem. interim, dum differebat, ſatius habuit urgere provincias, Regique, belgica illum poſſeſſione dejiciendo, reſpondere. Sed conſultationes lentius promo-



© 2009 Ministerio de Cultura

1581. vebantur, rei magnitudine, & diſſidio conſultantium. Etenim aliqui ad præpoſitæ deliberationis titulum inhorruerant: timebantque publicum Europæ convicium proſciſſuræ deſertam à Belgis illam, quam ſingulis natura ipſa nationibus inſeruit in Principem ſuum fidem: ſimul irriſuræ præpoſteram judicii formam, deponi à ſubditis regno ſuo Regem, non appellatum, non conventum apud aliquos cauſæ arbitros; ſed populum actorem, populum judicem eſſe. neque obtendi ab eis poſſe, ubi ſuperiorem non agnoſcas, ad quem provoces, jus arbitriumque ſuperioris penes populi concilium eſſe; quum (quidquid obtendant) legitimum certe habere nequeant ejuſmodi concilium, in quo tam multæ Belgii provinciæ deſiderentur. Mercatores aliud angebat: Hiſpanos ex Luſitanica victoria Indiarum dominos navigationem Hollandis Zelandiſque interdicturos: at quanto cum impendio commercii fortunarumque? Non pauci Matthiæ Archiducis miſerebantur. reputanteſque injuriam toti familiæ factam, quæſito extra domum Auſtriacam Principe, indignationem Cæſaris metuebant. Plerique implacabilem propius offenſi ea ignominia Catholici Regis iram formidabant, ſecuturaque inde calamitatum extrema, Belgarum populis præcinebant. Auxit metum ingens per eos dies inſolituſque terræmotus, quo Belgium univerſum, Lutetiam uſque, tanto graviore pernicie concuſſum eſt, quanto minus dabatur aut in aperta prorumpere, dehiſcentibus paſſim campis: aut ſtabilitatem in undis quærere, aſſurgente ac minante horrendum in modum mari. Quæ ſane velut prænuncia malorum terra marique impendentium, complures interpretabantur. At non ideo aut prodigii metu, aut bonorum conſilio, relationi Orangianæ intercedebatur: Orangio nuſquam ceſſante, aſſiduiſque litteris ac nunciis provincias urgente, moraſque earum increpante, quod dum ſine fine conſulerent, Princeps Parmenſis

Fri-

Interim conſultatur à provinciis de Rege deponendo. Sed timide, ob publicam infamiam:

*Namur. Limbur. Lucemburg. Arteſia, Hannonia, Flandriæ pars, Brabantiæ pars, Friſiæ pars, &c.*

ob mercatorum diſpendia: ob commiſerationem erga Matthiam: ob metum ab Rege. Auget formidinem ingens terræmotus. *7 April.* 1580.

non tamen deſiſtentibus Orangio,

2009 Ministerio de Cultura

1581.

Friſiam expugnaret. Itaque magna jam anni parte conſultationibus circumacta, pervincentibus hæreticis, quorum videlicet ante omnes intererat, excuti Regem è Belgio, in quo ſtare non poſſet hæreſis, & Hiſpanus, tandem in Ordinum conventu Antverpiæ, conceſſere in ſententiam Orangii: definitumque, *Philippum Regem, quod jurata Belgis privilegia non ſervaverit, principatu Belgii excidiſſe: ob eamque cauſam, Belgarum populos, (ipſo Philippo in Belgii inauguratione id permittente) à fide obedientiaque jam liberos novum ſibi Principem, Franciſcum Valeſium Alenconii Ducem Galli Regis fratrem volentes libenteſque deligere.*

& hæreticis. Quorum impulſu conficitur depoſitio Regis, & electio Alenconii:

Ad quem accerſendum, altero poſt menſe, Philippus Marnixius vulgo Aldegundius appellatus, & cum eo Nobiles aliquot in Galliam allegantur. qui principatu certis conditionibus oblato, magna ſpe ſecuturi mox Alenconii cum exercitu, in Belgium revertuntur.

ad quem mittitur nuncius delati Principatus. 2 *Auguſt.* 1580

Aldegundium autem tranſegiſſe (clam ceteris legatis) cum Alençonio, ab eoque litteras expreſſiſſe, quibus ipſe pollicebatur, ſe Hollandiam, Zelandiamque, Orangio ejuſque liberis beneficiarias traditurum, legi ego in arcanis ad Alexandrum notis.

1 *Mart.* 1581 ſimul magnum quid conficitur pro Orangio. *in feudum*

At vero Archidux Matthias, cujus in oculis hæc agebantur, novum Principem haud expectaturus, abdicata in eodem Ordinum conventu, perſonata quatuor annorum adminiſtratione, non omiſiſſe dicitur delegatos Ordinum admonere, *Nimium quam audacter illos ab Auſtriaca Domini ſui domo receſſiſſe, non ſatis reputantes, in quos caſus vitam, fortunaſque conjicerent. Sibi quidem jam pridem pertaſo aliquorum impotentiam, grave eſſe illum rerum ſtatum videre, & indecorum ferre.*

Matthias abdicat ſe Magiſtratu, admonitis in hæc verba Ordinibus. 29 *Decemb.* 1580

Hæſit tamen aliquod poſt hæc menſes in Belgio. quo tempore quum de Antiſtite Leodienſi ageretur, mortuo Gerardo Gronsbechio, qui paulo ante Cardinalis creatus, ſexdecim annos eam Eccleſiam, Principatumque, pari pietatis ac prudentiæ laude gubernaverat; Orangius, Ordineſque Archiduci Matthiæ, quaſi offenſum emollituri,

Leodienſis Epiſcopus moritur, ejus locum in Matthiam transferri laborat Orangius.



2019 Ministerio de Cultura

1581. contra, pro Bavaro evincit Alexander. *Lud. Barlamont.* 18 *Iun.* 1581 Matthias Belgio abit.

apud Leodienſem conventum ſuffragari conati ſunt. Sed à Parmenſi Principe, illuc miſſo Vandemburgio conſiliario, tribuſque Catholici Regis nomine propoſitis, Erneſto Bavariæ Ducis filio Friſingenſi tunc Epiſcopo, & Antonio Granvellano Cardinali, & Barlamontio Archiepiſcopo Cameracenſi; Bavarus prælatus eſt. Nec poſt multo Matthias & nullam ab Ordinibus gratiam conſecutus, & longum Hiſpani Regis odium promeritus, abiit in Germaniam, relicta Alenconio perſona, in eodem Belgii theatro nec diutius, nec felicius ſuſtinenda. Iamque quod in Antverpiæ conventu

Publicatur edictum depoſitionis Regis: 27 *Iul.* 1581

decretum fuerat, foris ad populum exponi, & imperari placuit. Atque Hagæ Comitis, quod eſt princeps Hollandiæ oppidum, publicato edicto, quo multas ob cauſas in eo congeſtas, fœderatarum provinciarum nomine declarabatur, Philippum Hiſpaniæ Regem dominiis ac præfecturis provinciarum excidiſſe; con-

ejus imagines & inſignia dejiciuntur.

tinuo Regis imagines ubique locorum ſublatæ ſunt, dejecta inſignia, eraſa nomina, fracti ſignatorii annuli: cautumque, ne quid Philippi Regis nomine in poſterum obſignaretur. mandatum præfectis monetalibus, ne aurum, argentum, æs, cum regiis inſignibus, aut no-

exigitur à magiſtratibus, aliiſque novum ſacramentum.

minibus ferirent: exacta è locorum Gubernatoribus, Magiſtratibus, ac militiæ Ducibus ejuratio Hiſpani Regis, & novum ſacramentum in verba Ordinum fœderati Belgii, dum Princeps Alenconius adveniret, imperatum: permiſſum tamen interim Hollandis, Zelandiſque, ut in Orangii, ac provinciarum ſuarum nomi-

nova diplomata, reſciſſis regiis conducuntur.

na jurarent. mandatum denique omnibus, qui forenſia, quique urbana munia ab Rege impetraſſent, diplomatis allatis reſciſſiſque, alia ab Ordinibus eorundem munerum diplomata poſtularent. pleriſque ad eam ſcenæ ca-

quæ aliqui palam improbant. alii ad partes regias abeunt.

taſtrophem exhorreſcentibus: nec paucis ſacramentum palam detrectantibus, eoque ad regias partes & Farneſii caſtra diſcedentibus. Obſervatum, multos inter jurandum horro-

re

2009 Ministerio de Cultura

re correptos hæſiſſe, & quaſi faterentur à ſe deficere, dum deficerent à Principe, ſua ſe conſcientia prædamnaſſe. Inter quos, Raldam nobilem Friſiæ conſiliarium, Levardiæ in ipſa ejuratione deſtitutum repente viribus conci-diſſe, ac ſtatim expiraſſe, memorant ſcriptores Belgæ. agitante interim convivia cum Ordinum delegatis Orangio, ſpeſque ſuas imperio propiores ſuper Hiſpanorum ruinis attollente: ſimul hæreticis funeſte cum eo geſtientibus, eodemque tempore è provinciis regem, eodem è templis Deum exturbare feſtinantibus. Namque per eos dies Antverpiæ, Bruxellis, multiſque in urbibus, ſacræ imagines aut dejectæ laceratæque, aut ob artis præſtantiam, è cultu in templis, ad ornamenta domorum tranſlatæ: ſacerdotibus ſacroſanctæ Hoſtiæ immolatione interdictum, mox ſacerdotes ipſi urbibus ejecti. inde vetus Catholicæ Religionis cultus, majorum ſacra, priſci Eccleſiæ ritus paſſim abrogata, alia demum Belgio facies, ipſi non agnoſcenda Belgio, dein certe deploranda inducta eſt. Adeo in ambitioſi hominis manu, quod olim dicebam, nullum repertum eſt aliquando perniciosius hæreſi telum, cujus ancipiti ſemper ictu, ſacer æque, ac civilis ſtatus una transfigitur, atque ad terram cadit.

1581. aliqui inter jurandum exanimantur.

Mirum.

*Franc. Haræus Meteran; & alii fere omnes.*

Ab ejurato rege tranſitur ad ejurationem ſanctorum.

eorum imagines eraduntur.

Status civilis & ſacer immutatur.

Sed Orangius ex eo tempore non uno mulctatus infortunio, ad extremum vita privatus eſt. Et Bredam quidem ditionis ſuæ urbem, deliciaſque Naſſaviæ domus, dum ipſe Regem Belgio ſpoliabat, amiſit. Etenim Decurio præſidiariæ in ea urbe cohortis, ſive ſua ſponte, ſive ſuadente Carolo Gaurio Freſini Domino, qui captivus Bredana in arce ab Ordinibus attinebatur, ſtatuit urbem Regi tradere. emiſſoque milite ruſticum ementito, rem cum Alexandro communicat. Alexander hominem remittit ad Claudium Altapennium Batlamontii fratrem, juſſum occaſionem, ſi effectu promptam judicet, haud negligere. Erat non procul

BREDÆ expugnatio.

*Caporale*

ejus præſidiarius Alexandrum & mox Altapennium adit.



09 Ministerio de Cultura

1581. *Bolduc.* Altapenius æem ſuſpicit, Buſcoduco ſua cum legione Altapennius, obviam iturus Gardæ Gallorum Tribuno, qui Hochſtrata, & Tornahouto recuperatis, aliiſque circa locis in poteſtatem redactis, Buſcoduco minabatur. Sed Altapennius, dum ad avertendum ab ea urbe periculum properare credebatur, Buſcoduci ſecurus à via illico deflectens, Bredam verſus iter intendit: præmiſſa equitum turma, ductore Pompejo Bardo Florentino, qui noctu feſtinantes, nondum albeſcente die, in conſpectu arcis adfuere. Arx Bredæ, quod Bercha amne vallatur, haud perinde, ac reliqua urbis mœnia, à præſidiariis ſervabatur. ideoque admotis hac parte ſcalis, poſſe Bredam intercipi Decurio monſtraverat. Nimirum FACILIUS plerunque expugnatur, quod ſua munitione nunquam creditur oppugnandum. Ergo deſcendunt ex equis Altapenniani: & primus uno cum comite Pompejus, tranſmiſſo fluvio, atque ad arcem ſcalis injectis, edocente locum milite Decurionis interprete, ſcandunt, ipſe bipenni haſta, comes ſclopo armati. progreſſuſque Pompejus, non inde procul ſtationarios conſpicatur (erant omnino decem) ſomno preſſos, & excubitorem tantummodo vigilem. re ſociis ſcalas admoventibus tacite indicata, accipit ex eis ſubeuntes primum quatuor, mox ſeptem, donec viginti quatuor ſe conglobavere. tum Pompejum propius factum excubitor ratus circitorem eſſe, more militari, *Quis illac vadit*? interrogat. Pompejus non alio, quam bipennis haſtæ in latera adactæ reſponſo, in ſtationarios fertur: qui ad morientis gemitum experrecti, ſe ſe ad vicinos eadem in arce præſidiarios adjungentes, confertique, accurrente Stachembrochio Præfecto, vim parabant. Sed (ut PRO ſemivicto habetur, quiſquis ſemiſomnis invaditur) ſubita aggreſſione perculſi, tenebris non ſatis numerum hoſtium aperientibus, partim pugnando cæſi, partim poſitis armis dedidere ſe. Iamque ipſe Altapennius arcem aſcenderat: eaque, oppreſſis

præmiſſo Bardo cum turma.

qui arcem Bredæ,

ſcalis admotis primus aſcendit: *Alabarda*

*Guardia Sentinella*

eamque ipſe & Altapennius interempto excubitore, *Ronda.*

& reliquis ſtationariis, capiunt.

©2009 Ministerio de Cultura

1581.

Tum pro urbe certatur in foro.

preſſis præſidiariis, potitus, ſuos ad prælium inſtructos, promoto jam die, educit ex arce in forum, magno oppidanorum numero, ſumptis armis inſeſſum. cum quibus continuato duabus circiter horis certamine, refracta Altapennii juſſu porta urbis, ex eaque irrumpente equitatu, ac fuga elapſo arcis Præfecto, Bredani numero magis quam virtute impares, ad extremum ceſſere: paulum ſupra centum quinquaginta ſuorum interemptis, atque urbe prædæ militum relicta. Vna in re clades bene Bredanis vertit, quod invitatus illuc ab Alexandro Ruremundæ Antiſtes, Ioannes Lindanus, cum aliquot Societatis Ieſu Patribus, Religionis cultum, hæreſi dominante jam deſitum, egregie inſtauravit: reddita non magis urbe Regi, quam civium animis Deo.

Bredani ſuperantur. 28 *Iun.*

Vrbs in prædam victoribus cedit.

DE ADVENTV Alenconii ex Gallia.

Interea ut cum exercitu adventaret, ſollicitabatur Alenconius à fœderatis provinciis, maxime à Cameracenſibus, quos Rubaſianus miles à Marquoio pago, aliiſque circa munitionibus Cameraco imminens, intercluſo commeatu, extremas in anguſtias, inteſtinumque diſſidium adegerat. Quo impenſius Balduinus Gaurius Inchii Dominus, qui urbem obtinebat Ordinum nomine, ad opem Cameracenſibus feſtinandam nuncios ſubinde alios atque alios Alenconio ſubmittebat: haud ignarus, quanta ſibi malorum moles ab Regiis impenderet, capta urbe. Nec ultra diſtulit Alenconius, miſſo Gulielmo Fervacio veteri Duce, cum quatuor Gallorum millibus, qui ſecuturo dein exercitui præirent. Fervacius, tranſmiſſo amne Soma, qui limes eſt Galliæ, Caſtelletum inſedit, arcem Veromanduorum in aditu Hannoniæ. Inde in occaſionem intentus Ioannem Monlucium Balanii Dominum militiæ impigrum, cum peditibus mille Cameracum immittit. quem urbi jam proximum inſecuti, juſſu Rubaſii, hinc Nicolaus Cæſius, & Matthæus Corvinus; inde Aſcanius Paſſerus cum ſuis turmis, non modo non retardarunt, ſed Balanio

Evocatur à Cameracenſibus male habitis à Rubaſio:

*Ferv. primus Campi Mareſcial.*

& ille præmittit partem ſuorum:

*Mons de Balanſon.*

qui Cameracum tendunt:

*Corvinus Tiphernas Paſſerus Senogallien.*

09 Ministerio de Cultura

1581. lanio faciem vertente, quippe eruptione Cameracenſium animato, conſerta pro mœnibus urbis pugna, non ſine Regiorum clade, ac Paſſero inter alios capto, rejecti ſunt. Quo ſucceſſu, Gallis non minore confidentia elatis, quam Regiis pudore ſuffuſis, pervicit Schamveus Balanii æmulus, idem ut pertentaret. acceptiſque aliquot à Fervacio peditum equitumque ſignis, Cameracum iter intendit. Sed nocte retardatus, in pagum templo tanquam arce communitum ſe ſe includit. Mane dum abitum adornat, Rubaſius multo quam ante attentior, (nempe MAGISTER eſt hodiernus, heſternus error) raptis ſumma celeritate ſeptem equitum turmis, jam pagum circumdederat. Nec prælium abnuentes Galli, primum intra pagum multis amiſſis repulſi: mox qui ſupererant circiter quingenti, in templum ſe ſe recepere. ſed admoto igne ad deditionem coactos, Rubaſius nullis conditionibus auditis, omnes trucidari juſſit, præter Schamveum ejuſque fratrem, ac decem eorum primarios, quos apud ſe retinuit, donec magno Alenconius pretio redemit. Neque fortunatius iter per eoſdem dies tenuit Inchii aulicus à ſecretis: quo ductore octoginta equites cum ſacculis ſale refertis (namque eo civitas condimento extreme laborabat) dum intento curſu non procul à Navi pago, Cameracum petunt, à Nicolao Baſta, qui propter ea loca cum ducentis Epirotis equitibus excubabat, illico circumventi, duodecim exceptis, qui dimiſſis equis pedites ingreſſi ſunt urbem, ex reliquis pars in pugna interfecti, plures ad Rubaſium abducti ſunt.

*& commiſſo prælio intrant.*
*Rurſus alii idem tentant,*
*ſed infeliciter.*
*Idem fatum aliorum fuit.*
*Albanenſes*

Hæc porro animadvertens Gallorum Dux, amiſſa liberandæ urbis ſpe, Caſtelleto Bræiam movit. auditoque adventare cum exercitu Parmenſem, inde quoque in Galliam præpropere turbateque copias rapuit, atque Ambianum uſque, nulla admiſſa requiete contendit. Quæ res adventum Alenconii maturavit. Et jam apud Caſtelletum luſtrato exercitu, ex

*Reliqui in Galliam, deſperato ingreſſu redeunt.*
*Fervacius Amiens*
*Venit Alenconius,*

2009 Ministerio de Cultura

ex duodecim peditum, quinque equitum millibus conſtante, quorum permultos in Farenſi expeditione adhibuerat Rex, eaque abſoluta, ac pace inter ipſum proteſtanteſque in collatione Flexiana compoſita; opportune ſecum traduxit in Belgium Alenconius. Habitoque belli concilio cum Fervacio. Belagardio, Lavallo, Turenæ Vicecomite, Gilberto Ventadurii Ducis filio, aliiſque Proceribus, ſtatuit, poſtridie copias ad Vaucellenſe cœnobium, quod ſpatio trium horarum Cameraco aberat, promovere. Quo tempore Alexandro arma Valencenæ expedienti, ut obviam Alenconio fieret; occurrit Pomponius Bellevræus intimi concilii ſenator, ab Henrico Rege, Regiſque matre miſſus cum litteris, quibus perſuaſum Alexandro volebant, nullam ſibi in Ducis Alenconii conſiliis partem eſſe. Quem Alexander brevi reſponſo (quippe evocando militi perintentus) honorifice ab ſe dimittebat. quum is alia ſibi eſſe mandata ſignificans, quæ cum illo conferret, ceſſationem armorum propoſuit: quam idcirco Rex & mater offerrent, quod vererentur, ne procedente bello, pax, quam ipſi inter utrumque Regnum æternam vellent, brevi læderetur. quo enim animo paſſuros ſe, fratrem filiumque, unicam regni ſpem, ac Valeſiæ domus reliquum interire? Et quamquam difficile eſſe abſtrahere ab armis Alenconium, fide liberandis Cameracenſibus obligata: tamen ſi Cameracum, atque arx ejus in priſtinum ſtatum reſtitueretur, poſſe Alenconium honeſte arma deponere, cujus videlicet opera Cameracenſes liberi in poſterum victuri eſſent. Alexander, ſicut ex his unum excedere facultatem ſuam reſpondit, ita alterum gratum Catholico Regi non dubitabat. agereque propterea Majeſtati ejus, matrique gratias ob ſtudium perpetuandæ pacis, oblata armorum ceſſatione monſtratum. Quamquam ſatius futurum fuiſſe, ſi ſumpta non fuiſſent arma: non ſolum hiſpani Regis cauſa, quem

1581.
15 *Aug.*
quanto cum exercitu?
& cum nobilitate.
cui Alexander occurſurus legatum gallum audit:
qui Regem & matrem excuſat:
& ceſſationem armorum propoſuit.
Reſpondet ad ea Alexander.

2009 Ministerio de Cultura

1581. quem profecto non meruiſſe, ut qui laboranti Galliarum Regi non defuerat, nunc Belgis rebellibus auxilia provenirent ab Regis domo: ſed etiam ipſius Alenconii, non habituri Orangium fideliorem erga externum Principem, quam ſe adverſus Regem dominumque ſuum præſtitiſſet. reſpiceret ad Archiducem Matthiam, habitum ab Orangio ſtipitis loco magnifice ſuſtinentis titulum belgici Gubernatoris, & paria ipſe cogitaret. Quumque Bellevræus alia rurſum adderet, ac multa polliceretur, Alexander, qui jam ſuſpectaverat, uti ad Regem ſcribit, ſermonem de induſtria ab illo trahi, ut dum ipſe colloquio implicitus regiis copiis non intereſſet, Alenconio ad urbem properanti aditus pateret; conſcenſo equo, excuſata feſtinatione, quod ubi facto opus ſit, verbis teri tempus haud poſſit, legatum non ſine Nobilium comitatu remiſit. Ac ſtatim ordinato exercitu, quem dilapſis multis, duo equitum millia, quinque peditum conficiebant, ante Cameracum apparuit, duobus circiter milliaribus procul à Gallorum copiis: qui jam Caſtelleto progreſſi, Vaucellenſe cœnobium circumſederant. Hic Alexander, dum in bellico ſenatu differit, an cum hoſte confligendum, id quod plerique abnuebant, uti numero longe poſt vires hoſtium; litteris ab Duce Guiſio admonetur, præter copias, quas Alenconius ducebat ex Fara, motas eſſe ordinarias regni turmas, ut terga Alenconiani exercitus procul adequitantes, in pugnam ſe ſe, ubi opus eſſet, inferrent. Quumque adderet ad ea Taſſius Philippi legatus apud Henricum, in eo exercitu florem eſſe gallicæ nobilitatis, atque equitum robur; Alexander omiſſa interim & conſultatione, & ſpe intercludendi Gallis aditum, de revocandis impune copiis, ac protegendis circa urbibus cogitare cœpit. Itaque exercitum tribus circiter horis quum in hoſtium conſpectu, interjecto Scaldi amne continuiſſet, inſtructa acie quaſi mox pugnaturus,

& brevi legatum dimittit, 15 *Aug.*

intentus comparandis copiis,

cum quibus Alenconio prope Cameracum occurrit.

Conſultat cum ſuis de pugna. 14 *Aug.*

plerique abnuunt. & nuncii varii diſſuadent. *I. Bapt. de Taſſis.*

Itaque oſtenſo non intentato prælio ſuos revocat.

2009 Ministerio de Cultura

turus, ſilentio præmiſſis Bouchemium verſus impedimentis, ac parte campeſtrium tormentorum; tum ipſe ad tympanorum pulſum tubarumque cantum traducit exercitum, atque incedentibus eodem tempore ad alteram fluminis ripam Alenconianis, Bouchemium movet. Ne vero novis Gallorum copiis, quas ſecuturas audierat, premeretur, Rubaſio mandaverat, adventantibus occurreret, ac moram feſtinantibus opponeret. A Rubaſio præmiſſus Bica ſclopetariæ turmæ ductor, aditum apud Palvetium pagum Senſeto amni adjacentem, qua tranſiturus erat hoſtis, celeriter inſedit. juſſiſque turmalibus ſuis ad pedes deſilire: ac erecto ante amnem trium pedum altitudinis aggere, labore incredibili, quippe ex ſilicibus compoſito, quos pugionibus eruebant à proxima via hujuſmodi lapidibus inſtrata; tandiu Gallos illic tranſmittentes attinuit, donec Alenconio non ſe prius adjungerent, quam Farneſiani extra neceſſitatem pugnandi forent. At Alenconius, qui primo incertus de Alexandri conſilio fuerat, poſt ubi illum abire animadvertit, expeditionis ſecurus, duos ex belli ducibus Cameracum immittit, qui poſtridie (namque nox aderat) ingreſſurum ſe urbem, pulſo jam hoſte, denuncient. Fuere hi Turenæ Vicecomes, & Ventadurius: qui aſſumptis ſecum equitibus circiter octoginta, pleriſque Nobilibus id honoris certatim ſibi depoſcentibus: quum per tenebras à via deerraſſent, in turmas incidere Ioannis Comitis Boſſuvii, qui turrim duobus paſſuum millibus Cameraco diſtantem inſederat, necdum eum inde removerat Alexander. tunc expeditis utrinque armis, fortiterque collatis, Turenius ac Ventadurius cum aliquot Nobilibus capti ſunt. Sed Ventadurius, decepta ſeu corrupta cuſtodia profugit: Turenium à militibus, qui eum ceperant, pactus decem florenum millia emit Marchio Rubaſius, improbante negotiationem Alexandro, qui propterea tradi ſibi

1581.

*Melzius l. 2 de milit.*
injecta ſimul mora gallicis auxiliis.

Alenconius ingreſſurus Cameracum præmittit Turenium & Ventadurium:

qui à regiis vincuntur.
Ventadurius elabitur: Capitur Turenius.

*Alex. ad I. Idiaqueſium 17 Novembris*

2009 Ministerio de Cultura

1581. ſibi captivum, ac Regis arbitrio aſſervari voluit. traditumque excepit primo quidem perquam humaniter: ſed quum is averſaretur inofficioſe omnia; interrogantique comiter Alexandro, quid ageret Dux Alenconius, contemptim ac ſuperbe reſpondiſſet, Neſcire id ſe: neque, ſi ſciret, elocuturum; Alexander offenſionem modico riſu tranſmittens, *Tu vero, mi juvenis*, inquit, *magnos iſtos ſpiritus heſterna nocte, quum miles te meus cepit, adhibere debueras.* ſtatimque amoveri illum inter captivos imperavit, non niſi poſt annum emiſſurus. At vero Alenconius audito captos aut fugatos cum Turenio ac Ventadurio, quos præmiſerat, comites, ipſe ſui nuncius Cameracum XV Kalendas Septembris, obviam progreſſis Inchio, ac reliqua nobilitate, triumphantis in morem inter fauſtas hominum voces, patriæ liberatori acclamantium, ingreſſus eſt. Biduoque poſt, ſolenni pompa, in civitatis leges, ac privilegia juratus, Reipub. regimen ſumma omnium gratulatione capeſſiit. At ubi conſpectum eſt, revelli tota urbe Imperii ſigna, & Gallica imponi: quin & removeri Wallones ab arce, inducto gallico octingentorum militum præſidio; deferbuit enimvero refrixitque multorum gaudium, Inchii ante alios, quum ſe arcis præfectura dejectum vidit, impoſitumque Alenconii juſſu Balanium: multis haud vane obſervantibus, eum, qui primus accerſendi in Belgium Alenconii author incentorque fuerat: qui Licquium Cameraci Gubernatorem olim præfectura callide ſpoliaverat: qui nuper adactis in gallicum nomen Cameracenſibus, Barlamontium urbis Archiepiſcopum jurare abnuentem Cameraco expulerat; inde ruinę ſuæ fabrum ejectum eſſe, unde extollendum ſe, ſpei falſus ſibi perſuaſerat. Vſque adeo verum eſt, CALLIDITATEM ad extremum ſe ipſam perditum ire, & magnam veneni ſui partem bibere. Neque hic ſtetere, ut ferme SOLITARIA non incedunt infortu-

capiturque ab Alexandro.

18 *Aug.*

Alenconius triumphans Cameracum ingreditur:

& urbis Dominus inauguratur.

Inchius præfectura arcis dejicitur;

*Mons de Balanſon*

merito:

1576.

*Ludovic. Barmont.*

1580.

2009 Ministerio de Cultura

fortunia. Namque poſt paulo, dum Cameraceſio aſſerendo armatus contendit, pila à gregario milite in pectus exploſa, ardente thoracis goſſipio, extinctus eſt: multa per Arteſiam Hannoniamque lætitia, quas ille provincias validis continenter excurſionibus abnoxias habuerat, ac divexaverat. At Alenconius, ut Cameracum pluribus veluti munimentis circumvallaret, ducto ad Arteſiæ limitem exercitu, primo Arluſium, & Eſcluſam in poteſtatem redegit: tum Cameraceſium caſtrum non inſtrenue à principio defenſum, ad deditionem compulit: omnem denique tractum illum pagis arcibuſque conſitum, armis celeriter aggreſſus, juris ſui fecit: magna inde ſpe apud fœderatas provincias excitata. Iamque Orangii litteris invitabatur, *Omitteret Belgii extrema, motiſque caſtris in interiora Flandriæ, conjungeret triumphalem exercitum cum Gardæ & Stuarti legionibus, quæ illum inter Inſulas & Quercetum opperiebantur. non auſurum profecto pugnam Alexandrum: &, ſi auderet, qui par tribus exercitibus futurus ſit, qui uni ceſſerit?* Gnarus omnium, quæ deſtinebantur Alexander, imperaverat jam Altapennio, infeſtis cum armis Flandriam irrumpere, & hoſtium conſilia morari. ſed non magnopere laborandum Altapennio fuit, turbato imminutoque adeo Alenconii exercitu, ut non jam ille novas expeditiones, ſed regreſſum & Galliam cogitaret. Namque gallica Nobilitas & ſua natura in patriam redux, & abſoluto ex ſententia Cameracenſi bello, in quod fidem ſuam obſtrinxerat, paſſim dilabebatur: & reliquus exercitus, ſtipendiis non procedentibus, imperia detrectabat. Itaque parte ſuorum Cameraco relicta, ipſe cum mille & quingentis equitibus, quinque peditum millibus, tot enim ſupererant, Caſtelletum rediit, conſilium inde pro re nata capturus. Interim Alexander, etſi alto apud animum dolore Cameracum reſpiciebat, ereptum ſibi militum inopia magis quam ignavia, id tamen commo-

1581.
poſtea & vita ſpoliatur.
*Cambresi*

Alenconius imperium firmat multorum expugnatione locorum.

Invitatur ab Orang. ad proſequendam victoriam.

*Lilla Quiſnoy*

ſed nobilitas dilabebatur.

& ipſe relicto capta in urbe præſidia, Galliam cogitare cœpit.
Ex hac hoſtili victoria quid boni ſperaret Alexander.

2009 Ministerio de Cultura

1581.

commodi ex eo ſperabat, quod intellecturæ aliquando eſſent provinciæ ( & jam aliquorum voces erumpebant ) ſolas Wallonum vires ne defenſioni quidem pares eſſe, ſi hoſtes externis Gallorum auxiliis firmentur. id, quod

qui nec inter adverſa numerabat amiſſionem Sangiſlenii.

principium fore prævidebat, hiſpanæ militiæ revocandæ. Iuvitque amiſſio Sangiſlenii: quod oppidum Tornacenſes per Hainum fluvium, qui locum interluit, & Hannoniæ feciſſe nomen fertur, noctu ingreſſi cum cæde

*Alenconiani*

prædaque obtinuerant. Id enim oppidum etſi modicum, & Benedictini celebritate cœnobii magis, quam oppidanorum frequentia nobile: quia tamen in media ſitum Han-

Ob id querelæ Wallonum in Præfectum provinciæ: *Mons de Enau.*

nonia, Montibus in primis infeſtum erat, mirum profecto, quo ſenſu eam ſuper alias jacturam Montenſes, Valencenates, aliique circa populi tuliſſe viſi ſint, adeo ut adverſus Comitem Lalinium Hannoniæ Præfectum, palam Montibus exclamatum ſit, *Perditum ire omnia, ni Comes abire è provincia, aut potius è vita juberetur. quin mitteret arbitratu Rex ſuo Hiſpanos, alioſque quos mallet in Belgium; Hannonios certe ac-*

& multorum deſiderium, ut revocarentur hiſpani. *S. Omer.*

*cepturos.* Has porro voces, quæ Duaci, quæque Audomari pariter auditæ referebantur ad Alexandrum, ipſe quam avide, tam diſſimulanter accipiebat, maturitatem opperiens, & non ignarus popularia hæc eſſe vota, non autem

Dictum Areſchoti.

Nobilium: ex quibus Areſchoti Dux multis audientibus dixiſſet, Alexandrum declinato prælio, permiſiſſe Alenconio Cameracum, ut externæ militiæ neceſſitatem wallonibus oſtentaret. quod à Magiſtratu Montenſi relatum contempſit Alexander, cognito hominis ingenio

*11 Septembris*

parum fidei, ut ſcripſit ad Regem, conciliaturo dictis ejus: præſertim bellicis conſiliariis facile teſtaturis, quam unanimi ipſi conſenſu

Recuperatio Sangiſlenii, *13 Septembris*

certamen abnuerint. Statimque ſecuta eſt Sangiſlenii recuperatio: Tornacenſibus, qui non pauciores peditibus trecentis, cum Eſpinoii Principis turma oppidum intraverant, ad primam tormentorum impreſſionem territis, ſeque

urbem-

2009 Ministerio de Cultura

urbemque Alexandri arbitrio dedentibus: quos ille armis, equis, ac omni præda exutos, vita ægre donatos, quippe ſacrarum imaginum violatores, Tornacum remiſit: decreta jam tum apud ſe ſuperbæ infeſtæque urbis obſidione. 1581.

Super ea tamen obſidione ad belli ſenatum retulit. In quo Procerum multi partim hiemis ingreſſum, partim ſuorum numerum tantæ urbi circumvallandæ perquam imparem, partim vicinas Ordinum copias, & Gallorum auxilia memorantes, expeditionem gravate ſubire videbantur. Sed ſtabat Alexandro ſententia, audaci aliquo inopinatoque facinore maculam, ſi qua erat, conceſſi Alenconio Cameraci quamprimum eluere. maxime quod ad eam obſidionem, multarum circa civitatum opem expectaret. Inſularum certe legati, queſti apud illum, à Tornacenſibus impune vexari Inſulenſem agrum, ultro ad ſubigendos hoſtes obtulerant & tormentarium pulverem, & foſſorum manipulum, & quinquaginta florenum millia. qua ſtatim ille pecunia, cum ea, quam ab Hiſpania nuper acceperat, Germanis perſoluta, qui in Lucemburgenſi provincia adhuc impacati ſupererant, partem ejus militiæ apud ſe ad hanc expeditionem deſtinavit: ſic aucturus ſuorum numerum, quo non minus obſeſſores circumvallandæ urbi, quam obſeſſi defendendæ ejus amplitudini pares eſſent. Gallorum vero auxilia non iterum tunc quidem cogenda, pro certo habebat. Plus ſibi negotii futurum verebatur tum à militibus ſuis, quos ſine externæ militiæ ſocietate nec excitare deſides, nec coërcere contumaces facile poſſet: tum à primariis belli ducibus, ex quibus equitum Magiſter Rubaſius, & Malecontentorum dux Montinius, ille Eſpinoii Principis, hic ejus uxoris fratres, timendum erat, ne caritate ſuorum emolliti, remiſſius aliquanto Eſpinoii præfecturam obſiderent. Quamquam Alexander utriuſque fidei, & morum diſſimilitudini inter Montinium & ſororem

CONSILIVM bellicum de Tornaco obſidendo.

*Tornacum* Multi non probant.

contra ſentit Alexander,

*Lilla* & cum ea plures civitates;

quæ opem offerunt.

Plus timebat Alexander à militibus,

& à ducibus ſuis.

[illegible]

rem

2009 Ministerio de Cultura

1581. rem haud parum tribuebat. quin & ſperabat, illos ad hanc ipſam ſuſpicionem avertendam, uti ſæpe fit, acrius inde curaturos. certe non defuturos Mansfeldium alioſque, qui ob veteres ſimultates tanto impenſius Rubaſii fratrem oppugnatum irent. Nondum Alexander è ſenatu, decreta jam obſidione, diſceſſerat, quum ecce ſuperveniens Galliæ Regis tubicen, orat liberum per ea loca commeatum pro Monmorini Domino, ſupremo regii ſtabuli Præfecto, qui miſſus ab Rege ad Alexandrum, Peronæ ſubſtiterat. Qua data commeandi fide (quamvis negaret Alexander tali viro legatoque neceſſariam) ille admiſſus eſt, cum hac denique legationis ſumma: Regem, Reginaſque, uxorem ac matrem, excuſatos velle ſe apud Parmenſem Principem, quod ultra quam optaſſent, Alenconius proceſſiſſet. petere ab illo, ut idem litteris ſuis Catholico Regi perſuadeat: efficiatque, ut profectionem Bellevræi in Hiſpaniam ad idem officium peragendum, Rex boni conſulat. Ad ea Alexander quid reſponſi retulerit, Regi accurate perſcribens, ad extremum addit; *Sibi certum videri, Monmorinum non excuſatum veniſſe, ſed exploratum, an ingreſſu Alenconii in Belgium, recepto Cameraco, violatam inter Reges pacem hic ſentiretur, & an idem ſenſus in Hiſpaniam tranſmiſſus hinc eſſet. Ad eam quoque rem expiſcandam venturum in Hiſpaniam Bellevraum, virum Regi ſuo perquam gratum, atque ad ardua quoque allegari ſolitum. quippe ſolertem, morumque ac temporum in primis callidum: ad ſimulanda vero negotia mire compoſitum, nec minus aliena arcana, dexteritate inobſervabili penetrantem, quam ſua opportune condentem. Quæ indicare ad viri notitiam, exiſtimaſſe ſe, muneris ſui eſſe*, concludit Alexander. Neque poſt multo allegatum ex Gallia Abbatem Guadagnium ad eadem Regis nomine confirmanda, quum Alexander utrumque honorifice quidem, ſed reſponſis, ea, qua ipſe petebatur, arte temperatis demiſiſſet; compoſitis rebus, exer-

Legatio Regis Galliæ ad Alex.

Legati poſtulatum.

Alexandri ſuſpicio de ea legatione.

9 Octobris

Bellevræi ingenium Regi deſcriptum ab Alexandro.

nova Legatio.

Idemque de ea judicium.

2009 Ministerio de Cultura

exercitum ad mœnia uſque promotum, Tornacenſibus oſtendit. 1581.

DE TORNACI obſidione.

Tornacum urbs Flandriæ in aditu Hanno-niæ, ſi qua inter Belgas alia, perantiqua, quam Nerviorum ſedem apud Cæſarem agnoſcunt aliqui, amplitudine, elegantia, atque opulentia celebris eſt: nec minus opere ſituque valida contra hoſtium incurſus, quos ſæpe à Gallis, interdum ab Anglis, non ſemel à Belgis ſuſtinuit. Perlabitur illam, dividitque Scaldis fluvius: concludunt mœnia, octo & ſexaginta turribus opere antiquo firmata: circumvallat ingens, atque è Scaldi magnam partem reſtagnans foſſa, in quam propugnacula undecim excurrunt à mœnibus paulum abjuncta, ac ponte pervia: tuetur ac terret arx in extrema urbe ad Scaldis ripam ab octavo Henrico Angliæ Rege, quum Tornacum Gallis eripuit, ædificata. Porro Tornacenſes, quam olim in Nerviis armorum ferociam ſupra ceteros Gallos expertus eſt Cæſar, eam ne nunc quidem, quamvis mercatura impliciti, ut reliqui Belgarum populi, penitus exuerunt: quippe civilibus externiſque perpetuo bellis exerciti, atque ab hæreſi licentius efferati. Et refertum erat hoc tempore Tornacum hæreticorum familiis: quarum pleræque ex reconciliatis Regi Wallonum provinciis ejectæ, in hanc urbem tanquam in ſentinam magna ſectarum colluvione defluxerant: accipiente illas avide Petro Meloduno Eſpinoii Principe, qui ut Tornacum ac Tornaceſium, Domino quam Gubernatori propior adminiſtrabat, ita ad magnitudinem urbis, aſylum in ea aperire, potentiæ ducebat. Aberat tunc ipſe ab urbe cum militum ſuorum parte adjuncta Ordinum copiis ad Gravelingam: reliqueratque vicarium Franciſcum Diovionum Eſtreellæ Dominum, & Principem uxorem Philippam Chriſtinam Laliniam, ferocis animi feminam. Quum Alexander maturata ob id expeditione, ſub initium octobris, poſitis ad urbem caſtris, tormentiſque ac reliquo obſidionali apparatu,

*lib. 2 bel. Gal.*

Vrbis celebritas,

& munimenta:

*Rivellini.*

1512

Civium ferocia,

*lib. 2.*

& hæreticorum advenarum frequentia:

*Rubaſii frater*

loci Gubernator.

Vrbem obſidet Alexander.



2009 Ministerio de Cultura

1581. Valencena, Montibus, ac Duaco per amnes importatis, obſidione Tornacum repente cinxit: Orangio, ubi reſcivit, admirato conſilium Alexandri, qui ſe lento tunc negotio, nec proceſſuro implicuiſſet: exercitumque ingruente jam hieme, validam apud urbem frigori egeſtatique damnaſſet: conſolatuſque Eſpinoium Principem, qui ad eum accurrerat, ſecuram affirmavit urbem à milite, quem traheret Alexander: addiditque ſubridens, Tornacum haud eſſe cibum ad Wallonum dentes. Facta tamen prudentiora dictis erant. Eodem enim tempore ſubſidia ſolvendæ obſidioni Orangius, & Eſpinoius anxie feſtinabant. Sed jam Alexander, æſtimata prius urbe, propugnaculum apud Divi Martini portam deſignaverat ad invadendum: quoniam & altior eo loco urbs, ideoque foſſa quo minus Scaldim accipiebat, eo faciliorem militi acceſſum præberet: & edita ea munitione ſi potiretur, in urbem dominari tuto poſſet. Sed à quatiendis mœnium turribus, quæ Martinianum propugnaculum utrinque defenſabant, incipiendum fuit; ac facile demolitus earum quinque, propugnaculum, verſis illuc tormentis, aggreſſus eſt. quo alicubi aperto, ſubeuntes Farneſiani circiter octoginta tam feliciter inde hoſtem ejecere, quam improvide mox ipſi ejecti ſunt; quippe improtecti, expoſitique tormentis, quæ è ponte propugnaculum cum mœnibus urbis conjungente, explodebant hoſtes, eo pontis aditu plures ab urbe recenteſque ſuccedentes. Nec ideo à Regiis deſitum eſt: ſed quidquid PECCATUM, pro diſciplina fuit. Noctu enim ducto aggere ad propugnaculi foſſam, juſſit Alexander meantes illac tuto foſſores ad propugnaculi roſtrum binos furnulos moliri: ſimul milites præſto eſſe cum faſcibus cratibuſque, quarum ſe ſe objectu, conſcenſo propugnaculo, tuerentur: tum quatuor majoribus tormentis pons quati cæptus. cujus partem quum jam reſcindi viderent hoſtes, veriti ne intercluſo aditu redituque, deſerti

*Mons* Orangio non ſatis laudante conſilium:

& obſeſſores irridente.

Sed Alexander propugnaculum quatit.

Subeunt illud Farneſiani: *Gulam vocant* expelluntur.

Accuratius redeunt:

& quatefacto ponte,

2009 Ministerio de Cultura

ſerti ipſi opprimerentur; in urbem ſe ſe, relicto Regiis propugnaculo, recepere. quod illi ſubeuntes, faſciumque & corbium lorica munientes, mox & quinque tormentis muralibus firmantes, munimentum ad urbis oppugnationem exinde maximum habuere. At exercitus lætitiam novus repente caſus interturbavit. Conſueverat Alexander, quum in aggere, aut inter operas non verſabatur, divertere ad caſam veteris furni, ſtantibus utcunque parietinis, & ligneo tegumento refectam, viginti circiter paſſus procul à loco tormentorum, quorum ictus ex rimis in ea apertis introſpiciebat. Hic dum agit ſub veſperam, hoſtes ſive per exploratores admoniti, ſive ex frequentia multorum ad imperia accipienda illuc ventitantium, interpretati quod res erat, tormento in eam partem collibrato, ac parietinis, tranſvolante ferrea pila, perterebratis, excuſſiſque; cæmento, ſaxis, lignis, Alexandrum, quique cum eo aderant, opprimunt, conteguntque. Id autem ubi in caſtris auditum, accurrentibus eo militum primoribus gregariiſque, viſo ante caſam Hiſpano Farneſianæ familiæ procuratore exanimato, mox & extincto; crevit enimvero ſollicitudo, &, tanquam erepto Duce, conſternatio. tantoque timidius congeriem ſaxorum lignorumque dimoventes, militem eruunt animam exalantem, juxtaque alium abrupta parte corporis ingemiſcentem. Nimirum jam complorabatur Alexander: quum ille è ruderibus ſemiconſpicuus, capite quidem humeroque ſaucius, & ſanguinem pluens, doloris tamen aut diſſimulator, aut victor; Dei ſe ope vivum & hoſtium malo victurum inclamans, redire quemque ad ſtationes jubet: veritus, opinor, ne quid per eam occaſionem obſeſſi tentarent. Nec poſt multo, adhibitis brevi curatione fomentis, militum ſe ſe conſpectui, operæque, non minori exercitus gaudio, quam admiratione, reſtituit. At Princeps Eſpinoius, Tornaci ſui anxius Aldenardam profectus, ut ex ea urbe, ſeptem

1581. propugnaculum conſcendunt, & muniunt.

Magnum Alexandri periculum.

ejus caſa hoſtili globo trajicitur.

ipſe, aliique ruina conteguntur.

occumbunt aliqui.

ſaucius ipſe è ruderibus exiſtit:

& brevi ſanatur.

Gubernator Eſpinoius auxilium Tornaco mittit.



2009 Ministerio de Cultura

1581. ptem horarum itinere procul Tornaco, ſubſidia provideret, tres equitum turmas immiſit, tentabundus qua caſtrorum parte viam ſibi in urbem aperire poſſet. Forte Alexander, qui quotidie procurſores in omnia circa loca diſtribuere conſueverat, eo die plures ſolito, ex ſelectis equitibus lancearios octoginta, & ſclopetarios ferme totidem, Aldenardam verſus exploratum miſerat. occurſanteſque, brevi acrique prælio victores Farneſiani, cæſis hoſtium ſexaginta, captis quadraginta ſex, equos, ſigna, atque arma in caſtra ad Alexandrum attulere. qui ea ſtatim ſpolia ac vexilla ex Martiniana munitione ſuſpendi juſſit, ut prædam Tornacenſes agnoſcerent, ac nova inde auxilia deſperarent. Non tamen deſpondit animum Eſpinoius, miſſo qui è Gravelinga, & maritima Flandria revocaret copias ſuas, Tornacenſium auxilio deſtinatas.

Sed pars capitur, reliqui fugiunt.

Interim auxit in caſtris gaudium Pedroſſa Centurio, cum litteris à Verdugo ad Alexandrum de victoria ex Norritio relata. Etenim poſt mortem Georgii Lalinii, Comitis Rennebergii, Friſiæ Gubernatoris, quæ Groningæ contigerat XI Kalendas Auguſti; quum præſenſiſſet Alexander, petituros eam præfecturam pro Comite Arembergio Lalinios ejus affines: quamvis patris merita, qui illam adminiſtraverat, proque Rege dimicans adverſus Ludovicum Orangii fratrem fortiter occubuerat, omnia mererentur; quia tamen ætas filii, generoſa quidem illa, atque experrecta, ſed immatura tanto regimini videbatur: præterquamquod is ſero Regis partibus acceſſerat, diu medius incertuſque; idcirco ne repulſa ipſum, & Lalinios ſimul offenderet, Groningam præmiſerat Franciſcum Verdugum, hiſpanum hominem, Talaveræ natum, inter Belgas tamen innutritum, ductaque in matrimonium notha Mansfeldii filia, belgico ſanguini jam innexum, certe Belgis gratum. Hunc autem, uti veteranum militem, conſilioque ac manu promptum,

VICTORIÆ nuncius ex Norritianis.

22 *Iul.*

Rennebergii mortui præfecturam mandat Alexander *Io. Lignyus C. Aremberg.* non Arembergio,

ſed Verdugo:

*ab anno* 1556

2009 Ministerio de Cultura



DON FRANCISCVS DE VERDVGO, *Præfectus Friſiæ, et Groeninge.*

09 Ministerio de Cultura

2009 Ministerio de Cultura

ptum, qualem provincia longe poſita, hoſtiumque viribus perpetuo appetita requirebat; ceteris ante habuit Alexander, armorumque Ducem per Friſiam ita conſtituit, ut provinciæ regimen eſſet penes Groningæ Magiſtratum, Præſidem, & Regios quatuor conſiliarios, dum aliter ab Rege, ad quem omnia retulit, ſtatueretur. Et Verdugus quidem auſpicato iniit præfecturam. Namque poſt aliquot minora prælia adverſus Ordinum copias, partim ab ipſo, partim à Martino Schenchio proſpere geſta, quum à Levardiæ conventu miſſus iterum eſſet Ioannes Norritius cum Gulielmo Naſſavio, ad reprimendos Verdugi conatus; in Groningenſi agro inter Nienzilam munitionem, ſeu cataractam novam, & Northornam pagum, inſtructa acie certatum eſt. Quod, uti alia præfecturæ ſuæ memoranda, edito Verdugus ipſe commentario complexus eſt. Duxerat ſecum Norritius è ſelectis militibus tria peditum millia: inter quos undecim Anglorum, Scotorumque cohortes, & turma Anglorum una, præfecto Morgano, ceteris anteibant. equitibus, paulo ſupra quingentos, Echius imperabat: Naſſavius turmas aliquot extra ordinem habebat. At Verdugus, qui tunc quidem non confligere niſi coactus apud ſe ſtatuerat: quippe equitatu minor, & nullis majoribus tormentis validus, quæ multa apud hoſtem; locum caſtris ceperat, foſſis voraginibuſque præſeptum, quo acceſſum hoſti præcluderet: acie in hunc modum inſtructa. In medio, quantum loci anguſtiæ patiebantur, legiones duas extendit, Rennebergiam, & Billiam, Monceano Taſſioque ductoribus, quibus ſuorum partem Wallonum addidit: partem ad latera, ubi laxior, & equitabilis campus, cum Raitris ac lancеariis, ſub Volfango Prengero diſtribuit. Et primum in utroque cornu commiſſa eſt pugna, quieſcentibus in medio legionibus, quod hiatus labeſque terræ tranſcendere illi non auderent, hi nollent. Verum ubi ab equitibus

1581.

11 *Aug.*

à quo provincia ſtrenue defenditur contra Norritianos.

Pugnæ locus

Norritii copiæ.

Verdugi caſtra.

& aciei diſtributio.

Pugnatur:



2009 Ministerio de Cultura

1581. Naſſavii fundi fugarique Northornam verſus, Raitrum alas videre Norritiani, victoriam ſecuturi, majore animo quam conſilio conglobati foſſas irrumpunt: atque inde ægrius, quam putaverant, eluctatos feſſoſque, retentus ac recens Verdugi miles aggreditur. Eodem tempore quum à præſidio, quod apud Northornam Verdugus ſepoſuerat, rejecti victores Naſſaviani hinc à Northornianis, inde à Raitris, qui equos circumegerant, medii premerentur: ſimul equitatus Echii loco motus à lancеariis, fugam reſpectaret; tanta repente cæde Norritiani pedites equiteſque repulſi ſunt, ut non ante diſſipari cædique deſierint, quam eorum reliquias munitio Nienzila, in quam ſe ſe certatim projecere, contexerit. amiſſis tormentis omnibus, & ſignis militaribus pleriſque: cæſis ordinum Præfectis quatuordecim, nec paucioribus primariorum captis, ſauciiſque perquam multis, interque eos Naſſavio, atque Norritio recіſa manu. quum tamen ex Regiis, qui ante pugnam in terram proſtrati opem de cælo, irridente Norritio, poſtulaverant, nemo alicujus in exercitu nominis, aut muneris deſideratus ſit. Adeo DIVINA ſe dextera libens adjungit ſupplicum pietati, ubi ſuperborum impietas vindicanda eſt.

*Proſpere primum à Norritianis. Norritiani Verdugiani* *poſtea funduntur.* *Summa cladis, & victoriæ,* *Franc. Verdugus l. 1 commentar.* *prope incruentæ.*

Hoc igitur lætus nuncio Alexander, communicatis victoriæ litteris in bellico ſenatu, ibique ſumpto urbis aggrediendæ conſilio, jubet, à Mansfeldii foſſoribus ad mœnia, tribus in locis, cuniculos agi, foſſores protegente Martiniano propugnaculo, cujus tormenta trecentos circiter paſſus in muros dominantia, raros inibi propugnatores patiebantur. Sed, quod in aperto non poterant, ſub terram ignoti inobſervatique tuebantur urbem Tornacenſes, actis non uno in loco, Gubernatoris Eſtreellii conſilio præſentiaque, cuniculis. Inter quos operoſiorem vaſtioremque direxerant in eam partem, in qua Mansfeldianos moliri humum animadverterant, eorum operam tranſverſo

*Hujus victoriæ nuncio læti Farneſiani. Tornaci mœnia cuniculis aggrediuntur.* *& Tornacenſes ſimili ſuffoſſione occurrunt Farneſianis,*

meatu

2009 Ministerio de Cultura

meatu corrupturi. Iamque ſuffoſſionibus eo utrinque proceſſerant, ut quo minus cunicularii militibus comitati ſibi invicem occurrerent, terra non magnæ utique molis intercederet. tunc Mansfeldiani auditis ex adverſo ſuffodientium ictibus, ſubito cæcoque metu milites operæque ad cuniculi caput aufugiunt, repertumque inibi militum globum ſuo timore ac fuga involvunt. Forte accurrerat eodem tempore Alexander ad Wallonum contubernium, in quod Tornacenſium turma clam egreſſa, repente invaſerat, cæſiſque nonnullis ſtationariis, in vicina quoque Germanorum caſtra terrorem extenderant. Vixque hoſtem, immiſſis illico Epirotis aliquot equitibus, compulerat in urbem Alexander, aliquibus Tornacenſium captis; quum nunciato, foſſores ſuos militeſque, relicto opere, fœde fugatos; advolat illuc, comitante eum Maximiliano Vauxii Domino. Dumque trepidationem ſuorum ſiſtit, effuſa è mœnibus ſubita ſaxorum procella, corripitur ipſe, Vauxiuſque: &, quamvis galea armiſque tecti, tamen Alexander brachio ictus, ea corporis parte prætumida invalidaque diu doluit: Vauxius autem majore vi molaris eliſo capite, ſemianimis inde avectus, ac reliquo obſidionis tempore curationi fruſtra adhibito, in urbem jam captam illatus, paucis poſt diebus pie deceſſit. mœrore quam maximo Alexandri, qui virum diligebat, atque obſervabat, eique Comitis appellationem ex Bucquoio, gentilitio in Arteſia dominatu nuper impetraverat à Rege. Ad quem de Bucquoii fine ſcribens, negat amiſſo tali viro facile reperturum ſe, qui & in regio ſenatu, & in ærario, cui præerat, concilio, pari fide prudentiaque ſuſtineat Regis cauſam. Additque, ob hujus merita, tradita à ſe decenni filio ordinariam, quæ patris fuerat, Wallonum turmam; & Arteſiæ Gavenam, ſive magni Luparii munus. Quin & Regem orat, ut equeſtrem cenſum gradumque, quo pater ex militari Divi Iaco-

1 5 8.

qui relicto opere fugiunt.

*Quartier* eodem tempore contubernium Wallonum invaditur.

*Albanenſes* invadentes Alexander reprimit:

tum ad ſiſtendam foſſorum militumque fugam advolat,

ſed interim ſaxorum procella è mœnibus ſauciatur:

& comes ejus Vauxius paulo poſt ex ictu moritur.

magno Alexandri mœrore,

*7 Decembris.*

ob viri merita,

*caput finantiarum* quæ Regi repræſentat,

*Grand Louvier* ut extendat in filium.



2009 Ministerio de Cultura

1581. bi ordine fruebatur, in filium, eodem patris animo, & indole adhuc majore adoleſcentem, tranſlatum velit. Atque hic ille eſt Carolus Longuevallius Bucquoii Comes, qui è militari ſub Alexandro diſciplina, accitus aliquot, antequam hæc ſcriberemus, annis à Cæſare, multis per Germaniam partis victoriis, militiæ ſupremus inclaruit. Ergo Alexander, repreſſo foſſorum terrore, rejectiſque in urbem Tornacenſibus, nihil ipſe tardatus ex vulnere, quaſi doloris ſenſum in aliud tempus differret; ad aggreſſionem, quam deſtinaverat, animum advertit. & contra urbis foſſam, ducentos ferme paſſus procul à mœnibus diſponit octodecim muralia tormenta, quibus turres quatuor, interjectuſque paries quaterentur. Quaſſatis autem triduo turribus, ac murorum parte, aſcenſuque ex ruinis adæquato, indicit in ſequentem diem, cuniculis tunc incendendis, oppugnationem. præfecto foſſoribus, & aggreſſuris ea cuniculorum parte, Mansfeldio: oppugnatione vero ad turres Montinio injuncta. Iamque mane daturus erat Alexander aggreſſioni ſignum, quum præter expectationem affuit miſſus ab Altapennio Petrus Bardius, expugnationis Eindoviæ nuncius. Ceperat hoc Campiniæ oppidum duobus ante menſibus Holachii miles, atque inde Helmontio, ac Buſcoduco infeſtus erat. Ideoque Alexander, juſſis è Friſia properare illuc ſub Schenchio Tribuno aliquot Raitrum turmis, atque Italis lanceariis; mandaverat Altapennio, oppugnationem oppidi quamprimum aggredi. Et ipſe auctus hiſce militibus auxiliaribus, (erant paullum ſupra octingentos) poſtquam Holachianos ejecit ab Helmontio, cujus arcem capto jam oppido pertentabant, Eindoviam aggreditur: ac poſt aliquam, tormentorum vi, factam murorum ſtragem, oppidum invadit: ac, ne uno quidem ſuorum cæſo, læſove, præter Gaſtonem Spinulam, amiſſo oculo, & Georgium Rinaldinum, trajectis pila renibus ſauciatos,

quem Germania multis clarum victoriis Ducem vidit. *Ferdinand. II.*

Redit ad oppugnationem Alexander,

ac diſponit aggreſſionem.

& nuncio Eindoviæ ab Altapennio expugnatæ recreatur. *9 Aug.*

*Bolduc*

*Altapen.*

*Rinald. Vincent. centurio.*

2009 Ministerio de Cultura

ciatos, Eindovia potitus eſt: præſidiariis, qui ſe dedidere, ſupellectili omnique armorum genere ſpoliatis, atque abire permiſſis. Grata enimvero talis opportunitas Alexandro fuit, qua deſides Wallonum animos excitaret. Converſuſque per eam occaſionem ad Mansfeldium, alioſque è cuniculorum parte ſubituros, *Ergone*, inquit, *in Friſia, Campiniaque miles noſter fortiter agendo, proſpera quæque patraverit: nos hic indecores, ingloriique ante mœnia ſedeamus? Plura Verdugus, aut Altapennius cum paucis militum cohortibus, quam Alexander cum primariis belli Ducibus, cum ipſo regii exercitus robore perfeciſſe glorientur? Geminatos hoſce victoriæ nuncios in hoc rerum articulo perlatos, equidem non tam incitamentum ipſe interpretor, quam convicium. Quid enim? urbem obſidemus, quam refertam hominibus, tam militibus inanem, turba fugitivorum impeditam, quos non caritas patriæ, non penatum cura tenet: ne Ducis quidem ſui, qui timidos, & mutare ſolum conſuetos regat, præſentia ſuſtentatam. Niſi forte unius impotentis feminæ conſiliis, in officio contineri populum moribus, patria, religione, diſcordem arbitramini. Hoc autem deſertorum aſylum, hæc vicinarum ejectamenta civitatum, hanc Flandricam Genevam tandiu ſtare, deque proculcata Religione trophæa hic conſpici, nos armati atque inulti patiemur? En urbs turrium caſu aperta, ac disjectu lapidum complanata ſubeuntes invitat. Rari hic externi milites, Hiſpani hic nulli. Tota receptæ urbis gloria Wallonum nomini patet. Oſtendite, contra quam vos contempſit Orangius, ſcire Wallones Tornacum expugnare. Poſtremo, ne Hiſpani merito deſiderentur, veſtris in manibus eſt.* Hæc ubi dixiſſet, incendi cuniculos extemplo juſſit. Eorum vi moto atque excuſſo terreno ſolo, evibratiſque ſuperſtantibus circiter quinquaginta propugnatoribus, quorum quinque relabentes ex alto, ante Mansfeldii pedes turbo dimiſit: æquatoque inde, atque emollito in interiora urbis, aſcenſu; invadendi ſignum ex utraque parte aggreſſuris dedit. Neque ſibi ante defuerat

1581.

eaque occaſione animat Wallones ad invadendum,

hac oratione

Strages à cuniculis ante aggreſſionem.



2009 Ministerio de Cultura

1581.

contra quam munierant urbem Gubernator, *Cavaliere*

urbis Gubernator Eſtreellius. Nam & vicinas turres, aucto ſclopetariorum numero, communierat: & tumulum contra Martinianum propugnaculum tumultuario aggeſtum opere, mœnibus impoſuerat: & in mœnia, inter pinnas, crebros lapidum acervos, corbeſque, & dolia ſaxis farta in ſubeuntes devolvenda comportaverat.

& uxor Eſpinoii Principis,

Poſt urbis vero murum, ſi forte is cuniculo, aut alia vi ſubrueretur, interius munimentum ceſpite & gleba firmandum ſibi ſumpſerat Philippa Eſpinoii uxor.

militaris femina.

Quam toto illo obſidionis tempore, munia Ducis induiſſe: cives, milites, operas, animaſſe: ac bellatoribus immiſtam brachio vulnus accepiſſe; ego ex Comite Egmontia, cujus tunc parens Obignyus urbem obſidebat, exploratum habeo. Et quamquam adverſus hæc proviſum ab Alexandro, tormentis partim ex aggere ante foſſam, partim ex Martiniano propugnaculo fulminantibus in eos, qui è turrium ſtatione, atque è tumulo propugnabant; tamen uni, in ea aggreſſione, caveri ſatis haud potuit Wallonum ſive inertiæ, ſive contumaciæ, quam madefacta imbri tellus, lapſante veſtigio, fovebat.

Invaditur urbs. male ab Wallonibus:

Etenim quum per turrium ruinas, hinc Bourſius, inde Obignyus Wallonum Tribuni ſuos impuliſſent: videretque Montinius, eos relangueſcentibus à prima aggreſſione animis, reſtitare, nec ulla aut ſua, aut Tribunorum adhortatione, atque exemplo incaleſcere; feſtinato ad Alexandrum nuncio, opem efflagitat.

fruſtra eos impellentibus Tribunis:

qui proſpecta ſuorum trepidatione, recentes illico milites, pleroſque honorarios, atque ex aula, ſub Marchione Rangono, & Piſtoletto Gatteſco ſubmiſit: inter quos ſe ſe Marchio Varambonius, ac Pompejus Bardus, Alexandro non animadvertente, immiſcuere. Et hi quidem ceteros antegreſſi, nec ulla aut pilarum, aut ſaxorum procella retardati, adeo ut ſi plures ſui ſimiles nacti eſſent, haud dubie capi eo Tornacum die potuiſſet; magis hoſti metum, quam ſuis animum attulere. quippe parum inde permoti

& honorariis militibus exemplo præeuntibus. *Piſtolet. Piſtorien. Varam. Burgund.*

2009 Ministerio de Cultura

moti Wallones, Germanique, ubi Tribunum Bourſium, qui pugnam inter primos ciebat, extinctum videre, deſertis, qui progreſſi ſtrenue pugnabant, cauſati inſtabile ſolum, & interiorem aggerem tormentis ante non dirutum; ad caſtra & contubernia retulere ipſi pedem, & referre demum alios coëgerunt. Quorum aliquos, ipſumque Montinium traducturus erat Alexander ad alteram oppugnationis partem, in qua, curante Mansfeldio, Marcoſanius Samblamontii frater, cum ſex Germanorum ſignis, Billiuſque cum ſuis, & Bucquoii Wallonibus, latiore aſcenſu ob majorem à cuniculis ſtragem, dimicabant; ſed ingruente jam nocte, & præcipiti nimbo, ab utraque oppugnationis parte ceſſatum eſt. Cecidere ex Tornacenſibus in utraque aggreſſione paulum ſupra ducentos, ex regiis haud quidem multi, ſed multorum inſtar Philippus de Stavele Glaionii Dominus, Tribunus Bourſius, Comes Pioppus, Pompejus Bardus, Hieronymus à Marra Margaritæ Ducis Parmenſis aulicus, & Ajax Cæſius Alexandri ephebus. præter ſaucios ferme ſexaginta, interque eos Varambonium, Montinium, Billium, & utrumque machinarum Præfectum, Barocium, ac Platum.

1581. ſed illi non permoventur præſertim mortuo Tribuno. immo ab aggreſſione recedunt trahuntque alios.

Mortui in ea oppugnatione ex Tornacenſibus: ex regiis mortui,

*Hier. Neapol.*

faucii.

Interea feſtinatis nunciis evocabat Eſpinoius Princeps è maritima Flandriæ ora auxiliares copias: quarum ope intentos invadendæ urbi Farneſianos aggrederetur. Sed nova illos, quæ repente affulſit ſpes capiendæ Gravelingæ, remorata eſt. Gravelingæ præerat Valentinus Pardiæus Mottæ Dominus, non minus Anglæ Reginæ, quam fœderatis provinciis jam pridem inviſus. Hujus præſidiarii ſexdecim, paucis ante menſibus propter littus agitantes, à Britannicæ navis claſſiariis illac appulſis per inſidias capti, Londinum abducti fuerant. Ibi perdiu detentos, Belgæ aliquot exules, inita, ut inter populares, amicitia, aggreſſi ſunt avertere à Mottæi militia, à quo non redimerentur. haud ignari, FACILE captivos tranſire

GRAVELINGÆ periculum à proditione.

Capti aliquot ejus loci præſidiarii abducuntur in Angliam. *Londra.*

*Præſidiarii*



2009 Ministerio de Cultura

1581. Ibi accepta pecunia redeunt Gravelingam tradituri eam Orangianis. Mottæo sed Mottæo Gub. rem deregunt.

animo in eas partes, unde nequeant expedire corpus. Denique eo ventum eſt, ut ingentis pecuniæ ſpem facerent, oſtenſo Orangii chirographo & ſigno, ſi in Flandriam reverſi, Gravelingam Orangianis traderent. Illi cautione accepta, nec poſt multo à Mottæo redempti, reverſique rem omnem ei denarrant. à quo laudati animatique, jubentur in ea cum hoſte communicatione perſiſtere, parique dolo dolum plectere. ipſe interim arcem majore præſidio firmat. Et jam Varouxius Orangianorum dux, intempeſta nocte cum ſexcentis peditibus, & equitibus trecentis, contra Gravelingam ſtetit: eodemque tempore Britannica navis auxilio his futura, tormento ter exploſo, & præſidiarii igne ex arce ter elato, omnia, uti conventum erat, utrinque in promptu eſſe indicarunt. Tunc pedites quadraginta ad arcis foſſam progreſſi, prolato militari nomine, à conſciis admitti in arcem poſtulant. ſed juſſi plures adeſſe, triginta ſecum adductis, muros ſubire certatim incipiunt. idemque alii ſubinde, atque alii dum parant, inalbeſcente jam die, veriti ne forte erumpentibus ab arce Mottæanis, ipſi impares forent, (namque decreſcente mari, navis ægre tranſmittere in terram auxiliares poterat) recedendi conſilium propere capiunt. quum illico Mottæus cum aliquot cohortibus, ac turma ſelectorum militum, dum intra arcem, qui aſcenderant, jugulabantur omnes, ipſe hoſtes recedentes aſſecutus aggreſſuſque, partem eorum cædit, partem capit, paucos victori fuga ſubripuit. Inter quos Præſtonius, vetus equitum ductor, cum Scotis equitibus ferme centum, dum ad Eſpinoium Principem quam celerrime contendit, aſſequitur feſtinantem, ac ſiſtit prope Rubaſium pagum concitus repente nuncius à Farneſianis caſtris, incertum à quo miſſus: ac poſt breve alloquium, perſuadet, ut cum eo equitatu Tornaci aditum pertentet: illa nocte in caſtris datam excubiis eſſe militarem teſſeram, *Divam Barbaram*: ea

& alliciunt Orangianos in arcem.

quam ingreſſi aliqui

cæduntur,

cæduntur & alii, aut capiuntur. pauci evadunt.

Ex his Præſtonius invitatur ad ferendum auxilium Tornaco:

& docetur teſſeram illius noctis,

2009 Ministerio de Cultura

ea pronunciata, ac ſe viæ duce, aleam feliciſſime caſuram. Præſtonius præſidenti vir ingenio, quique malebat ſucceſſum ſibi deeſſe, quam videri animum defuiſſe, nihil moratus, animatiſque turmalibus ſuis, Tornacum quanta maxima poteſt celeritate contendit. ac duobus lancieariis procul à caſtrorum ſepto excubantibus nocturni ſigni prolatione deceptis, pervenit ad caſtra ſub mediam noctem, quo tempore equeſtrium ſtationum vices permutabantur. Agebat extra circumvallatæ urbis ambitum regius equitatus: nec intrabant equites caſtra, niſi cum vigilias inibant. Igitur Scoti, quaſi è proximis equitum contuberniis ad ſtationes adeſſent, prolato Divæ Barbaræ ſymbolo, excubias hic quoque intrepide tranſmittunt. quin, ut noti magis, ac Farneſiani haberentur, apud ipſum Farneſii tabernaculum haſtatorum manipulo cuſtoditum, perque anguſtias pontis ægre binos equites admittentis, tanta ſecuritate prætereunt, ut confidentia ſuſpicioni locum præcludente, non ante intellecti ſint hoſtes, quam in urbem jam confertim inferentes ſe ſe, fruſtra Farneſius ipſe conſcenſo protinus equo, ac turmam lanceariorum trahens, duobus tantummodo captis, inſequutus ſit. Ex hiſce captivis edoctum ſe eſſe de nuncio ad Præſtonium miſſo ſcripſit poſt urbis expugnationem ad Regem, queſtus, *Proditorem in caſtris fuiſſe, & ſciri ab ſe adhuc non poſſe. Marchionem Rubaſium eſſe quidem Eſpinoii fratrem, & Lalinium eſſe fratrem Eſpinoii conjugis; ideoque vulgo credi, ægre illos ferre Tornaci caſum; tamen neutrum tanta reum perfidia accuſari à ſe, qui utrunque dignitatis ſuæ perquam tenacem expertus ſit.* Ex hoc eventu motum Alexandrum mandaſſe, ne nomen excubiis in poſterum traderetur: ſatis illis muneri ſuo facturis, ſi neminem in caſtra progredi, niſi agnitum à decurione paterentur. idque conſilium tanquam Ducis, qui rem bellicam præceptis exempliſque perfecerit, à caſtrenſi diſciplina exceptum eſſe, nobilis de equeſtri

[Margin notes:]
1581.

qua prolata fallit excubias.

& eadem fallacia per media caſtra

Tornacum intrat: fruſtra Alexandro ipſo inſequente.

*7 Decembris*

qui proditionem agnoſcit, proditoris ignarus.

*Emmanuel Montin. Dom. poſtea March. Renthiacus.*

Hinc nomen tradi excubiis ceſſatum eſt.

*Caporale.*



2009 Ministerio de Cultura

1581. *Lud. Melzius l. 3. c. 6.* Magna ob auxilium Tornaco illatum lætitia, ſparſa Orangii opera, qui mira de Tornaco à ſuis militibus liberato ſingit. ſed illatum auxilium fruſtra fuit: immo Præſtonius ipſe deditionem ſuadet Tornacenſibus: qui urgente illos Alexandro,

militia ſcriptor affirmat. Scotorum qualicumque auxilio in urbem illato haud facile dictu eſt, quanta Gandavi, & Antverpiæ, perque Flandriam omnem edita ſint publice gratulationis argumenta, feſto tormentorum plauſu, æris campani ſono, atque ignium hilariis: Orangii in primis opera, qui Gandavi tunc agens, excitatam in ſe multitudinis ſeditionem, velut indormiret Tornacenſium malis, tracturis (uti ajebant) Gandavi ruinam, reprimere haud valuerat, quamvis duobus, ejus imperio tractis in carcerem, ſtatimque à furente populo extractis. Idcirco ubi Scotos Tornacum ingreſſos audiit, litteris, ac nunciis partes in omnes immiſſis, Trecentos equites in urbem intraſſe: Alenconianos florenti cum exercitu Duncquerca, Tornacum verſus jam moviſſe: Parmenſem, deſperata urbis expugnatione, amiſſis præcipuis ducibus abitum imperaſſe: atque alia in hanc ſententiam falſa veris immiſta comminiſcitur, præſentia metuens, futuri ſecurus. Et tamen dum hiſce ubique lætitiis, ceu libero jam Tornaco effuſe geſtiebatur; eodem tempore de urbe Alexandro Principi dedenda tranſigebant Tornacenſes. Etenim inaudierant ab auxiliaribus Scotis, qui urbem ingreſſi erant, male pugnatum ad Gravelingam, Ducem Alenconium Anglæ nuptiis inhiantem in Britanniam ſolviſſe, nec inde opem in præſens expectandam. Et Præſtonius contemplatus internas munitiones, militum infrequentiam, raros ex veteranis, plus minarum ubique quam virium; palam edixerat, niſi Martinianum propugnaculum reciperetur, urbem adverſus Alexandri vim defendi diu non poſſe. Acceſſit & alius timor. namque Farneſius ab inducto Scotorum ſubſidio parum motus, magis ab hieme in dies ſæviente perculſus, feſtinatis operis, queis in præſentia plus aliquanto quam militi tribuebat: actis non uno in loco furnulis cuniculiſque, adeo interiora urbis intrabat, ut Tornacenſes, qua parte ſibi cave-

2009 Ministerio de Cultura

caverent ignari, ubique trepidarent. Et jam res in hunc modum ipſe diſpoſuerat, ut poſt ſecundam noctis vigiliam, ante foſſam apparerent milites: ac prima luce, poſtquam cuniculos incendiſſent, ſi ruina viam ſterneret, Deo duce, Divique Andreæ Burgundiæ tutelaris auſpiciis, cujus pervigilium aderat, urbem hæreſum altricem aggrederentur, Deique Divorumque injurias ultum irent. Quum ecce una ante mediam noctem hora, nuncius ab Eſtreellio Gubernatore urbis, cum litteris ad Raſſinghemium veterem amicum: quibus denunciat, cives ac milites de dedenda urbe, æquis modo conditionibus, conveniſſe. Raſſinghemius illico ad Alexandrum: hic quamquam veritus, ne obſeſſi ad declinandam, quam forte præſenſiſſent, ſequentis diei tempeſtatem, conſulto moram traherent; tamen quod hominum ſtragi, atque urbis excidio magnopere cautum vellet, conceſſo ad conſultandum toto illo pervigilio, oppugnari interim urbem vetuit. Et res confecta protinus foret, niſi Eſpinoii uxor conditiones, modo hanc modo illam excipiens, deditionem protrahendo, interturbaret. Hæc enim, præter præfecturæ opulentiſſimæ jacturam, ut erat Mariæ Momorantiæ ſororis Comitis Hornani, ab Duce Albano interfecti filia, hæreditariam ab regiis partibus abalienationem animo fovebat adeo, ut dedita poſt urbe, Lalinio fratri, qui eam Alexandri nomine inviſebat, nihil aliud averſo ac præferoci vultu reſponderit, quam, Si rem eo venturam providiſſet, profecto ſe immiſſo in quatuor urbis partes igne, Tornacum omne fuiſſe incendio deleturam, ſe ipſa incendio ſuperjecta. Non tamen dies abiit, quum in haſce potiſſimum conditiones conventum eſt. Vt Eſpinoii Principis uxori integrum eſſet, aut in urbe ſubſiſtere, aut cum familia ac ſupellectili, quo volet, abire: ut præſidiariis egredi cum armis liceret: ut ducenta florenum millia ad regii exercitus impendia civitas perſolveret: ut

1581.

de deditione agunt

repugnante Eſpinoia Principe,

femina præferoci.

ſed deditur in haſce conditiones.

2009 Ministerio de Cultura

1581. ut in urbem, inque arcem præſidia immitendi penes ſupremi Belgii Præfectum poteſtas foret: ut hæreticis, interdicto omni ſectarum uſu, urbs permitteretur; migraturis autem, parte tamen mulctæ perſoluta, liberum eſſet ad bona diſtrahenda tribus Tornaci menſibus commorari. Rebus ita compoſitis, vix dum proceſſerant ex urbe Eſtreellius militeſque, & Principis Eſpinoii uxor, una cum ingenti concionalium hæreticorum caterva, partim Aldenardam, plerique Gandavum digreſſi; quum feſtinavere ad Farneſium Tornacenſis clerus, primarii quique mercatores, ac Nobiles complures, anxie ac dolenter expoſtulantes, Aurum omne, argentumque civitatis, ab iis, qui urbe abibant, aſportari. obſidionis tempore pretioſa quæque ad divinum cultum, atque ad privatorum uſum ſplendoremque ſpectantia, præter multas multique pretii merces, à templis atque ab aliorum domibus tranſlata in arcem fuiſſe: ea nunc omnia, inter res ſupellectilemque Principis Eſpinoiæ, per Scaldim cimbis avehi, ſummo Tornacenſium damno atque dedecore. Alexander flagitium deteſtatus, milite confeſtim emiſſo ad Carandoletum, qui duabus cum turmis Eſpinoiam comitabatur, jubet illum extemplo cimbas Tornacum omnes remittere. Remiſſis, atque à Magiſtratu, Farneſii juſſu, diſcuſſis, ad ſuos res quæque dominos adeo cum fide rediere, ut ne uncia quidem argenti cuiquam deperierit. mota ex eo civitate, ut partem imperatæ pecuniæ ſtatim exſolverit: nec differente Alexandro, quin protinus eam ſummam inter milites prælarge diſtribuerit. Ceterum dicere non eſt, quanta triumphalem ejus in urbem ingreſſum gratulatione milites juxta ac cives certatim proſequuti ſint, hi virtutum admiratione capti, cuncti beneficiis. Feruntque hoc primum tempore non tam militari impetu, quam ex regii, bellicique ſenatus conſulto, nova appellatione, ab univerſo acclamatum exercitu, *Sereniſſimo Principi vitam & victo-*

[Margin: Dolus abeuntium, clam cimbis aſportantium pretioſa quæque Tornacenſium. — Revocantur eorum cimbæ, & ſua cuique redduntur. — civitate imperatam pecuniam ſtatim ſolvente, — & illam diſtribuente Alex.]

2009 Ministerio de Cultura

1581.

*victoriam: fortiſſimo Imperatori vitam & victoriam*, idque à Tornacenſi populo, exemplum excipiente, ſæpius ingeminatum. Quin & ab ipſo Magiſtratu urbis, inter ſacramenta Alexandro dicta, non aliis eum dignationum titulis, quam Sereniſſimæ Celſitudinis nomine compellatum. renovato veterum more, quo fortibus in bello Ducibus, ex ſenatus decreto, & acclamantium favore militum, Imperatorium nomen imponebatur. Certe decorum fuerit Farneſiæ domui, non ſolum in natalitiorum ſiderum incidiſſe lucem, ſed ex bellorum quoque nubilo ſerenam ſibi claritudinem, victrice fortitudine, aperuiſſe.

qui nova appellatione ſalutatur.

Alex[illegible]

Ingreſſus urbem Alexander, poſt actas in principe templo Deo, Divoque Andreæ grates: poſt creatum ex Catholicis, fidiſque civibus Magiſtratum, reſque ſacras rite atque ordine procuratas; allegato in Hiſpaniam Petro Franciſco Com. Nicellio, ſupremo ſtabuli ſui Præfecto, gratulatus eſt Regi, *Traditam Majeſtati ejus à Deo Tornacenſem victoriam, ingreſſis urbem regiis militibus eodem die, quo ante annos ſexaginta, parens ejus Carolus Imperator armis Tornacum ceperit. ſibi quidem labores, quos in duorum obſidione menſium permultos & prægraves non minus in ſuorum cura, quam adverſus hoſtem cum vita diſcrimine perpeſſus ſit; perleves in præſentia videri, ac pene nullos, quibus videlicet parta ſit Regi ſuo urbs, quæ Flandris in Wallonum provincias fores claudat, Wallonibus in Flandriam patefaciat. præſertim quod hæc (non ut aliæ Wallonum urbes externorum militum immunes) regio firmari præſidio, atque in fide contineri tuto poſſit.* Et vero firmavit Alexander, immiſſis in urbem cohortibus Wallonum duabus, ac totidem Germanorum: atque horum tertia arcis præſidio attributa. ſibi, qui ſedem in ea urbe deſignabat, Burgundorum turmam, ac Germanorum centuriam delegit: impoſito his Piſtoletto Gatteſco, & urbis Gubernatore Licquii Domino renunciato. ægre id ferentibus Procerum nonnullis, quaſi Alexan-

Nuncium victoriæ allegat Alexander ad Regem cum hac gratulatione:

& urbi præſidium imponit:

*qui paulo poſt Namurci obiit*
ægre id ferentibus procerum nonnullis:

2009 Ministerio de Cultura

1581. Alexander adverſus conventa, in Wallonum provincias præſidiarios inferret. quos ille in ſenatu perſtringens, negavit ſibi non licere, ſuo arbitratu præſidium urbibus imponere, quæ inter reconciliatas Regi non fuerint. affirmavitque, idem ſe in aliis locis præſtiturum, quæ Dei ope, armis in poſterum ſubegiſſet. nemine contra diſſerere quidquam auſo. Obſervavere aliqui, quibus hæc admirari mos eſt, feſtam Divi Andreæ lucem fuiſſe Tornacenſibus fatalem. Nam quo die urbem victor intravit Parmenſis Princeps, uti ad Philippum Regem ille ſcripſit; eodem olim Carolus Imperator, eodem ante Carolum annis ſexaginta octo, Maximilianus Cæſar Philippi Regis proavus: eodem duobus ante Maximilianum annis, Henricus Angliæ Rex Tornacum expugnarunt. Sed ea maxime res admiratione multos tenuit, quam tabellarius Mediolano ad Alexandrum miſſus, exercitu præſente narravit accidiſſe ſibi, apud Genevam. Namque dum ibi, ajebat, mutandis equis paulum in taberna ſubſiſterem, cauponem audivi cum Genevenſi cive ita colloquentem: *Heu quale vobis, religionique veſtræ infortunium hic creat dies! Hodie,* (& erat Divi Andreæ pervigilium) *in Parmenſis Principis manus Tornacum venit.* Ad eam hominis vocem, qui tot locorum intervallo diſtracta ceu præſens inſpiceret, riſi enimvero ebrii cauponis deliramenta; tantoque deinde magis, quanto per Burgundiam porro pergens, nihil uſpiam de Tornaco accipiebam: donec in Lotharingia obvium habui tabellarium in Italiam è Belgio feſtinantem, ac læta ſe perferre prædicentem. cui quum ſubderem quaſi per jocum, ac tentabundus, haud ignotum mihi, quid læti afferret, nempe Tornacum ante quatuor dies captum eſſe: admiratus ille unde hoc ſciviſſem, quum primus ipſe è caſtris evolaſſet, videt majori me admiratione defixum, qui cauponem tam longinqua, tam definite ſpectaſſe recolebam: uterque autem, ubi rem contulimus, non dubita-

*quos redarguit Alexander.*

*Mira de die quo captum eſt Tornacum:*

*& de prædictione cauponis*

*ſimile quid apud T. Liv. l. 45*

2009 Ministerio de Cultura

dubitavimus præventam operam noſtram ab aëriis curſoribus, quorum alis non paulo major, quam equorum pedibus, pernicitas inſit. 1581. *Dæmones*

Interea Dux Alenconius alterum jam menſem in Anglia inter haſtiludia, nocturnaſque pompas, ambitis diu nuptiis ſecure præludebat. Nam licet Eliſabetha Angliæ Regina ludificare plures ſolita, eodem tempore Sueciæ Regem, & Archiducem Carolum, & Leiceſtrium Comitem, matrimonii ſui ſpe paſceret; cum Duce tamen Alenconio, eo proceſſerat, ut jam pedem retrahere non illi perinde liberum foret. Etenim ut rem altius accerſam, Catharina Galliæ Regina, quæ quatuor filios, quatuor Reges futuros à Genethliaco acceperat, credebatque, quod jam tertium Poloniæ Regem videret; Alenconio natu minimo Eliſabethæ nuptias avide petierat. Et quamquam retulit tunc ab illa ambiguum reſponſum, cauſata diſparem ætatem, ac Religionem; Catharina tamen non ideo deſtitit: nempe ut ſi minus Angli Regis titulum filio pareret, quod in primis avebat, ſaltem per hujuſmodi affinitatem dum agitarentur officia, à Proteſtantium in Gallia patrocinio Reginam abſtraheret. Quum ecce tibi Eliſabetha, præter opinionem, in Alenconium pronam ſe perardenter oſtendit: idque Galliæ, Regi matrique ſignificari quamprimum voluit: quo videlicet illos à nuptiis removeret, quas inter Hiſpani Regis filiam, atque Alenconium, clam agitari cæptas inaudierat. Sic mutua ſimulatione captæ captanteſque Reginæ colludebant. quum TVRPE tamen ſit, non animadvertere, eadem te arte petendum, qua provocaveris. Iamque amatoriis utrinque litteris nunciiſque, interprete in primis Bertrando Salignaco, regio in Anglia legato, res uſque adeo incaluit, ut Alenconius ipſe, præmiſſo aulico Semihero nuptiarum incentore, Angliam ignotus adire cogitaverit. Vnde ſparſa rei fama, Oratores hiſpani tum Romæ cum Pontifice, tum Pariſiis cum Rege,

De NVPTIIS Alenconii cum Angla:

in quas Regina mater, credula primum incumbit.

*Camden. annal. Anglicorum lib. 2*

*diſcrimen annorum 22 erat inter eos* dein ſpecie nuptiarum aliud tentat ab Angla:

& hæc pari ſimulatione aliud quærit ab illa.

Creſcit opinio nuptiarum.

2009 Ministerio de Cultura

1581. Rege, & Nuncius ipſe Pontificis cum Alenconio, quo nuptias diſtraherent, accurate peregerint. Sed is nihil propterea retardatus in Angliam properavit. excepitque regie quidem illum Regina, ſed minime capta hominis præſentia, ſolitis artibus eluſo perſuaſit, in Galliam rediret, dum res à conſiliariis ſuis, uti ajebat, expenderetur, conficerenturque matrimonii tabulæ. Verum poſtquam illa accepit, Alenconium regio cum exercitu iter ſibi in Belgium aperuiſſe, Cameracum fugatis obſeſſoribus intraſſe, Brabantiæ Ducem, provinciarum decreto, deſignatum eſſe; nimirum verita, ne vetus Gallorum potentia per Belgium reſurgeret, curſum victoriæ in præſens interturbatura, elicere ad ſe juvenem è Belgio, quaſi jam confectis tabulis ſollicite ſtatuit. miſſiſque primariis in Galliam viris ad Regem Reginamque matrem: atque è Gallia honeſtiſſima legatione accepta, legationis Principe Franciſco Borbonio Arvernæ Delfino; non poſt multo Alenconium, relicto Belgio & militiæ cura, è Caſtelleto in Angliam attraxit: tanta in eum conjugalis amoris, uti modo dicebam, ſignificatione, annulo ſibi aliquando in magna Procerum corona detracto, & in Alenconii digitum inſerto, ut omnes contractas jam nuptias ea ſponſione interpretarentur. Certe Philippus Marnixius Aldegundius, qui Alenconium comitatus fuerat, properatis in Belgium litteris, Orangium atque Antverpiæ Magiſtratum peracti tandem aliquando matrimonii non dubitanter admonuit. Ex quo & publica lætitiæ ſigna per Brabantiam edita ſunt: & è Gallia ab Rege ac matre, per ſpeciem gratulationis, facti explorator allegatus eſt. Hic vero Eliſabetha, quæ plus aliquanto, quam voluerat, ſimulando proceſſerat, animo anxia, quaſi jam deprehenſa, reputare ſecum ſerio cœpit, ex una parte, niſi Alenconio nuberet, offenſionem Regis galli tandiu ludificati: qui ſi ab Hiſ-

*[Marginal notes:]* & Alenconius in Angliam cogitat. — ſed non placet ejus forma. Remittitur in Galliam, — Aſtute revocatur. — ſigna nuptiarum certo credita. *à monte S. Aldegundis* — & magno gaudio excepta per Belgium Eliſabetha hæret, ulterius quam voluerat, progreſſa.

2009 Ministerio de Cultura

ab Hiſpania uxorem fratri in Anglia neglecto peteret, imparem ſe adverſus utriuſque Regis potentiam verebatur. ex altera parte admiſſo in Angliam Catholico Principe, prævidebat Catholicam religionem excitandam, firmandamque: nec poſſe inhiberi Gallorum in inſulam ventitantium frequentiam, tam Angliæ infidam, quam Scotis Gallo innexis optatam: denique Alenconii armis in Belgium motis, ſe maritali bello damnoſe involvendam conſiderabat. quæ poſtrema ab Oratore hiſpano, ac præſertim à Comite Leiceſtrio nuptiarum ſpe nondum excuſſo, in majus per Reginę familiares illi ſuggeſta, firmavere animum ejus, per ſe à nuptiis alienum, ex eaque neceſſitate, in quam ſe conjecerat, hiſce ſtimulis acrius incitatam expedivere. Ipſa autem, cui plures fallendi artes, non alias intentiore cura feſtinare nuptiarum ſolennia: objurgare, Alenconio coram, ſapientiam cunctationemque ſuorum, conjugales tabulas quotidie commutantium: poſtremo aliis omnibus ſuper ea re amplius diſceptare veritis, definitionis ſummam ſenatui tradere. Interim ſpectaculis, venationibus, conviviis, ad faſtidium uſque oblectatus diſtractuſque juvenis, dum ſenatu ſine fine rem trahente, videt ſe in mediis nuptiis celebrare omnia præter nuptias, animo quam fronte commotior; quippe ad famam pertinere intelligebat, ſi Reginæ gratiam potentiamque, integro nuptiarum negotio, referret in Belgium; abeundi veniam ab ea impetrat, ad Belgarum imperium, quorum novis illuc querimoniis evocaretur, in præſentia capeſſendum, mox cum illo dominii additamento tanta dignior Regina rediturus. Et ſane auctus ab ea ingenti pecunia, quæ dotis videlicet loco Alenconio fuit, & Anglorum primoribus Antverpiam uſque regie comitatus, opinionem de conſtante Reginæ benevolentia apud Belgarum animos plane firmavit.

1581.

Sed expedit ſe conſuetis artibus.

Et Alenconius expectando feſſus

abeundi veniam petit.

DE INAVGVRATIONE Alenconii.

10 die 1582.

Februario menſe Fliſſingam appulſus Alenconius, obviis Orangio, Eſpinoio, atque Ordinum

2009 Ministerio de Cultura

1581. Ipſe Antverpiam apparatu maximo ingreditur.

num legatis, Antverpiam quæſitiſſima pompa triumphalium arcuum, pegmatum, carminumque, plurium paratu menſium exornatam, cum ſplendido Anglorum, Gallorumque, & Belgarum Procerum comitatu invectus eſt. Ac poſt ſacramenta ex conditionibus Burdegalæ pridem conceptis utrinque dicta, ipſe chlamyde, ac pileo, Ducum inſignibus, indutus, inter tubarum, tympanorum, & tormentorum plauſus è Scaldi amne, atque in urbe reſultantium: inter feſtas infinitæ multitudinis acclamationes, ſparſis in populum auri argentique miſſilibus, Brabantiæ Dux ab Orangio primum, poſt ab Ordinum legatis, urbis Senatu, ac reliquis militiæ paciſque Magiſtratibus, eſt ſalutatus. Inauguratum excepere in ſequentes dies è ſingulis provinciarum urbibus magnificæ legationes, novo Principi adventum, novum ſibi patrocinium gratulantes. Donec Antverpiæ lætitiam menſe ferme integro repetitam dies clauſit Alenconio natalis. quo die, qui fuit quintus decimus ante Kal. Aprilis, apparaverat ille cænam plane natalitiam, poſt militares decurſiones cum primaria nobilitate celebrandam. Sed interceſſit repente aliquid, quod gaudiorum extrema funeſtavit.

*19 Feb.*

Ibi Brabantiæ Ducis accipit inſignia & nomen, ingenti plauſu.

Cænam apparat natalis ſui die.

*18 Mar.*

quam funeſtus caſus perturbat:

De Orangii SAVCIATIONE

Adveneratrat Antverpiam haud multo ante Cantaber adoleſcens, Ioannellus Iaurengius: adhæſeratque Gaſpari Anaſtro populari ſuo, prædiviti olim mercatori. qui ſicut cædem Orangii, poſtquam proſcriptum audiit, animo volvebat, (ſive illum impelleret concepta publici boni ſpes, namque pius, hæreticiſque apprime inſenſus habebatur: ſive privatum ex proſcriptione commodum, & qualiſcunque fortunarum, quarum jacturam fecerat, reparatio) ita, ubi adoleſcentis indolem introſpexit impavidam, atque ardua quæque promittentem; communicato conſilio, facile illi patrandum facinus perſuaſit, ac remiſit. Igitur Iaurengio opportunitatem circumſpicienti, placuit deſtinata exſequi inter hilaria, quæ para-

*Biſcaino.* Cantaber adoleſcens ab Anaſtro mercatore *Anaſter* inducitur ad Orangii cædem.

iſque eligit diem natalis Alenconii ad facinus.

2009 Ministerio de Cultura

parabantur, natalis Alenconii. quod ſperaret, 1581.
occupatis in promiſcua gratulatione animis, Cur?
promptiores aditus, & laxius effugium. niſi forte à celebritate diei gloriam facto quæſivit. Quamquam ſaniora ille ſpectaſſe, ex eo viſus eſt, quod non ante aggredi facinus ſuſtinuit, quam expiatam noxis animam apud Dominicanum ſacerdotem, cæleſti Pane firmaverit. Biduo poſt, aulam Orangii ferrea fiſtula, ac pugione armatus adiit: immiſtuſque famulorum ſtipatorumque turbæ, opperitur convivii finem, quod Orangius cum Holachio, & Egmontio, & Bonivetto gallo, aliiſque Proceribus celebrabat. Tum ſurgenti à prandio, atque in conclave ſecedenti propior factus Iaurengius, ſupplicem libellum offert. legenti ſclopetum ſub lævam aurem admovet: exploſaque pila trajicit per palatum utramque maxillam, excuſſo uno alterove dente. ſed tubo ex nimio pulvere perfracto, atque inde pollice amiſſo, dum non ita expedite pugionem ſtringit; accurrentes medium corripiunt, ac ſtipatorum unus bipenni haſta tranſverberat: mox alii multis vulneribus, quorum primum à Mauritio filio illatum ferunt, momento conficiunt. Ad inopinatæ rei famam ingens urbem terror invaſit: cædiſque author quia ignotus, varie deſignabatur. Plerique Alenconium ſuſpectabant, tanquam ſecurius dominaturum, amoto moderatore, & imperii velut conſorte. Sed cura hæreticos acrior angebat, Bartholomæanam iterum ſtragem pertimeſcentes. illam cœptam fuiſſe à Colinii cæde: huic ab interempto Orangio initium fieri. utque illic Henricum Regis fratrem, ita hic Alenconium fratrem Henrici delectos facinori miniſtros. Itaque credito in hunc modum authore, hæretici mercatoreſque, illi capitum ſuorum, hi fortunarum metu armantur: Galli intra domos, demptis armis, concluduntur: facto agmine recta ad hoſpitium Alenconii, telis facibuſque, contenditur. Degebat is ad Divi Michaëlis

*Anton. Timermanus*

*Piſtola* Orangium à prandio ſurgentem ſclopo aggreditur.

*Egmon. captivus tunc detinebatur.*

ferit.

*Alabarda.*

ipſe ab Orangii filio famuliſque confoditur.

*erat tunc 17 annorum vide l. 4 Decadis 1.*

Alenconius creditur author facinoris, præſertim ab hæreticis.

Periclitatur ipſe ejuſque domus.

2009 Ministerio de Cultura

1582. chaëlis cœnobium, intentus natalitiis ad populum ſpectaculis adornandis, ignarus quam ei emortualem pompam populus appararet. Et vero exhibuiſſet, niſi Orangius de Alenconii periculo admonitus (quippe compertum jam erat ex epiſtolis & codicillis apud percuſſorem inventis, Hiſpanum illum eſſe, & ex Anaſtri familia immiſſum) confeſtim ſcripto teſtatus eſſet, neque enim propter obligatum vulnus loqui multa poterat, Alenconium, Galloſque omni vacare culpa. Sunt hic qui referant, addidiſſe Orangium ad Alenconium litteras, queis orabat, ut ſponſionem per Aldegundium tranſmiſſam, qua ejus Celſitudo ſe obſtrinxerat, Hollandiam Zelandiamque fiduciario jure ſe ceſſurum Orangio, liberiſque ejus; in præſentia ratam haberet, ac donationem utriuſque provinciæ legitimis conficere tabulis ne gravaretur. ſic enim ſe, ſi quid ſibi humanitus contingeret, liberis ſuis, per ejus liberalitatem, abunde conſulturum. has vero litteras Aldegundio traditas fuiſſe ab Orangio, addita uxore Charlotta Borbonia Monpenſerii filia, quo plus dignationis haberet poſtulatio apud gallum Ducem. illum autem etſi invitum, eo tamen rerum articulo deprehenſum, uti rogabatur, effeciſſe. At Orangii teſtificatione de Alenconii innocentia per eundem Aldegundium ad primores civitatis ultro citroque prolata, compoſito populi tumultu, & Alenconius à ſuſpicione facinoris eadem vulgi mobilitate, qua damnaverant, abſolutus eſt: & vis omnis in Gaſparis Anaſtri domum verſa. Quo non reperto, (ancipiti enim eventui procul ille ſe ante ſubduxerat) rapti arcarius Anaſtri, & Dominicanus ſacerdos, (intactis reliquis ex eodem Dominicanorum ordine) damnatique, & quatuor in partes ſecti, una cum Iaurengii cadavere, è turribus, portiſque urbis, quadriennio, donec ab Hiſpanis capta eſt Antverpia, pependere. Interea Princeps Orangius, præter omnium opinionem, paucos intra dies, magna

*liberat illum Orangius:*

*ſed repetit ſponſionem donationis Holl. & Zel.*

*uxor Orang.*

*& impetrat.*

*Authores comperti plectuntur.*

*caſſiere*

*Orangius convaleſcit:*

2009 Ministerio de Cultura

magna ſane medentium induſtria & ipſe convaluit, & Alenconii quoque ſecuritati, (in quem nondum ſuſpicionum turbæ ubique conſederant) plane conſuluit. Sed uterque ex eodem infortunio varie affectus eſt. Orangium perſuaſio exinde tenuit, violenta ſe morte caſurum, non minus quam qui cœperint apoplectico humore ſemel percuti, ſatis intelligunt, non deſiturum inteſtinum hoſtem, donec repetito ſæpius ictu, aliquando perimat. At Alenconius ex iis, quæ feciſſe falſo eſt inſimulatus, creditus eſt ſerio didiciſſe quid faceret. nempe quam paulo poſt attentata Antverpia ſtabilitatem precario imperio quæſivit, eam, ab hoc rumore vulgi admoneri ſe ſenſit, ut quæreret.

1582.

ſed timet in poſterum quod evenit.

*goccia*

& Alenconius diſcit aud[illegible]e quod effecit.

*vide infra*

At vero in præſens fama properantium è Gallia copiarum ad gallum Principem Belgio receptum, quantum fœderatis Ordinibus animos extulit, tantum regiis Wallonum provinciis curas intendit, reputantibus, primos ſe gallici furoris incurſus, qui ab ea gente validiſſimi, excepturas. præſertim quod auxiliaris ab Anglia miles Alenconianis addendus expectabatur. Nec ſollicitudinem Farneſius imminutum ibat, audito crebreſcere per eam occaſionem, Hiſpanorum deſiderium apud populos. quin & captum iiſdem diebus in Cliviæ provincia Martinum Schenchium, rejectum Altapennium, amiſſam Winocibergam, cæſam Italorum cohortem, atque hujuſmodi aliquot adverſa non omittebant in colloquiis inſerere viri graves fidique partibus, qui externorum reditum provinciis neceſſarium ſentiebant ipſi, & eodem ſenſu ut imbuerent alios, rogati ſparſique fuerant ab Alexandro. Et popularis quidem, ac ſacer ordo id ultro avebat, poſcebatque: Nobilitas ſolum, quæ tribus è claſſibus una eſt, pleraq; diſſentiebat; partim ne in redeuntes Hiſpanos militiæ decora transferrentur: partim ne rex pridem læſus, promptis in Belgio Hiſpanis uteretur ad ultionem. Id vero

De REDITV externorum militum.

Timent Wallones ob Alencon. creatum Prin.ipem.

inde ad externorum auxilium ſuſpirare incipiunt

populus, & eccleſiaſtici.

non tamen nobiles.

K ante

2009 Ministerio de Cultura

1582. ante alios Comes Lalinius Hannoniæ ac Valencenæ Præfectus pertimeſcebat: quippe eorum memor, quæ cum Margarita Valeſia Navarræi uxore ſuper evocando in Belgium Alenconio primus egerat, & vero primus Alenconium evocaverat: hærebatque quaſi in medio deprehenſus, quod æque periculum ſibi metueret à Gallis, quos reconciliatus hiſpano Regi nuper offendiſſet; atque ab Hiſpanis, quibus in Belgio armatis victoribuſque exponi ſe conſcius formidaret: Erat in ejus familia Hiſpanus, hero uxorique perquam gratus. Hic haud ignarus inviſum ſe Parmenſi Principi eſſe, eademque ſibi, quæ Comiti Lalinio, & quidem invidioſius imputari; ut inſigni aliquo merito offenſionem Farneſii placaret, agere de reditu externorum apud Comitis uxorem, à qua Comes, homo uxorius regebatur, impenſe inſtitit. Mox ipſum Comitem aggreſſus, tantum apud utrunque valuit, ut Lalinius adito Alexandro aperuerit, Conſiderantem ſe quotidie magis magiſque rerum præſentium ſtatum, in eam denique ſententiam deveniſſe, abſque ſociali externorum ope adverſus hoſtem novis auxiliis increſcentem, impares eſſe Wallonum vires. Itaque gratum ſibi, gratum (pro quo pollicebatur) Montinio fratri, ſi & Hiſpani circiter quinque millia, & Itali fere totidem, advoçarentur in Belgium: modo ab adeundis Wallonum provinciis, uti ante conventum inter eos erat, abſtinerent. Alexander, etſi nihil eo ſibi gratius accidere unquam potuit, tamen opportuna moderatione, Comitis fratriſque pollicitationem nec reſpuit, nec admiſit, Regis arbitrium obtendens; ad eum literas ſe compoſiturum: neque ambigere, quin ab optimo Principe, Belgiique amantiſſimo, ſuorum neceſſitatibus conſulendum ſit. Nec poſt multo, ut hominem in ſententia forſan haud duraturum ſtabiliret, Valencena pertranſiens, Margaritam Lignyam Comitis uxorem ſub Natalitias ferias inviſit, ratus ſermonem ab ea de Hiſpanis

maxime Lalinius Hann. præf. *vide lib.* 1.

ſed hic à famulo mutatus

agit de illorum reditu cum Alexandro.

quiſpecie dubitantis rem arripit:

& ut conſilium hominis ſtabiliat,

2009 Ministerio de Cultura

nis facile injiciendum. Et vero illa huc ſtatim, 1582.
nec ſine ſuſpiriis prorupit, confeſſa abſque externorum militum auxilio nihil poſſe confieri: ſed metuere, ne hoc ipſum auxilium viro ſuo perniciem aliquando crearet. unam in Parmenſi Principe ſpem Nobilitatis ſitam eſſe: ceterum timeri poſſe, ne rurſum in Belgio Comitum Egmontii, Hornanique exempla ſpectarentur. Quam ille, multa de Regis clementia differendo, quum ad meliora ſublevaſſet; poſtremo in ſe recepit, quam præteritorum oblivionem reconciliatæ Nobilitati ipſe jam pridem Regis nomine ſpopondiſſet, eam ſe vel cum capitis ſui periculo aſſerturum. Ex quo animata muliere, ac firmato inde viro, brevi ſequutus eſt per Hannoniam, Arteſiamque mirus ordinum fere omnium conſenſus: multis Nobilium Alexandrum ultro adeuntibus, aliiſque alios prævertere feſtinantibus, ne viderentur nolente animo velle, ſi poſtremi voluiſſent. Tunc Alexander aggrediendum ſibi Marchionem Rubaſium, qui cum paucis unus ſupererat, exiſtimavit. Accitumque hiſce plane verbis, ut ad Cardinalem Granvellanum ſcripſit, aſtatus eſt. *Ego te*, inquit, *in præſentia, Rubaſi, non uti Belgii Præfectus, Regis ſubditum: neque uti Imperator, equitum Magiſtrum, ſed tanquam amicus amicum alloquor. feciſſemque antea, niſi immaturum, certe ingratum vulgo animadvertiſſem reditum externorum. Iam vero mutatis multorum animis, ac pleriſque Nobilium in revocationem Hiſpanorum ultro conſpirantibus; profecto ferre non potui, ut te, quem in Regis gratia principem locum inter Belgas obtinere ſemper ſtudui, nunc poſthabitum omnibus viderem. Quam neceſſaria nobis hac tempeſtate ſint externorum auxilia, ingens hoſtium apparatus ex Gallia, Angliaque ſatis oſtendit: & veſtra Wallonum provincia Gallis objecta in primis intelligunt, &, ut undique auxiliaris miles advocetur, efflagitant. ut jam ipſe diſſentire unus ab omnibus, ſine omnium offenſione, non poſſis. Quamquam non dubito, quin idem & tu ſentias; ſed, ne cum aliis idem poſtules, duæ tibi*

uxorem ejus confirmat:

maximo provincialium acceſſu in eandem ſententiam.

Demum & Rubaſium pertentat hac familiari oratione. 19 Apr.



2009 Ministerio de Cultura

1582. *res (fatendum eſt enim) moram ac metum injiciunt: quæ tamen ambæ, ut aperte ſimpliciterque tecum loquar, incitare te potiſſimum debent. Nam neque tibi reditus Hiſpanorum de militari tuo munere quidquam adimet, aut decerpet: dumque hic ego armorum Dux adero, tu poſt me equeſtrem militiam temperabis, tanto ſane glorioſius, quanto ex acceſſu externorum, pluribus ſimul nationibus, & quidem uni earum dominanti imperaturus es. Neque illorum arma ad cujuſquam, niſi ad hoſtium perniciem deſtinantur. tibi certe, quidquid ob præteritorum conſcientiam reformides, non modo fraudi nunquam erunt, (quippe pro tui ſecuritate vel filium ipſe meum tradere obſidem non vererer) ſed etiam magnum tibi gratiæ honoriſque additamentum allatura ſunt. Tantum me audi, & fidele conſilium ſequere. De mutata Wallonum voluntate admoniturus ſum Regem, nuncio in Hiſpaniam propere immiſſo. tu compoſitis ad Regem litteris, externæ militiæ reſtitutionem ora. ego meis litteris tuas inſeram: reſcietque Rex abs te ante alios conſenſum Wallonum; (quorum poſtulata nominatim non aperiam Regi, niſi poſt convocationem provinciarum) atque in hunc modum & ille abs te gaudium, & tu ab illo facti gratiam prælibabis.* Nondum finierat Alexander, quum Rubaſius, pudore ſimul atque impetu actus, ad ejus genu demiſſus, dextramque exoſculatus, brevi reſponſo, quaſi rebus adimeret quidquid in verba conſummeret, facturum ſe, quod tam benevole admonebatur: tarditatemque conſilii, contentione induſtriæ compenſaturum ſpopondit. ſponſionem res æquavit: permota uſque adeo ejus alloquiis & exemplo, quæ ſupererat, Nobilitates, ut coacti provinciatim Ordines ſumma animorum incitatione decreverint, *Rogandum enixe Regem, auxiliares belli ſocios in Belgium mitteret: ipſe ſapientia ſua nationes, ipſe numerum definiret.* ſimul permiſere Alexandro, ut aliquem, qui provinciarum mandata perferret, eligeret. Is delecto protinus & emiſſo in Hiſpaniam Ioanne Saraceno Sancti Vedaſti Abbate, gratulatus eſt reditum Hiſpanorum, nationi perhonorificum,

expugnatur Rubaſius:

& cum eo Ordines Wallonici,

qui negotium revocandi externos permittunt Alexandro

2 *Maii*.

cum, regiiſque in Belgio partibus, de quibus nunc demum bene ſperari poſſit, perquam neceſſarium. Interim ipſe, ne novo ille galli Principis apparatu deterreri videretur; ultro occurrendum, utendumque conſenſu, atque alacritate ſuorum exiſtimavit. 1582.

Ipſe interim alacritate Wallonum utitur ad novam expeditionem.

Spargens itaque per exercitum, meditari ſe expugnationem Meninæ, Malecontentorum olim ſedis, eoque gratam Wallonibus expeditionem; jubet Magiſtrum equitum illuc cum parte exercitus præire, ſecuturum ſe cum tormentis, ac reliquo obſidionali apparatu. Hæc, multis coram, imperata: clam tamen homini mandat, è Meninenſi via, Aldenardam, quanta maxima poteſt celeritate deflectat, repentinumque urbi terrorem, atque obſidionem importet. Et deſtinata ex voto provenere. Nam Meninenſes ab exploratoribus admoniti ſollicitique, opem ab amicis circa oppidis poſcebant. Iamque militum centuriæ tres Aldenarda egreſſæ Meninam feſtinabant; quum obvius tranſverſis itineribus Rubaſius, parte eorum cæſis, pluribus Meninam fugatis, Aldenardam repente movens, urbem ſui ſecuram, ac præſidii parte diminutam, obſidione circumdat. Iacet inter Gandavum atque Tornacum Aldenarda, interfluente Scaldi amne bipartita: & ponte, non nomine, aut adminiſtrationis jure, conjuncta. nam quæ pars montibus obverſa eſt Pamela, Dynaſtæ ſuo ſeparatim paret. Porro Aldenardam ut tranſiens amnis mercimoniis ditat, ita retentus communit, prompto inde artificio obruendi ſubita navigabilique inundatione camporum adjacentium partem, partem crebris paludibus ſtagniſque corrumpendi. Auxerat eam recenti opere Lanua, vetus armorum dux, ac militum per Flandriam Præfectus. & inſtauratis firmatiſque mœnibus, ac receptibus: atque ſeptem ante mœnium foſſam molibus præſtructis, quibus urbs extra urbem defenderetur, prope inexpugnabilem effeciſſe illam gloriabatur, impoſita ei *Rupellæ minoris* appellatione. Explora-

ALDENARDÆ obſidio.

à militari dolo incepta.

Aldenardæ ſitus.

Auctæ magnopere à Lanua.

*rivellini*

*la petite Rochelle*



2009 Ministerio de Cultura

1582. qui deterrere conatur Alexandrum ab ejus obſidione.

ploratumque habeo, ubi is audivit, obſeſſam à Rubaſio Aldenardam; ex Limburgenſi arce, in qua detinebatur, ſcripſiſſe ad Alexandrum, *Videret, ne collectam ad eum diem fortiſſimi ſapientiſſimique Imperatoris famam infringeret ad urbem, ſuſtinendæ plurium annorum obſidioni parem*: ſive id benevolentiæ aliquid fuit in Alexandrum, cujus virtutem admirabatur: ſive potius Rupellæ ſuæ metus. Et vero profectus in caſtra cum reliquis copiis Alexander, exercitum reperit non ſatis animorum præferentem, quippe ſubita exceptum alluvione, quam è Scaldi ante urbis ingreſſum retento revolutoque Fridericus Borchius Aldenardæ Gubernator ſuperfuderat ſuburbanis campis. Quo nihil motus Alexander, ſed aggeribus altius aliquanto ſublatis, jubet armatas aliquot cimbas, vigilum ritu, circumire caſtra. tum militibus ſuis expugnatarum jam urbium admonitis, erectiſque; primum curas ſuas intendit, quo ſpem omnem auxilii à Gandavo, ubi Alenconius cum exercitu expectabatur, Aldenardæ præcideret. capta propterea Gavera, olim Lamoralii Egmontii principatu, ut ex ea arce, trium horarum ſpatio Gandavo abjuncta, auxiliaturis facile Gandavenſibus obſiſteret. Ob eam cauſam, non procul à caſtris, Gandavum verſus, Scaldi pontem impoſuit, & gemina ſtatione munivit. Simul caſtellis aliquot partim contra Aloſtum, quæ urbs dolo civium per ſpeciem ſecuritatis auxilia reſpuentium, Duci Alenconio nuper acceſſerat: partim in reliquo caſtrorum ambitu per intervalla, ſed altius à ſolo diſpoſitis, perpetua urbem militari ſepe concluſit, & militibus ſuis ab aquarum inundatione conſuluit. Poſt hæc, explorato civitatis ſtatu, certior fit, eſſe in ea præſidiarios haud quidem multos, at veteranos & fidos: cives armis, annona, & odio Religionis abunde inſtructos: acceſſiſſe colonorum agreſtiumque turbam, ob mercatum eo die, quo clauſa eſt urbs, (uti Trajecti plane contigerat) celebrari cæptum. cujuſmodi

*11 Maii* ſed ipſe neque ex his, neque ex metu ſuorum movetur.

Præcidit à Gavera auxilium urbi:

eamque caſtellis & operibus circumcingit.

De ſtatu urbis cognoſcit ex captivis.

2009 Ministerio de Cultura

di tempus opportunum ipſe rebatur obſidendis urbibus, multitudine annonam citius conſumptura. Inde ex bellici ſenatus conſulto, Pamelam verſus, oppugnationem è colle decernit, feliciore principio, quam proceſſu. Nam colubrinis ex edito loco in urbem dominantibus, ingens quidem domorum ſtrages edebatur, ſed conanti dein militi promovere ad foſſam aggerem, aquæ alte ſtagnantes obſtabant: & promoto etiam opere, foſſa rapido amne & pluviis aucta deportabat alio, quæ immittebantur, explementa: ac doliaribus vimineiſque nequidquam pontibus injectis, omnem ad muros aditum arcebat. Quare mutato conſiljo, tranſlata eſt )non tamen priore penitus omiſſa ) in contrariam partem oppugnatio. Sed quoniam animadvertere, ſemilunare ante portam Gandavenſem propugnaculum, quod deſtinabatur ad invadendum, adiri haud poſſe, niſi tranſmiſſo rivo, qui ex continuis imbribus prætumidus illac fluebat; ideoque non niſi ponte, qui tenebatur hoſtili ſtatione, tranſiri poterat; Alexander aggerem ad hunc amnem ducere hoc aſtu cœpit. Noctu partem ejus moliebatur, ac mane ramalibus integebat, faſceſque ex eis aliquot ad amnis ripam deportabat: ac ſtationariis facile interpretantibus, ea virgulta faſceſque ad explendum amnis alveum tranſmittendumque, comparari: eoque nec labori, quem inſanum irridebant, obviam euntibus: tanto citius ad amnis oram aggere perventum eſt. Tum vero detecto opere, ac directis inde in ſtationarios campeſtribus tormentis, Farneſiani fugato hoſte tranſiere pontem: admotiſque adverſus propugnaculum majoribus machinis, poſt tertium oppugnationis diem, magna molis parte, ac vicina turri labefactatis dirutiſque, propugnaculo potiti ſunt: exciſo prius à loci præſidiariis ponte, per quem ab ea munitione ad urbis mœnia iter erat.

1582.

Oppugnatur urbs ex una parte,

haud feliciter

Mutatur oppugnatio, & contra ſemilunam dirigitur. *Rivellino*

ſed hic quoque rivus acceſſum arcet:

Aſtu tamen acceditur:

& ſemiluna capitur.

In hujus aggreſſione molis haud omiſerim aliquorum facinus, audax quidem illud, & in- ore

Facinus quatuor Italorum.



2009 Ministerio de Cultura

1582. ore militum oſtenta hæc audaciæ demirantium, diu verſatum. E lacunis alte propugnaculum ante ſtagnantibus, terreus extabat limes, qui uſque ad foſſæ marginem pertinebat: inde in latus propugnaculi trames excurrebat alius, aquis occultatus, ſed notus Aldenardenſibus ad ſubitas eruptiones. His ſuper aggeribus quo brevior erat via ad ſuffodiendam molem, eo erat inevitabilius expoſita miſſibibus defenſorum. Obtulere tamen ſe Alexandro Principi, ex ejus prætoriana cohorte, Itali quatuor: armatique pectus lorica à ſcloporum pilis innoxia, præterea clypeo, ligone, ac pala, & ſuper hæc armati adverſus pericula, contemptu periculorum, limitem, quem dicebam ab aquis paulum eminentem, ſinguli ob viæ anguſtias ingrediuntur. juſſis interea ab Alexandro majoribus ſclopetariis in propugnatores indeſinenter explodere. Primus, is fuit Octavius à Voghera (placet enim fortium nomina à fortibus auſis non ſejungere) parum viæ confecerat, quum plumbea è mœnibus procella correptus, fractis primum cruribus, mox pila ſubter loricam latus hauriente, procubuit, interiitque. Neque caſu commilitonis abſterritus I. Paulus Ferrarius, Cremona vulgo dictus, nec quidquam moratus, niſi quantum afferri ſibi voluit faſces aliquot virgultorum, quibus latus hoſti obverſum, & clypeo caput obtegens, ad foſſæ labrum intrepide pervenit: repertoque foſſæ limite ex indiciis antea commonſtrato, ad propugnaculi latus, crebras inter glandium emiſſiones, illæſus acceſſit. ibi ligone terram ſubtrahere feſtinans, tantum ſibi munimenti circumdedit, quantum & terræ & faſcium objectu jam crura genuaque, & mediam corporis partem abſconderet, ſubduceretque hoſtium injuriis. Nec foſſione intermiſſa, ſocio iter ingreſſo annuens, is erat I. Paulus Caporalis, ut propere ſuccederet, animabat. qui eorumdem & ipſe armorum genere, nec diſparis animi firmitudine munitus, ad commilitonem, pilis ſupra circumque ſibilantibus,

*Sortite.*

*Horum arma,*

*& ſucceſſus,*

tibus,

2009 Ministerio de Cultura

tibus, impavide ac fortunate perrexit. Secutuſque mox quartus, nulla re magis armatus, quam ſe ipſo: ac ſociis feliciter additus, omnes operi pariter accincti, tantam ex ruinis complevere ſubjectæ foſſæ partem, ut accedentibus jam foſſoribus aliis, atque aliis: ſimulque muralibus tormentis propugnaculum quatientibus, primum expugnatæ molis decus merito tulerint. Quos Alexander, exercitu coram, non contentus præcipuis extuliſſe laudibus, ſingulos centenis inſuper aureis donatos; ex gregariis militibus, Cremonam quidem ad Centurionis Wallonum, reliquos autem duos, alterum ad inſtructoris, alterum ad ſigniferi gradus evexit. Neque Vogheram illaudatum, indonatumve præteriit: nam corpus ejus militari pompa efferri, proque anima mortuale ſacrum præſens ipſe cum aulæ, bellique Proceribus, celebrari voluit. Remuneratus fortaſſe liberalius immodica ſuorum auſa videri cuiquam potuit, niſi projectas iſtas & devotas morti animas ad manum eſſe in exercitu ad inſolita quædam tentamenta ſæpius expedire cognoviſſet.

1582.

& remuneratio,

ſergente,

# DE BELLO BELGICO DECADIS SECVNDÆ

## LIBER QVINTVS.

INTEREA ferox in caſtris ſeditio cœpta eſt, occaſione à ſtipendiis ſumpta. Etenim ex pecunia, quam ab Rege acceperat Alexander, viſum eſt ad alacritatem exercitus inter obſidionis labores excitandam, ſingula ſtipendia viritim dare. Et jam peditibus, equitibuſque per

Seditio in regiis caſtris,

orta à Germanis ob ſtipendia.



2009 Ministerio de Cultura

1582. per centurias ac turmas accedentibus, nunciatur Alexandro, veterum Germanorum legionem, ſeceſſione facta, poſt caſtrorum ſepta infeſto agmine conſtitiſſe, certam ſtipendium non accipere, niſi duplum, uti debebatur. Alexander, ut erat equo inſidens, illuc una cum Rubaſio equitum Magiſtro confeſtim advolat. videt nihil pacata ad Imperatoris præſentiam legione, inter minas ſtrepituſque, & concuſſiones armorum, duos milites raptum è figniferi manu vexillum ad terram affligere: & haſtatos in fronte agminis, obverſis in accedentem cuſpidibus, vim parare. Enimvero ira incenſus, incitato equo, primas haſtas gladio ſubmovens, atque agmen aperiens, terroremque & plagas ingerens, ad ſigniferum penetrat: vicinumque inibi militem è collari arreptum tractumque extra agmen aſportat, ac ſuſpendi illico jubet. ſed comperto innoxio, ideoque ad ſuos remiſſo, Rubaſio mandat, equitatum protinus explicet, ac ſeditioſæ legioni circumducat. Tum advocato ad ſe legionis Tribuno, *Abi*, inquit, *& antequam in pervicaces promiſcua cæde utar, è ſingulis centuriis binos milites, quos culpæ propiores comperies, in præſentia ad me mitte.* viginti miſſi ſunt: omneſque eodem loco in furcas agi, legio ne hiſcere quidem auſa ſpectavit. Quin ad cenſum ſtatim rediens, evocari eos jubet ad militare æs cum aliis accipiendum. veneruntque attoniti turbidique: non plus tamen æris, quam quod oblatum antea fuerat, acceperunt. Admirantibus Rubaſio, Manſfeldioque, atque aliis belli Proceribus, qui Alexandrum mediis Germanorum haſtis immiſtum viderant inhorruerantque, tantum animi tot contra armatorum vires uni fuiſſe. certe hiſpanæ legionis inſtructor, facti ferociam cum magnis olim Imperatoribus committendo, affirmare in ſuis commentariis non dubitavit, Nullum ex omni retro antiquitate facile dari, qui militarem ſeditionem audaciore unquam aggreſſione compreſſerit. Vt merito obſervatum ſit, diutur-

Vexillum legionis ad terram projiciunt,

& vim parant.

*nam tres ſauciavit*

Audax Alexandri factum,

ejus verba ad Tribunum legionis:

& pœna ſeditioſorum. *Alexander*

& compreſſa ſeditio: magna cum admiratione primariorum belli ducum.

*Alph. Vaſquez ſergent. mag.*

Vnius ex his dictum.

2009 Ministerio de Cultura

diuturnam poſt hæc in regio exercitu ſerenitatem, vix ulla ſeditionis infectam nube, ab inſolitæ hujus fulguratione virtutis proveniſſe. Adeo NECESSE EST ut mediocritatem humanæ virtuti præſcriptam excedat, quiſquis homine major habendus ſit. 1582.

& ſecutus hinc effectus.

Compoſitis in hunc modum rebus, captaque, uti dicebam mole portæ Gandavenſi præſtructa, inde ad mœnia produci cœptus eſt agger. Iamque pluribus viis intrabatur foſſa, quum repente Aldenardenſium manipulus urbe egreſſus in foſſores incurrit, interfectiſque eorum nonnullis, omnibus fugatis, per centuriam Germanorum apud foſſores agentium, terrorem ac cædem ſpargit. Aderat imminens operi Alexander, arreptaque haſta è fugientis militis manu, ante foſſæ marginem conſtitit, caputque viæ quam inſederat, tandiu ſtrenue intrepideque defendit, dum ad arma in exercitu conclamatum, ac milite undique procurrente, Aldenardenſes intra urbem, non paucis amiſſis, rejecti ſunt. Eodemque militum, qui accurrerant, impetu uſus Alexander, compleri ceſpite, virgultiſque foſſam, aditumque ſubruendis mœnibus ſterni jubet: mox foſſores, ac milites ſub cratibus in modum vinearum ac pluteorum ante comparatis, immittit in muros. Sed obſeſſi, jactis crebro malleolis, faſcibuſque pice ac bitumine illitis, ac fervida arena conſperſis ardentibuſque; lignea accedentium tegumenta inflammabant, & corrumpebant: nec tabulas tantum ea peſtis, ſed & militum corpora penetrabat, laceratiſque artubus pleroſque ab opere abſterrebat. donec cratibus recenti boum corio glebaque tectis, ſecurius inde mœnibus ſucceſſere. Quibus alicubi jam ſuffoſſis, viſum eſt majoribus tormentis oppugnationem urbis, mox & aggreſſionem aſcenſumque, ſi mœnium ruina pateretur, adornare. Sed intervenit hic aliquid, quod ſicuti horrore præſentes, ita qui hæc legent, haud dubie admiratione ſuſpendet. Intendebat Alexander, una cum Valentino

Eruptio Aldenardenſium, Rivellino

reprimitur ab Alexandro.

Foſſores ad ſubruendos muros ſub tegumentis accedunt.

repelluntur.

redeunt melius tecti & muros alicubi ſuffodiunt.

Atrox Alexandri periculum.



2009 Ministerio de Cultura

1582. tino Mottæ Domino, locandis muralibus tormentis: &, ne longius à vallo operibuſque diſcederet, imperat eodem loco ſterni convivalem menſam. Illico ſuper aliquot tympanis explicantur lintea, inferuntur epulæ: accumbit ipſe, juxtaque Rubaſius, Arembergius, Montinius, & Mottæus: convivium, & ſenatus. Parum à principio aberant; quum emiſſus ingenti fragore ferreus globus, menſamque ſupervolitans, caput Wallonum Centurioni (hic eo advenerat, ab Alexandro impetraturus inter primos in urbis aggreſſione locum) impetu frangit: excuſſoque oſſe ex ejus capite, oculum eruit Manuini Domino, qui forte illic aderat: præterea Præfecto cuſtodiæ Germanorum cum aliis adſtanti mediam abripit faciem: fratri Quæſitoris judicialium cauſarum cerebrum comminuit: inde epulas cruore fœde commaculat, & convivas ſanie cerebroque aſperſos ſurgere ferali à menſa compellit. ſolus Alexander nec ſedem, nec vultum mutavit: tantummodo cæſorum caſu, præſertim Centurionis (erat hic Licquii filius, ſpei magnæ adoleſcens) paulo commotior, jubet auferri illinc, humariq; cadavera, alia induci in menſam lintea, alias dapes. precantique anxie Mansfeldio, qui accurrerat, ut ſibi Alexander, ut ſuis cautum vellet, placide reſpondit, Conſulerent ſibi, ut vellent, alii ſibi certe fixum eſſe, non pati, ut rebelles aliquando glorientur, Alexandrum ab eis loco motum. perſeveravitq; eadem, qua cœperat, ſui ſecuritate convivari, magis extra ictum timoris, quam tormenti. At conceptam in Aldenardenſes iram effuſurus, decretę oppugnationi urbis inſtitit, tanto quidē incitatius, quanto majore Alenconium vi reverſurum ſolvendæ obſidioni fama vulgaverat. Tentaverat id Alenconius à principio, Farneſiana caſtra contemplatus verius, quam aggreſſus; inde verterat alio vires, adoriendo nunc Cortracum, nunc Bredam, nunc Bapalmam: ſi forte ab obſidione illum extraheret, quem expellere non potuerat. Sed fruſtra omnia expertus,

Convivæ.

Globus hoſtilis adſtantes convivio diſcerpit:

*Auditore del campo.*

dapes fœdat.

Immotus Alexander ſterni iterum menſam jubet, *trium quos nominavi.*

& ſecurus convivatur.

Inde ad oppugnationem ardentius redit.

præſertim reverſuro ad opem ferendam Alenconio:

2009 Ministerio de Cultura

tus, adjeciſſe rurſus animum ad eam expeditionem, certe ſignificaſſe obſeſſis, Gandavo moturum ſe propere cum exercitu, ac perruptis Hiſpanorum caſtris, Aldenardam intraturum palam ferebatur. Id quod obſeſſis non tantum ſpei ad obſiſtendum, quantum Alexandro celeritatis attulit ad oppugnandum. Nam quatefacta jam, inter turrim ac portæ molem, magna murorum parte, exæquataque ruinis foſſa, ſubiere milites: ac poſt acrem ancipitemque ad noctem uſque pugnam, cadentibus utrinque compluribus, denique cedentibus loco præſidiariis, Farneſiani ſuper hoſtili muro vallavere ſe ſe. Mane complures ex adverſo trabes, ſudeſque prægrandes ac præacutas comportatas vident: quibus in hunc modum utebantur obſeſſi. ſinguli milites ſudes ſingulas humi pangebant, pactas tranſverſis clathris firmabant. eodemque tempore poſt hanc ſudium ſepem foſſores terram molientes, aggerem attollebant, poſtremumque militi receptum parabant. Sed juſſis ab Alexandro militibus foſſoribuſque, ſub coriaceis tegumentis, palorum ima ſuffodere, brevi everſis tranſmiſſiſque cancellis, ad aggerem receptumque in extrema muri parte ventum eſt. Tum vero de conditionibus dedendæ urbis agi cæptum: Aldenardæ primum, mox in caſtris: utrobique diſſentiente milite. quod & cives populationi fortunarum ſuarum præcaverent, quarum extra metum erant præſidiarii: & regii milites Aldenardæ prædis inhiarent, quam tamen urbem Margaritæ matris patriam à cædibus, incendiis, aliiſque flagitiis tueri, pietatis ac famæ ducebat Alexander. Itaque triginta tantummodo millibus florenum civitati imperatis, ac ſtatim in exercitum diſtributis: ceterum conditionibus, in quas Tornacum eſt deditum, Aldenardæ impoſitis, poſt ſecundum obſidionis menſem, in oculis Alenconii Ducis, qui ſeſquihoræ itinere inde cum exercitu tendebat, urbe Flandriæ munitiſſima, celeritate ſumma, proviſuque operum dies noctes-

1582.
qui prius fruſtra id conatus, re-tentaturus dicebatur.

Sed Farneſiani partem muri jam ſubeunt: *Rivellino* eoque potiuntur.

Vltra tamen progredi prohibentur à ſudium ſepe ingenioſe fabricata.

qua everſa ſe dedunt Aldenardenſes,

hac mulcta impoſita.
*5 Iulii*
atque in milites diſtributa.

laus Alexandri ab hac urbe capta:



2009 Ministerio de Cultura

1582. noctesque irrequieto, potitus eſt. Sane Lanua, audito Rupellæ ſuæ caſu, ſcriptis ad Orangium litteris ex Limburgenſi arce, monuiſſe hominem dicitur, *Vt, quando Princeps Parmenſis in poteſtatem redegerat Aldenardam, quaſcunque ad arces in poſterum ille admoveret exercitum, juberet ipſe, non expectata impreſſione, portas illico pandi: neque enim munitionem ullam virtuti fortunæque Alexandri inexpugnabilem fore; poſt expugnatam tam celeriter Aldenardam.* Poſtero die urbem ingreſſus Alexander, atque inter divini ſolennia ſacrificii, quo per annos quatuor Aldenarda caruerat, actis Victori Deo gratiis, mox præfecto urbi Manuyno Aubermonte, additis præter ejus milites, Germanorum uno, ac duobus Wallonum ſignis, reparandæ urbi Religionique, dies aliquot inſumpſit. donec audito, Hiſpanos, Italoſque Lucemburgum attigiſſe, lætus ea armatorum acceſſione, obviam illis profectus eſt.

Lanuæ litteris confirmata.

DE EXTERNIS militibus in Belgium redeuntibus: 10 *Maji.* Dubitat Rex an Mediceo tradat ducendos Italos.

Etenim de reditu externorum tranſegerat jam cum Rege Vedaſtinus Abbas; ſed ante illum acceptis Alexandri litteris Rex ſtatim reſcripſerat, Definiret ipſe Alexander quantum ab Hiſpania militum, quantum ab Italia mittendum. addideratque, Petrum Mediceum magni Etruriæ Ducis fratrem obtuliſſe ad eam rem operam ſuam, ac ſignificaſſe, libenter Italos in Belgium ducturum ſe, jampridem cupidum ſub Parmenſi Principe militandi. hiſce de rebus nihil ab ſe adhuc ſtatutum, neque ſtatuendum ante reſponſum ejus. Et Alexander ſignificato militum numero, indicatiſque ductoribus, de Mediceo perhonorificum id quidem ſibi reſpondit: tamen ſapientiæ Majeſtatis ejus reputandum relinquere, an expediret, per hanc qualemcumque patrocinii occaſionem, aliter cum Italorum natione agi, quam agatur cum Hiſpanis: quibus ſimul omnibus nemo unus, præter univerſi exercitus Ducem, ſalutari conſilio præficitur, ne videlicet miles turbis ac factionibus obnoxius, habeat ſub quo licentius peccet: præſertim quum hoc idem munus nonnullis

Diſſuadet Alexander,

Cauſa.

2009 Ministerio de Cultura

nullis Belgarum Proceribus non ſemel petentibus denegatum ſit. Rex ſecutus Alexandri ſententiam, millia Hiſpanorum quinque, quatuor Italorum, in legiones quatuor diſtributa, miſit in Belgium: præfecitque legionibus hiſpanis Petrum Pacium, qui eas duceret, & Chriſtophorum Mondragonium in Belgio degentem: Italis Marium Carduinum Neapolitanum earum ductorem, & Camillum à Monte in Belgio commorantem. Atque hæ duæ, (additis iis Italorum centuriis, quæ jampridem in hiſce provinciis militabant) primæ fuerunt ex Italis conſcriptæ in belgico exercitu legiones. tanto majore Tribunorum laude, quanto tunc ſeveriore ſuffragio lectiſſimus quiſq; ad id muneris præhabebatur. At vero equitatum, quem Rex legionibus adjunxit, Antonio Oliveræ, ante Hiſpanorum è Belgio diſceſſum, equitum Commiſſario commendatum voluit. Ergo Alexander, præmiſſis Camillo, & Mondragonio, qui legionibus ſuis occurrerent, ipſe aſſumpto Rubaſio, aliquantum progreſſus, Hiſpanos, (namque Itali poſt venere) magna amoris ſignificatione ſuſcepit. Quod vero turbatum videret in ea gratulatione Rubaſium, quaſi in manus ac poteſtatem Hiſpanorum callide adductum, Alexander multa de viri virtute, ac fide, apud Hiſpanorum ductores prolocutus, juſſit eos in Rubaſii complexum ire, illumque generalem in catholico exercitu Magiſtrum equitum conſalutare. Quod ubi militariter factum, ipſe ante Alexandrum provolutus, tanto ei obſequentius grates egit, quanto equitatus præfectura, quam dubitanter ad eum diem obtinuerat, tunc denique firmatum ſe vidit. Pari benevolentia exceptæ dein Italorum legiones: quas ſecuti ſunt ex primaria Italiæ nobilitate complures, qui audito patere jam externis aditum in Belgium, quotidie adventabant. Namque inter primos adfuere Appius de Comitibus Ducis frater, & Comes Carolus Sanvitalis: mox Petrus Caetanus Ducis filius, Ludovicus Marchio Rangonus, Comi-

1582.

Numerus hiſpanorum Italorumque: *Petr. de Pax.* eorum præfecti.

Fit obviam hiſpanis Alexander,

& metu liberat Rubaſium.

occurrit & Italis.

eorum primarii. *qui poſt Dux ſermonetta.*

2009 Ministerio de Cultura

1582. Comites Cæſar Pepulus, ac Vinciguerra Sancolombanus: nec poſt multo Alexander Comes Sfortia, Rodulphus Baleonus, I. Vincentius Vitellius Chiappini filius, & Comes Achilles Triſſinus, aliique nonnulli, quos & bellicæ cupido laudis, & Alexandri nomen honorarios milites attrahebat. Et in tempore hæc erant, crebreſcente in dies fama auxiliarium è Gallia copiarum. Idque Pariſiis hiſpanus Orator Taſſius adnotato militum, qui parabantur, numero confirmabat. Addebatque, *Compertum ſibi, ad hujus, & qui cum Alenconio erat exercitus, ſtipendia in ſingulos menſes, quinquaginta aureorum millia clam promiſiſſe fratri Henricum Regem, coactum videlicet à Medicea matre, quæ etiam ſtipendium Helvetiis ſolvendum in ſe receperat. Armannum vero Bironium ab aliquot diebus ſimulare ſe offenſum Regi, ut diſceſſionem, quam è Gallia meditatur in Belgium, non juſſu Regis, ſed odio aulæ obtendat.* Et aliquanto poſt admonetur à Mottæo Gravelingæ Præfecto, viſam per ea maria Gallorum claſſem: atque ex nonnullis, qui Gravelingam appulſi, capti fuerant, intellectum, eſſe in ea Gallos ſclopetarios circiter ſeptem millia, & haſtatos Helvetios tribus millibus non pauciores, præter Gallos equites duo millia, & quatuor labara ex ordinariis regiis turmis: ductoribus omnium, Delphino Arvernorum Principe, atque Bironio, illo ad famam, hoc ad regimen aſſumptis. quin & profectionem Henrici Regis hoc tempore Lugdunum non alio referebant aliqui, quam ut invidiæ ſe ille ſubtraheret ob auxilia, quæ Reginam matrem Alenconio filio liberius per abſentiam Regis ſubmiſſuram intelligebat. Itaque Alexander militum, quos acceperat, pleriſq; in præſidia diſtributis paucis ſecum ductis, poſt minora aliquot oppida curſim recepta, aditum hoſti præcluſurus, movit Aldenarda Cortracum verſus. Ac primis caſtris Harlebecum Liſæ pagum tenuit, alteris non procul Menina ſtetit, tertiis Verovicum, inde Vormeſeliam venit, tum Poperingam dies aliquot

*Venturieri*

Opportunus hic externorum acceſſus fuit:

*I. Bapt.*

ob famam tum militum ex Gallia pro Alenconio, adjuvantibus Rege diſſimulanter:

& Medicea matre aperte:

tum claſſis Gallorum.

Eorum numerus,

*Cornette Monpenſerius Dux*

& Duces:

*Card. Granvel. ad Alexandrum 12 Sept.*

Alexander occurrere hoſtibus venturis parat.

*Liſæ fluv. Vervi*

2009 Ministerio de Cultura

aliquot inſedit exercitum in hoſtico alens. Hic nunciatur ei, quadringentos Anglos, in queis nobiles multi, & Catholici complures, diſſidio cum Gallis orto, petere, ut in Farneſianum exercitum admittantur. & Alexander admiſit, uſurus illis (ut ſcribit ad Regem) tamquam domeſticis avibus ad alios evocandos, atque ad hoſtem ſuis interea militibus exuendum; forſan & ad arcem aliquam occulta illorum opera pertentandam. Nec ſpei falſus fuit. Namque ad illum Poperinga diſcedentem clam venit nobilis Scotus cognomento Simplius, centuriæ pro fœderatis provinciis præfectus: aperitque, jampridem ſibi decretum, patrare aliquid, quod hominem Regi addictum deceat. eo conſilio Centurionis officium in Lirinenſi civitate ab ſe emptum. poſſe proinde ſe, aditum in eam urbem, recluſa porta, quo tempore, quave occaſione condictum fuerit, aperire. pro ſucceſſu nulla mercede ſe paciſci, facto contentum. Alexander multis interrogationibus explorato conſilio juvenis, adjungit illi Matthiam Corvinum Tiphernatem, veteranum ſolertemque Centurionem, ſexque alios Italos ſpectatæ fidei milites: mandatque Corvino, educat è præſidiis Namurci, Philippopolis, Lovaniique, quæ ad rem opus fuerint, copias. Simplius Liram ſtatim reverſus, petitaque à Gubernatore poteſtate exeundi ad inſidias Regiis, quos illac ituros accepiſſet, inſtruendas; ſub mediam noctem cum viginti ſuorum urbe egreditur. Ac mane nondum albeſcente die, cum plauſtris aliquot & captivis, qui videlicet ſe ex compoſito dedederant, Liram redit, portam ſibi ſuiſque præda onuſtis aperiri quamprimum poſtulat, ne forte hoſti superventuro expoſiti relinquantur. Dubitante Gubernatore, pervicit Simplii frater, qui Liræ & ipſe præſidiarius agebat. recluſaque prima ante vallum porta admiſſus Simplius cum ſuis, extemplo Conſulem, qui attulerat claves, obtruncat: portuliſque reliquis apertis, Corvinus cum turmis equitum quatuor,

*Marginalia:* 1582. Addunt ſe ei centuriæ aliquot Anglorum, deſertis Gallis. *7 Septembr.* — De tradenda Lira Alexandro propoſitum Scoti — *Città di Caſtello Filippe ville* — Scotus aſtum componit, — & regios Liram inducit;

ac

1582. ac totidem peditum cohortibus protinus accurrit: cæſiſque, aut fugatis in aditu cuſtodibus, jubet duo equitum ſigna obequitare urbis mœnia, cohortem unam inſidere portam, ipſe Simpliuſque cum reliquis copiis in urbem irrumpit, & Gubernatore, ac primariis quibuſque diffugientibus, paucis præſidiariorum pugnam auſis, ac facile oppreſſis, omnibus repentina aggreſſione perculſis, Lira potiuntur: urbe haud quidem magna, ſed egregie munita, quæque ut Alexander ſcripſit ad Regem, ſi admoto milite expugnanda vi fuiſſet, profecto & multo ſanguine, & impendio non minore decies centenis florenum millibus conſtitiſſet. præter ingens commodum, quod ex ea ad Antverpiam, Mechliniam, Bruxellas, aliaſque circa urbes, infeſtis excurſionibus fatigandas, trahi poſſit. Quo æquius habuit Alexander, Scoti facinus ab ſe magni fieri, &, uti factum eſt, abunde compenſari.

non contemnendo eorum emolumento. *7 Septembr.*

PVGNA apud Bergam ad S. Winoci.

Interim ipſe audito, aliqua Gallorum ſigna, quæ præceſſerant, Dunquerchæ jam excepta, & inde reliquis Alenconianis copiis adjuncta, muniviſſe ſe Winocibergæ; rapit illuc exercitum, inſtructoque, hoſtem ad pugnam evocat. Is nihil primum motus, ubi traduci copias ante oculos quaſi per contemptum videt, immiſſis repente aliquot ſclopetariorum haſtatorumque centuriis ex Gallis Angliſque, cum duabus turmis Raitrum, terga abeuntium invadit. quibus in hoſtem verſis, eoque incaleſcente pugna ex multorum utrinque acceſſu, univerſa decernendum acie credebatur: ſed multis ſuorum cæſis, caſtra repetere Alenconiani coacti ſunt, ducto tamen captivo, quod Alexander indoluit, Balanſonio Marchionis Varambonii fratre, Burgundorum equitum Præfecto: Salvago autem Matalonio Cæſiæ turmæ ductore, dum haſtatos Anglos pugnam redintegrantes intrepidus excipit, oculo haſta transfixo, hærenteque intus fragmine, poſt biduum vi doloris extincto. Verum quum neque hi ex munitionibus

Alenconiani muniunt ſe Bergæ.

extrahuntur ad pugnam.

pugnant: & fugantur, non tamen ſine inſigni captivo,

& viro forti cæſo.

2009 Ministerio de Cultura

nibus Winocibergæ extrahi poſſent: neque 1582.
promptum foret intercludere aliis acceſſum in Flandriam è mari, cujus portus in poteſtatem ipſi haberent; una ſpes reliqua erat, in eorum conſilia ubique intendere, atque inde occaſionem congrediendi captare. Et occaſio ſe ſe dederat, motis ad recuperandam Gaveram Alenconianis. In quos illico dum fertur Alexander, audit eos mutato conſilio, inſtructa militariter acie Gandavum petere. tantoque ipſe concitatius præmittit cum quadraginta equitibus partim lancеariis, partim ſclopetariis Cabreram hiſpanæ turmæ Subpræfectum, qui hoſtem inſequatur, locumque & conſilia ejus exploret, atque ad ſe referat. interim jubet milites curare corpora, & ante tertiam vigiliam inſtructos itineri, armorum in area præſto eſſe. Et Cabrera, inſpecto hoſtium exercitu, captiſque eorum tribus, jam retulerat, non procul inde exercitum conſtitiſſe, plauſtris vehiculiſque, aggerum loco, ſeptum: ac mane Gandavum, motis caſtris, abiturum. Tunc Alexander, relictis Aldenardæ impedimentis, poſt mediam noctem præire jubet equites ſclopetarios, pone ſequentibus lancеariis, quibus pedeſtres aliquot cohortes haſtatorum, totidemque ſclopetariorum furcillis tubos librantium immiſcuit, ſed ad celeritatem equis ſarcinariis impoſuit: ductoribus Georgio Baſta equitatus univerſi Commiſſario, Antonio Olivera, & Marchione à Monte, Rubaſii vicariis. Rubaſio autem mandat, ut extremum hoſtis abeuntis agmen ſubinde carpendo, moretur, dum reliqua peditum accedat acies, cujus partem Mondragonio, partem Petro Pacio attribuit. ipſe turmas aliquot ſclopis leviter armatas ſibi ſeponit, ad ſubita uſurus. At Rubaſius, & Montius cum equitatu progreſſi, vident incenſis caſtrenſibus tuguriis Gandavum verſus incedere agmen, non auſi hoſtem acrius laceſſere, vicinitate urbis confidentiorem. Et quamquam ſuperveniens Alexander, increpita eorum mora, ire eos compulit in ex-

PVGNA ad Gandavum cum Alenconianis.

*Tenente* eorum conſilia explorat Alexander: *Ante mediam noctem*

ſuos armat;

*moſchettieri*

& in hoſtem abeuntem immittit.

*Baracche* cujus extrema invadere non audent;

2009 Ministerio de Cultura

1582.

invadunt Alex. juſſu : Diſpoſitio copiarum Alenconii,

extremam hoſtis aciem, paulum ab exercitu abjunctam ; hæc tamen acies impetum valide ſuſtinuit, dum interim reliquæ ſuorum copiæ ſub Gandavi mœnibus conſtitere. Ibi diſpoſitis ad pugnam ordinibus, atque objectis in fronte plauſtris carriſque communiti ; Hiſpanum, ſi forte auderet, opperiebantur. Nec ideo deſtitit Alexander : ſed quum jam pedeſtris acies adventaſſet, ſtatuit ſub ipſis Gandavenſium oculis auxiliiſque adoriri caſtra, ſperans conſerta

& Alexandri

pugna, ſuis cum hoſte implicitis haud multum à mœnium tormentis noceri poſſe. Itaque bipartito peditatu, ſelectis hinc haſtatis centum quinquaginta, Hiſpanis Burgundiſque, & quingentis earumdem nationum ſclopetariis : illinc ſclopetariis totidem, Hiſpanis atque Wallonibus, atque haſtatis trecentis pleriſque Germanis ; jubet Mondragonium ad dexteram, Pacium ad lævam moletrinas ac domos, quas ante caſtra inſederant Alenconiani, ſimul aggredi, atque inde in curruum ſepta impreſſionem fa-

Pugnatur.

cere. Et fecere illi audacter, ac ſtrenue : raroque alias Hiſpani ferocius invaſere hoſtem, oſtenſuri, opinor, Belgis, quantum virium partibus accreviſſet, Hiſpanorum acceſſu. Namque non domibus modo, ac moletrinis expulere ſtationarios, ſed etiam in vehicula & carros invecti, duas fere horas, nunc pulſi, nunc pellentes, tanto periculorum contemptu pugnarunt, ut eodem tempore & plauſtris defen-

felicius ab Alex.

ſos invaderent, & plauſtra aliqua, obnitente nequidquam hoſte, diriperent. Donec experti inexpugnabile vallum eſſe : & cadentibus ſuorum multis, qui ultra progreſſi deſtinato ictu petebantur è mœnibus, Alenconio Orangioque inde pugnam incendentibus ; ad ſignum ab Alexandro datum recepere ſe ſe, relata nonnulla è curribus præda, & equis eorum aliquot abductis. majore utique oſtentatione virtutis,

Numerus utrinque interfectorum: 30 *Auguſti.*

quam hoſtium clade. Quamquam hanc ipſam non fuiſſe minorem octingentis hoſtibus peremptis legi in Alexandri litteris ad Regem. quum

tamen

2009 Ministerio de Cultura

tamen aliqui, & quidem ex iis qui interfuere, ad duo fere millia extendant, niſi forte ſecutis diebus, poſt Alexandri litteras ſtatim miſſas, hic demum numerus compertus eſt. Ex Farneſianis autem deſideratos non ſupra ducentos, propemodum omnes affirmant. Immo potuiſſe eo die omnem Alenconii exercitum deleri, ſi regius equitatus paulo à Gandavo remotius laceſſendo tenuiſſet hoſtem, Billium, ac Mondragonium, ac Procerum pleroſque, ex inſolito Hiſpanorum ardore conjectaſſe, ſcribit Alexander. Interea dum Orangii opera, ad avertendum acceptæ cladis ſenſum, feſtinato Alenconius apparatu, Gandavi ſparſis in populum miſſilibus, Comes Flandriæ ſalutatur; Alexander ad cohibendas excurſiones cum Meninenſium in Inſulenſem agrum, tum Cameraceſiorum per Hannoniam; caſtellum ad Liſam fluvium in conſpectu Meninæ apud Helvinum attollit, ac præſidio munit: Cameraceſii caſtrum, Cluſamque repentino acceſſu territa in deditionem accipit. ad hæc Ninovam Egmontii Comitis arcem, & Gaesbecum, illam nuper à Lanua, hanc modo ab Alenconio captas recuperat: aliaſque alibi munitiones aut conditionibus, aut vi capit. quum tamen tanta hoc tempore fame premeretur Catholicus exercitus, ut in Ninovæ obſidione, ex qua *Ninovenſis fames* proverbio locum fecit, equis paſſim veſcerentur. Narrabatque Conſalvus Gironus Pacianæ legionis inſtructor, quum ad mandata, uti ſolebat, accipienda adiiſſet Alexandrum, relicto ante ejus tentorium equo, reverſum nihil præter lora & ephippium reperiſſe: ex equo autem in fruſta à militibus diſcerpto, beneficii loco, pro nocturna cæna, partem impetraſſe. non ceſſantibus per eoſdem dies, quamquam ſimilia paterentur, Alenconiis atque Ordinum copiis. Nam præter alia loca, Bronchorſtium & Eſpellium in Geldria expugnarunt: parumque ab intercipiendo Lovanio abfuere. Res ita ſe habuit.

1582. Eq. *Rinaldus, & Alphonſ. Vaſqu. in comment.*

30 *Auguſti.* Alenconius inauguratur Flandriæ Comes:

*Cambreſi* Alexander capit Cameraceſium, & Cluſam, & Ninovam, & Gaesbecum.

fames Ninovenſis. *Sergente Maggiore.*

Alenconius expugnat Bronchorſtium, & Eſpellium, & alia nonnulla.

Col-

2009 Ministerio de Cultura

1582.
LOVANII periculum ab Aleuconianis.
29 *Octob.* eorum exercitus:

Collectus clam Ordinum exercitus partim è Bruxellenſibus, Vilvordianis, ac Mechlinienſibus præſidiis: partim ex Gallis, Angliſque Alenconianis, (fuere circiter octo peditum millia, cum aliquot equitum ſignis) intempeſta nocte, Lovanium contendunt: ac ſub auroram ſcalis admotis, tribus e locis urbem invadunt.

muros ſcalis aſcendunt.

Erant in urbe veteranæ Italorum centuriæ duæ, Wallonum una, atque una Germanorum, cum Burgundica Balanſonii turma, Fabio Matalonio urbanæ militiæ Præfecto. Hic ea nocte vigiles inſpecturus mœnia circuibat, quum ecce circumſeſſam militibus urbem, hærenteſque muris ſcalas videt. protinus ad arma conclamat, oculis, ore, conſilio vere caput. accurritur: rejectiſque uno aggreſſoribus loco, alio plures apparent: jamque alicubi ſuperantibus Gallis, vexilla Alenconii Ducis infixa mœnibus aſpiciebantur. Enimvero armatis tota urbe civibus, inque muros undique procurrentibus, incaleſcere pugna: Fabius modo auxilia diſtribuere, modo ad portas ſtationarios immittere: ubique ſuos proviſu, manu, voce animare. donec, advectis in mœnia tormentis, ceſſere Alenconiani: gradumque tanquam juſſi paulatim referentes, fugam militaris obſequii ſpecie occultabant. ſed egreſſi urbe cives præſidiariis immiſti inſecutique, fugæ confeſſionem expreſſere. Compertum eſt, ex aggreſſoribus præter complures caſu aut ferro ſaucios, interiiſſe circiter ducentos: ex iiſque deſideratos primarios Centuriones duos, & quatuor vulneratos.

pugnant in mœnibus.

impares recedunt:

& fugantur,

*Alex. ad Reg. 3 Nov.* non ſine cæde.

LOCHEMVM à Verdugo obſeſſum

paulo antequam hæc in Brabantia gererentur, magnis copiis apud Lochemum, Zutphaniæ provinciæ oppidum, certatum erat. Obſederat illud Franciſcus Verdugus Friſiæ moderator, præmiſſo Iacobo Bronchorſtio, Anholti, & Bredefortii Dynaſta, germanicæ legionis Tribuno: evocatuſque ex arce Crychembergenſi Rogerius Veronicus loci Gubernator, ſuas Wallonum centurias nuper addiderat. atque horum opera, Lochemum aggeribus, caſtellis, re-

Zuderinus.



GVILIELMVS LVDOVICVS,
*Comes Naſſaviæ, Catſenell. etc. Præ-
fectus Friſiæ, etc.*

©2009 Ministerio de Cultura

2009 Ministerio de Cultura

1582.

receptibuſque, Verdugus perquam valide circumſepſerat. ſed recente ſubſidiorum ope, ductoribus Com. Holachio, & Gulielmo Naſſavio, captis aliquot ex iis munitionibus, commeatus in urbem illatus eſt.

ac poſt varia tentamenta,

Et quamquam novo Anholtii, & Veronici conatu, ſub adventum Com. Mansfeldii, atque Altapennii, ea rurſum caſtella recepta ſunt; longe tamen majoribus legionum auxiliis, quæ Alenius, & Norritius Gallorum Anglorumque Tribuni ab Duce Alenconio attulere, obſiſti diutius haud potuit: præſertim deſiderato, magna utique jactura, Anholtio, dum caſtellum colluſtrat, pila trajecto, ejuſque legionis Subtribuno lethaliter ſaucio, poſtea extincto. Itaque amiſſa in præſens Lochemi expugnandi ſpe, Verdugus Grollam, Altapennius, ac Mansfeldius in Brabantiam, Veronicus in Subtribuni locum delectus, Bredefortium ad Anholtii uxorem, in regiis partibus continendam conceſſere.

amiſſa potiundi ſpe, ab eodem relictum.

*in fine Septembris.*

Verum aliquanto poſt capto à Verdugi copiis Stenovico, Tranſiſelaniæ oppido, Lochemianæ jacturæ ſatisfactum eſt. Quod oppidum tot pridem viribus ac ſanguine fruſtra tentatum, mirum profecto, quam levi paucorum conatu repente ceciderit: dum plus nocet ſua cuique incuria, quam aliena violentia.

*Overiſſel. Stenovicum.*

Admonitus Verdugus, Stenovicum, hoſtium ſecurum, poſſe certa ejus parte ſcalis applicitis conſcendi; ad explorandam foſſæ, in quam amnis influit, altitudinem, ruſticæ puellæ aſtu uſus eſt: quæ projectum in foſſam pileum, quaſi à vento excuſſum extractura, dum aquam intrat, atque hac atque illac errabunda alveum metitur; animadvertit, aquam alicubi non genibus altiorem. Secutuſqué relationem puellæ Tribunus Taſſius à Verdugo cum parte copiarum eo miſſus, ſub primam perobſcuræ noctis horam ad muros acceſſit, locum agnovit, ſcalas appoſuit. Forte ea nocte, magno apparatu cænam inſtituerant victores Stenovicani: nam biduo ante, Haſſeletum vicinum oppidum

STENOVICI expugnatio.

*Blocſila amnis*

Altitudo aquæ circa urbem lepido aſtu exploratur:

*Verdugus in Comment. l. 3. I. Bapt. Taßio*

Securitas Stenovicanorum poſt captum Haſſeletum;

Ca-

1582. Catholicumque, eoque inviſum ceperant, ac diripuerant. multiſque in ſacras Cælitum imagines impie debacchati, aliquot eorum ſimulacra, cum reliqua præda Stenovicum aſportaverant. ac poſt agitatum per varias contumelias diem adverſus ea Divorum ſigna, appetente jam nocte, alia editis in locis è furca ſuſpendunt, aliqua armis induta jubent homines inſani excubias in mœnibus agere, dum ipſi ad reliquum Haſſeletanæ victoriæ aſſumendum opipare cænatum irent. Sed impii perduelles in perniciem nempe ſuam Cælites armarunt. Ea ipſa cænæ hora, eaque plane mœnium parte, in qua Divorum ſigna ad ſtationem diſpoſuerant, Taſſiani milites, quaſi porrecta à Cælitibus jam mœnia obtinentibus manu, muros ſcandunt, obſiſtente nullo: atque ab inſpecto ſacrilegorum ſcelere ferociores oppidum invadunt, ultionem ac ſtragem partes in omnes ferunt, militibuſque ſupra trecentos interfectis, oppidanis poſt prædam populationemque pecunia mulctatis, ne uno quidem ſuorum amiſſo, nec alia quam triginta aureorum impenſa, queis ruſticam puellam donavere, prævalida Tranſiſelaniæ arce, pro qua toties dimicatum fuerat, potiuntur.

*& eorum impietas in ſimulacra Sanctorum:*

*Quorum non dubia ope muros ſcandunt Taſſiani:*

*multiſque hoſtium interfectis,*

*ipſi ne uno quidem amiſſo, oppido potiuntur.*

At vero Dux Alenconius, qui ob liberatum, Gallorum in primis ope, Lochemum, gaudio geſtierat, auctus expectatis dudum è Gallia copiis, (nequidquam aditum illis intercludere conato Parmenſi Principe) Antverpiæ inſolita pompæ ſignificatione teſtari lætitiam voluit: occaſione accepta ex natalitio Domini die, nova dierum anticipatione celebrando. Etenim Pontifex Gregorius Tertius decimus, correcta erratione anni, novum ad ſacros præcipue faſtos ordinandos Kalendarium Chriſtianis populis propoſuerat. Id ſibi & imitatione Henrici fratris Galliæ Regis, & ſua in Romanum Pontificem veneratione ſuſcipiendum putavit Alenconius. eodemque authore à pleriſque fœderatis Belgii urbibus ea ſuſcepta eſt anni correctio,

*De INVASIONE Antverpiæ à Gallis attentata.*

*17 Novembris.*

*Alenconius lætus ob liberatum Lochemum, & ob novas Gallorum copias.*

*juxta novum Gregorianum Kalendarium,*

2009 Ministerio de Cultura

rectio, præterquam ab una alterave provincia hæreticorum, quibus toto cælo, atque anno errare toto, grave non eſt. Iamque inſtabat quintus decimus Decembris dies, qui, quod expunctis diebus decem, pro vigeſimo quinto numeraretur, Domini adſcribendus Natali erat. Ergo in ſummo hominum concurſu ad Divi Michaelis templum Alenconio attributum, ipſe gallica nobilitate comitatus egit ibi pro rebus feliciter geſtis naſcenti Deo grates: ſecutiſque diebus, ordinum legatis epulo aliquoties exceptis & gratulationem extendit, & ſimul occaſionem magnum quid aggrediendi nactus eſt. Nam qui recens è Gallia venerant belli Proceres, animadverſo Alenconii Ducis imperio longe, quam ſibi perſuaſerant, reſtrictiore; Regii juvenis ſervile regimen, & aliorum, qui apud illum agerent, vilem patientiam indignabantur. Idque quum apud Ioannem Bodinum, Duci apprime gratum, ejuſque ſecretioris ſcrinii cuſtodem quererentur, is haud cunctatus exponit Duci ſuorum querimonias: *Admirari omnes, in precario illo imperio, tolerantiam ejus, qui regendis populis natus, & quem aliquando Regem adoratura ſit Gallia, nunc ſe intra inania Brabantiæ Ducis, & Flandriæ Comitis nomina, ſine imperandi potentia, ſine ſubditorum obſequio, ſine armorum arbitrio, contrahi paſſus ſit. Ærarium, vectigalia, pœnas, præmia, apud Ordines eſſe. Quid ei relictum, non conceſſo arcano Senatu, uti aliis retro Principibus: non admiſſis intra arces militibus, non decretis pro aula proventibus? Aſpiceret ad Archiducem Matthiam in Germaniam indigne remiſſum: Philippum ipſum Regem principatu belgico ſuperbe dejectum conſideraret. immo ſui meminiſſet, ſecumque reputaret ipſe, quam prope fuerit in proximo Antverpienſi tumultu, ut ei non imperium modo, ſed etiam vita, una cum omni Gallorum gente, à furente populo eriperetur, niſi perniciem avertiſſet Orangius? futurus proinde hujus beneficii non minus ſuperbus oſtentator, quam gravis exactor. Quapropter excogitaret aliquando rationem, qua ita regimen conſtabiliret,*

1582.

celebrat natalem Domini diem.

Gallis diſplicet reſtrictum & precarium imperium Alenconii.

eumque ad Brabantiæ principatum vi firmandum animat ſuorum nomine Bodinus in hunc modum.

In Orangii ſauciatione



2009 Ministerio de Cultura

1582. *ut quod tunc authore Orangio Antverpienſes non perfecere, in poſterum in aliena non ſit manu, ne non poßint. Sibi quidem in præſentia promptam firmandæ potentiæ occaſionem videri: ſi legatos provinciarum, quos una coactos tanto ipſe nunc honore, epularumque magnificentia excipiebat, rogatos vellet, ne gravarentur ad provincias referre, ut, quando à Gallia Rege tantum auri hominumque inſumeretur, inſumendumque dein eſſet ad Belgarum patrocinium, neglecto periculo evocandi in Galliam Hiſpanorum arma; Ordines publico decreto definirent, Belgium, decedente abſque liberis Alenconio, regno adnexum Gallico manere. Sic illos & Regi pro bello, quo ſe graviſſimo implicet, proque ſumptibus, queis regnum oneret, relaturos merito gratiam: & Belgio Galliæ inſerto ſtabilius adverſus hoſtem conſulturos. Id ſi legati probent, & Ordines decernant; Regem longe intentiore cura belgicas provincias reſpecturum, ut Galliæ ſuæ partem: & Regis fratri novis è Gallia ſubſidiis aucto aliam profecto ſecuritatem, aliam à Belgis dignationem acceſſuram. Si renuant, ac deprehendantur, velle gallicum aurum & militem, non imperium noſtrum; vim intrepide parandam, neque permittendum, ut Brabantiæ Duce à Belgis eluſo, Hiſpaniæ bono, Gallia exhauriatur. Bathoreum Poloniæ Regem ſimilia à Nobilitate paſſum, armatis aliquando munitum, poſt evocatos increpitoſque ſenatores, in hæc verba concionem dimiſiſſe, Quando ſe in Regnum ultro advocaſſent, ſibique non ut in ludo perſonam Regis impoſuiſſent, velle ſibi extra ſcenam ac fabulam à Polonis obſequium ſerio præſtari. Quanto id uſurpari tutius in præſentia ab eo poſſe, tot è Gallia copiis, Ducibuſque ſubnixo? Quorum armis aſſerendum aliquando in libertatem eſſe Belgii Principatum, ne illum populi & ſe dediſſe imputent, & retineant. Denique raro ſine vi ac ſanguine dominia parari: nec alia Regum principia fuiſſe. ſed quos initio Dominos pati coactæ ſunt provinciæ, eos deinde Auguſtos, ac Patres patriæ certatim veneratas eſſe.* Plura hæc erant, quam ut his opus haberet Alenconius, ad præceps quodque conſilium pronus. Nec deerant, quæ illum per eos dies irritaverant. Nam quum Philip-

Movetur per hæc ad facinus Alenconius:

2009 Ministerio de Cultura

Philippum Pleſſii Dominum, qui Navarræi legatus advenerat Antverpiam, ſecretis congreſſionibus cum Orangio, ac provinciarum Procuratoribus multa quotidie agitantem obſervaſſet: ac certi aliquid exprimere ex illo nequiviſſet; offenſus, quod inſcio inconſultoque ſe, pleraque & magna conſierent; non modo ex eo Gallorum pari, quos in ſenatum adlegere ei facultas erat, nullum delegit, ne deligeret Pleſſium, uti rogabat Orangius: ſed etiam ſimulato negotio, per notæ fidei hominem ad Margaritam ſororem tranſmittendo, Pleſſium Antverpia ſubmovit. Ergo tergiverſantibus provinciarum legatis ad ea, quæ de Belgio Galliæ adnectendo ex Bodini conſilio proponebantur, ipſe tanto facilius ad vim animum appulit, quanto eadem ſibi à pluribus belli ducibus, (aliqui tamen ac meliores improbabant) non dubio eventu ſuggeri audiebat. quorum arbitrio rem in hunc denique modum compoſitam, atque peractam, uti fidus homo Antverpia ſcripſit ad Alexandrum, atque hic ad Regem, ego ſummatim hic expediam. Tribunis, qui Dunquerchæ, quique Brugis, quique Teneramundæ, quique aliis Flandriæ in urbibus, cum gallicis cohortibus agitabant, mandatum eſt, ut uno omnes die, is fuit XVI Kal. Februarii, ea loca excitatis pro ingenio tumultibus, armis occuparent: debitamque Alenconio, tanquam Flandriæ Comiti, provinciam jure belli captam, gallico nomini aſſererent. Alenconius Antverpiam ſibi delegit ſubigendam: capta occaſione ex Eindovia Brabantiæ oppido, ad quod expugnandum per eos dies immiſerat Bonivettum, cum parte gallici exercitus: quæ tunc expeditio quoniam feliciter proceſſerat, majores ad ſe copias feſtinare juſſerat, veluti moturus eas in hoſtem, ad victoriam proſequendam. Poſtquam illæ advenere, & apud Burgerhoutum Antverpiæ pagum poſuere caſtra; ipſe per ſpeciem luſtrandi ac recenſendi exercitus, Nobilibus ſuis comitatus,

1582.

*Mons de Pleßis*

Prætertim offenſus adventu Pleſſii.

*Conjux Navarr. Regis*

Invadendas Flandriæ urbes aliis committit: 16 *Ian.* 1583

ſibi ſeponit Antverpiam.



2009 Ministerio de Cultura

1582. aliiſque gallis helvetiiſque militibus, qui Antverpiæ tunc erant circiter quadringẽtis ex ſuis ædibus ad portam urbis chipdorpiam tendit. ibi repertis, qui è Burgerhouto aderant, equitibus fere trecentis, ſuper ponte, ac foſſæ margine Ducem opperientibus, egreſſus prima interiore porta, in aditu ſecundæ, ad ſuos converſus, urbem manu monſtrans, ac donans; *Eja filii*, inquit, *veſtra eſt Antverpia*. ſtatimque cœpta cuſtodum cædes à Prætorianis, ipſe incitato equo contendit in caſtra, Galli in mœnia portæ vicina conſcendunt, captam urbem inclamant. Quorum ad vocem teſſeramque, qui è caſtris, urgente Alenconio, properabant, ſexcenti primum equites, mox tria peditum millia, explicatis ſignis in urbem irruunt. pars Cæſaream ad portam, pars ad rubram, occupatis propugnaculis, tormenta in urbem convertunt: equites, pediteſque per vias ac fora ſparguntur, *Miſſam, ac Ducem*, confuſis clamoribus ingeminantes. attonita ignaraque civitate, quo voces, quo arma ſpectarent. cur eos, quos modo quietos & amicos in iiſdem ſedibus habuerant, nunc hoſtes, & cruentos aſpicerent? Erantque, qui tumultum interpretarentur à rixa hæreticos inter, & catholicos Ducis aulicos exortum. Verum ubi, tumultu increbreſcente, ſterni cives, intrari expilarique domos, mercatorum Baſilicam (Burſam vocant) hoſtiliter invadi animadvertunt; intellecta jam proditione, æris campani ſigno ad arma cives evocantur: catenæ in aditu viarum illico tenduntur: plebs, nobilitas, viri, feminæ, religione inſtitutiſque quantumvis inter ſe diverſi, conſociatis omnes animis, pro fortunis, pro patria, pro ſuis capeſſunt arma, miſcent iras, junctiſque dexteris mutuam ſibi, ad mortem uſque, fidem vovent. Ac momento tota paſſim urbe conglobati civium atque externorum manipuli, Gallis ſe ſe objicere: artifices operæque ex officinis proſilientes, arreptis, quæ aut in manibus erant, aut ſors offerebat, inſtrumentis,

Cujus invadendæ ſignum dat.

Invaditur urbs.

Pugnatur.

2009 Ministerio de Cultura

1583.

tis, in hoſtem ferri: mulieres ex ædium feneſtris, ac tectis ſaxa tegulaſque devolvere: alii ex abdito domorum ſclopos in ſubjectos dirigere, tanta aliquorum ferocia, ut non deeſſent, qui deficientibus plumbeis pilis, nummos è crumena promptos, dentibuſq; utcunque manſos, atque in tubos raptim injectos exploderent, hoſtemque auro inhiantem, auro conficerent: donec Galli, capto eorum duce Fervacio, nec novis auxiliis ſuccedentibus, paulatim langueſcere, ac reditum reſpectare: mox effuſe Chipdorpiam repetere, plus ibi ſtragis, quam effugii reperturi. Namq; Helvetii ab Alenconio juſſi per Cronerburgenſem portam inferre in urbem ſigna, ea clauſa, longo circuitu ad Chipdorpiam ſero tendentes, dum illic jam fugientium multitudinem offendunt, obverſiſque haſtarum ſpiculis eos ſiſtere, & ipſi urbem intrare connituntur, ſupervenientibus à tergo aliis aliiſque, mutuo hominum equorumque occurſu impulſi implicitique, tam multi anguſto in aditu proculcati ac protriti cumulabantur, ut duorum altitudinem hominum exæquaret cadaverum ſtrues. Et aggerebatur ſtrues, dum ſuper ea nobiles complures, relictis equis tranſcendere pertentantes, ab inſequentibus civibus, non irritis glandium emiſſionibus trajecti, ad cæſorum acervos addebantur. Interim Alenconius incertus animi, quo res loco intus foret, varie fluctuabat. quodque è longinquo proſpiceret, multos è mœnibus præcipites ferri, neminem urbe egredi, cujus portam ſui tenerent; modo fauſtum id ſibi, modo ſecus interpretabatur. At ubi obſervavit, eos, qui à ſe mittebantur, tormentis ex urbe peti: atque Helvetiorum legionem Gallis permiſtam in caſtra perturbate contendere: tunc enimvero ex infelici ſucceſſu temeritatem conſilii ſui primum ſenſit, ac damnavit. Crevitque immenſum dolor, audita ſtrage Nobilium tanta, ut non pauciores ducẽtis quinquaginta interempti ex eo ordine nominarentur, præter captos ex eadem nobilitate complures.

Repelluntur Galli,

*Urbis porta*

magna cum ſtrage.

Nobilium.



2009 Ministerio de Cultura

1583. res. Quippe occurrebat animo dedecus odiumque, quo per Galliam apud præcipuas quaſque familias laboraturus eſſet. Accedebat reliqua Gallorum cædes, quam initio ad mille quingentorum octoginta trium omnino perveniſſe affirmarunt aliqui: cladem, opinor, eo extendentes, ut anno, qui tunc agebatur, milleſimo quingenteſimo octogeſimo tertio, cæſorum numerum adæquarent. Ego ex litteris, quas laudavi, compertum habeo, biduo, quod humandis corporibus inſumptum eſt, ex urbis quidem foſſis, in quas aut acti ſunt, aut egere ſe Alenconiani, circiter quadringenta hominum cadavera extracta eſſe: per urbem vero, intraque domos, ac potiſſimum in porta, apud quam Gallorum tumulus hodieque monſtratur, ac buſta gallica non nemo appellat, paulo ſupra nongentos occubuiſſe: ex civibus autem fere centum interfectos. præter ſaucios, quos utrinque permultos continuata in dies funera oſtendebant. Quorum ad numerum adjungentes aliqui eos, qui fugiente Alenconio cum exercitu, ac tranante Diliam amnem magnis tunc imbribus, ac retentis aquis à Mechlinienſibus immodice inflatum, ſubmerſi ſunt; duo Gallorum millia deſiderata eſſe in Antverpienſi clade non abſurde confecerunt. Fuere multi, qui aggreſſionem hanc componentes cum ea, qua paucis ante annis, Hiſpani eandem urbem invaſere, magnopere admirarentur, unde illa feliciter Hiſpanis, hæc Gallis ſecus acciderit? quum, uti ajebant, contra eſſe debuiſſet: quando hi civitatem inopinantem atque imperatam, civeſque per ſuas quemque domos prandii hora (nam hæc delecta) deſidioſe agentes aggreſſi ſunt: Hiſpani autem jam hoſtes habiti eamdem attentavere multis armatorum millibus inſtructam, multis ubique ſtationibus firmatam, hoſteſque non exſpectantem modo, ſed etiam excitatis valide munitionibus irritantem. Et tamen Galli penetrata jam pleraque urbe, obſiſtente nullo; unius horæ ſpatio, accepta

*Margin notes:* & aliorum: — *Miræus in Chronico Belgico.* nec ſine aliqua civium. — *Mille ſubmerſos ſcribit Reidanus l. 3.* — Numerus mortuorum Alencon. 1576. *Vide l. 8 Decad. 1.* — Comparatur hæc invaſio gallica cum hiſpanica, — Galli

pta clade ejecti ſunt : Hiſpani poſt acrem 1583.
à principio pugnam, ſuperatis munitionibus, cæſis urbis præſidiariis civibuſque, captis militia ducibus, edita ingenti ſtrage, Antverpia ſunt potiti. Nimirum non virtus Gallis deerat ad victoriam, ſed illa ipſa victoriæ ſecuritas, (ſic enim conficiebant) ille contemptus hoſtium, Gallos perdidit. quantoque minorem repugnandi locum in civitate improviſo oppreſſa ſibi promittebant, tanto ipſi minore armorum proviſu, omiſſioreque animo adverſus vim, quam nullam putarent, totos ſe ad prædas, tanquam ſubacta in urbe, tranſtulere. Ferunt, aliquot Gallos, paucis ante diebus, viſos fuiſſe per Antverpienſium officinas ſcrutari curioſe loculamenta arculaſque gemmarum, in ſpeciem ut ementes, re autem obſervantes, deſtinanteſque greſſum in urbis aggreſſione poſtea dirigendum. Et vero direxere: contemptiſque Alenconii vocibus, queis ſuos admonuerat, ut primas potiundæ urbi curas intenderent, cetera victoriam ſecutura; plerique eorum, territæ civitatis jam ſecuri, ſolumque ſolliciti, ne circumſtantes urbem reliquas galli exercitus copias jam jam ingreſſuras, in partitione prædarum ſocias haberent; dum certatim huc illucque feſtinant, vagi ſparſique, atque adeo extenuatis ad pugnam viribus, facile oppreſſi ſunt. At Hiſpanos armatam à ſe civitatem peti reputantes, quæ de hoſtium viribus opinio ſollicitos habuit, eadem victores primum urbis, mox & fortunarum fecit. Vſque adeo NIHIL in hoſtibus vel ſemivictis tuto deſpicitur. Quamquam & pugnæ cauſam, quæ addere, aut adimere in milite vires ſolet, hic quoque inter invadentes amicam urbem, & inter hoſtilem ulciſcentes, diſcrimen habuiſſe credibile eſt. Atque hunc Alenconii conatus finem habuit: dignum profecto eorum ſapientia conſultorum, qui ſe regnorum magiſtros magnifice jactantes, dum æquo rectoque poſthabito, omnia parandæ dominationi honeſta putant,

nimia ſecuritas Gallos perdidit.

& pugnæ cauſa.

& Deus politicis hiſce conſiliis non favens.

*I. Bodinus & alii.*

1583. tant, deſerti à Deo, quem deſerunt, non raro conſiliis ipſi ſuis, fallente ſucceſſu, capiuntur.

Hæc porro dum Antverpiæ gerebantur, dumque eodem tempore Flandriæ urbes conſpiratorum armis attentabantur, eventu vario: nempe Oſtenda, Brugis, ac Neoporto prævalentibus adverſus Gallum: contra à Gallo ſubjectis Teneramunda, Dunquerca, atque Dixmuda; Princeps Parmenſis magnis in dies conflictatus anguſtiis, ob interclusam è Gallia rem cibariam, certum in Hiſpaniam hominem allegaverat, qui Regi ob oculos poneret catholici exercitus ſtatum, auctas Hiſpanorum copias, non aucto ſtipendio: inde multorum transfugia, & diſciplinæ contemptum, tanto in præſens periculoſiora, quanto adverſus recentem è Gallia exercitum milite opus foret alacriore promptioreque, quam qui tunc eſſet, æris inanis, & pugnæ dubius. Quum audita Antverpienſi Gallorum aggreſſione, ſimul & clade, & Alenconii Ducis abſceſſu, agnovit, adoravitque propitiam præſentemque Dei bonitatem, quod (ut ad Regem ſcribit) in eo rerum articulo, quo magna regiis partibus pernicies immineret, ſi paulum creviſſent Gallorum vires, (creviſſent autem, ſi potito Antverpia & Flandriæ portubus Alenconio, Henricoque Rege victoriam fratris palam ſecuto, huc vis omnis è Gallia incubuiſſet) tum maxime rebus in contrarium verſis, fugatis Gallis, excluſo Antverpia novo Brabantiæ Duce; ſatis profecto curarum, quas Belgæ Gallique inter ſe hoſtilem in modum proſequerentur, utriſque injectum eſſet. Ex hoc autem Gallorum infortunio quid ipſe commodi capere poſſet, illico verſare animo cœpit. Atque evocato primum ſecretiore ſenatu, dein bellico, poſtremo ſimul utroque, Tria, quæ ſibi in rem præſentem fore viderentur, ad fructum aliquem ex ea oblata feliciter occaſione percipiendum, in medium propoſuit. Primum vi armiſq; urgere fœderatas provincias: alterum de pace cum eis generatim componenda

*Invaſiones aliarum Flandriæ urbium.*

*Statui Hiſpanorum tunc laboranti*

*opportuna clade audita, agnoſcit Alex. Dei clementiam: 25 Ian.*

*& utroque conſilio coacto,*

2009 Ministerio de Cultura

nenda colloquium inire: tertium cum Duce 1583.
Alenconio privatim agere, eumque ad arces gallico præſidio retentas catholico Regi tradendas inducere. Addiditque, primum ægre attentari poſſe invalido ab exercitu & imminuto: & verendum, ſi ſe rebelles invadi ſentiant, ne metu Hiſpanorum cum Gallis in gratiam redeant. In altero plus aliquanto ſpei apparere, feſſis à bello provinciis, pacemque magis optantibus quam poſcentibus. De tertio capi conſilium haud poſſe, donec qui Alenconii ſtatus in præſentia ſit, amplius exploretur. Ergo pronis in ſecundum conſultoribus, delecti ſunt viri aliquot expertæ fidei, qui diſſimulata Catholici perſona, apud Antverpienſem populum recente in Gallos odio furentem; eoque Hiſpanis placabiliorem, de pace cum Wallonum provinciis, cum Belgis ſuis, ſuoque cum Principe, verba ſererent. Præterea admoniti Gubernatores urbium fœderatis provinciis finitimarum, ut idipſum cum eis pro ſua prudentia pertentarent. Ad hæc Marchio Rubaſius, Montinius, & Raſſinghemius miſſi ad Hallenſe oppidum: ut inde litteris, colloquiiſque cum provinciarum delegatis, aliiſque ſibi notis affinibuſque de concordia ſermonem inſtituerent, Alenconii proditionem objicerent, vetus Gallorum cum belgica natione diſſidium memorarent: habitos ſibi honores, collata ſibi ſuper Hiſpanos ipſos bellica munia referrent, aliaque in hanc ſententiam, ſed ſuo, non Regis, aut Alexandri nomine ſubjicerent, quæ componendo jamdiu ſciſſo funeſte Belgio apta viderentur. In his autem perurgendis quamvis nullam omitteret operam Alexander, obſecuturus animo Regis, à quo ſciret hanc pacandi Belgii viam præoptari; tamen ad eum ſcribens, providere ſe ait, conſilium haud proceſſurum, partim nimia Orangii nunquam aſſenſuri authoritate, tanto in præſens majore apud Antverpienſes, quanto ipſi ſe ab eo adjutos adverſus Alenconium falſi opinentur: partim egeſtate pecuniæ,

*ſollicitare ad reconciliationem provincias ſtatuit, in hunc modum,*

*fruſtra*

*25 Ian.*



2009 Ministerio de Cultura

1583. qua ſine frigent talium adminiſtri ac tranſactores: atque adeo ægre penetratur in hoſtium conſilia, QVÆ NISI hac aurea clave non reſerantur. Hinc ille ſe ad Alenconium attentandum accurate convertit. quod è propoſitis tertium quoniam clam ceteris aggredi apud ſe ſtatuerat, quaſi negligens in ſenatu tranſmiſerat. Et vero magnum opus aggrediebatur, Alenconio ſuaſurus, ut urbes à Gallis captas Cameracum, Dunquercam, utramque Bergam, Dixmudam, Teneramundam, Harentaliam, Dieſtemium, atque Eindoviam, ſponte remitteret, atque Hiſpanis Gallus traderet. Sed multa Alexandrum animabant. Primum Alenconii deſperatio non redituri in gratiam cum iis, qui hoſtiliter læſi proditique, nunquam profecto ejus ſe fidei credituri eſſent. Dein noviſſima ejuſdem ira odiumque in Antverpienſes, quod ſibi repetenti veſtes, lecticam, atque è captivis valetudinis ſuæ moderatorem, quo tunc æger opus haberet, inhumane denegaſſent: adeoque videri poterat ulturus ſuo quamquam diſpendio illorum inclementiam, dentemque ſibi, modo in hoſtes excuteret, evulſurus. Sed ſuper hæc, ſpem intendit nuncius ad Alexandrum hæc ipſa animo molientem miſſus ſane in tempore à Mario Birago legionis gallicæ Tribuno in exercitu Alenconii. Hic, ſcriptis ad Alexandrum litteris, ſuam ei offerebat operam, ſi qua in re illam uſui Philippo Regi fore inter eas turbas exiſtimaret. mitteretque propterea ad eum, ſi videretur, certum hominem, cum quo res conferri coram poſſet. Alexander, quoniam Marii gratiam apud Alenconium & conſtantiam ejus noverat non deſerturi in eo infortunio Ducem, (quamvis ab eo jam aliqui, velut à ſede fulmine tacta, profugiſſent) ſuſpicari cœpit, id à Mario non utique ſuſceptum niſi Alenconii juſſu: præſertim quod nuncius variis diſſimulatiſque interrogationibus circumactus, haud negavit. Et eodem tempore certior factus, armatam à Flandris fuiſſe Gandavenſem cataractam, & corru-

*Cum Alenconio transfigere ſtudet.*

*ad S. Vinoc. & ad Somam*

*hiſce cauſis animatus.*

*præſertim offerente ſe Alenconii Tribuno,*

*Sas de Gant.*

2009 Ministerio de Cultura

corruptos fluminum obices, ad iter Alenconio in Galliam intercludendum; facile ſibi perſuaſit, non alio ſpectare galli Ducis conſilium, quam ut aliquibus cum Alexandro conditionibus viam ſibi per Hannoniam, Flandria excluſus, aperiret. Ergo nihil cunctatus Hernandum Acoſtam, Centurionem apprime navum fidumque deligit, abundeque inſtructum, quid ei petendum admittendumve, Teneramundam ad Marium cum ejus nuncio, clam omnibus, ſubmittit. Marius excepto humaniter Acoſtæ aperit, *Ex Antverpienſi calamitate id boni captum eſſe, quod Dux Alenconius (quantum in ejus animum penetraverit) cum Hiſpano reconciliari non ægre poſſit. in eam rem à ſe, pro ſuo in catholicum Regem ſtudio, Ducem ſedulo animatum: ab eoque datas ſibi demum partes rei componendæ. Componi autem poſſe, ſua quidem ſententia, ſi Dux omiſsis armis adverſus Catholicum, rediret in Galliam: eaque gratia Parmenſis Princeps arces aliquot Galliæ finitimas Duci traderet, quales ſunt Bapalma, Bucquenium, Quercetum, atque Landreſium.* At vero Acoſta, nimis caro vendere illum Domini ſui fugam ſubridens, ſatius fore & conficientius reſpondit, ſi, quas Galli arces obtineant in Flandria Brabantiaque, Regi reſtituerent. Neque id videri audacius poſtulatum, ſi conſideret Alenconius, arces præſertim in interiore Brabantia ſitas, nequaquam retineri à Gallis poſſe adverſus aut Ordinum, aut Parmenſis arma. Quibus in hanc ſententiam ultro citroque agitatis, ac detectis utrinque ex primo congreſſu animis, ductus eſt Acoſta oſculatum Alenconii manus: à quo, poſt breve alloquium, ad Marium remiſſus, inde ad Alexandrum reverſus eſt. Qui, ne quid prætermitteret, Franciſcum Lanuam, & Turenæ Vicecomitem captivos aggreſſus jam fuerat per viros utrique eorum familiares, qui facta libertatis ſpe, illos hortarentur, quo compoſitis ad Alenconium litteris perſuaderent homini, ut omiſſa rebellium cauſa, quam nullo adhuc beneficii pretio adjuviſſet, mallet arces

1583. *Dicchi* & conditiones proponente; *Alenconius.* *Quiſnoy* quæ rejiciuntur ab Alexandri nuncio. *Alex.* Per alios tentat eamdem concordiam Alex.



2009 Ministerio de Cultura

1583. Philippo Regi tradere, eoque merito Regem fruſtra offenſum ſibi in poſterum devincire, quam Belgis recenti Gallorum laniena geſtientibus recuperandas aliquando relinquere. Interea inſtante Mario, Alexander loco Acoſtæ morbo impliciti Flaminium Garnerium cum certioribus mandatis legat. congreſſiſque aliquoties, ac Mario ad extremum offerente, Ducis Alenconii nomine, Teneramundam, atque Vilvordiam: Flaminio autem pro Principe Parmenſi ſtipendia ad eum diem debita præſidiariis locorum, quæ Galli poſſideant, pollicente; nihil propius videbatur eſſe, quam ut fœdus utrinque firmaretur. Quum hæſit repente negotium: hac ipſa concordia, quæ parabatur, Orangio detecta, aſtu videlicet Alenconii: qui ut ſollicitos haberet Antverpienſes: eoſque adigeret ad captivos reddendos, qui ex gallica nobilitate non pauci Antverpiæ detinebantur, reconciliationis rumorem emanare voluerat. Et ſane Orangius, atque Antverpiæ Magiſtratus veriti, ne Alenconius ira ac deſperatione præceps, cum Hiſpano conveniret; diſſimulato in tempus odio, præſertim quod ab Rege Galliæ, atque ab Angliæ Regina in id incumbentibus fatigabantur; litteris nunciiſque quaſi reſarciendæ gratiæ viam inituri, agitare cum Alenconio cœpere, verba interim juveni dantes, dum eum ab Hiſpanis abſtraherent. Et ipſe verba verbis reddens, tanto operoſius cum Parmenſi, nunciis utrinque acceptis remiſſiſque, negotium trahebat, quanto melioribus interim conditionibus tranſacturum ſe ſperaret hinc cum Ordinibus Hiſpanorum anxiis, inde cum Parmenſi de novæ cum Antverpienſibus concordiæ agitatione ſollicito. Sed gnarus Alexander quales demum conditiones, quamque ſuperbas ad reconciliationem exacturi eſſent Ordines ab Alenconio; minime inter illos conventurum, uti plane non convenit, pro certo habebat. Quamquam nec ipſe, extincto Mario Birago, quidquam cum Alenconio ad extremum

*Novæ conditiones proponuntur & utrinque acceptantur,*

*Sed callide ab Alenconio,*

*quem reconciliare Ordinibus aſtu curat Orangius.*

*Alex.*

2009 Ministerio de Cultura

mum confecit. Quin ſparſo rumore, (ſive ab Alenconio, ſive potius ab Orangio, qui quod fieri pertimeſcebat, occurrendum putavit ultro, ne fieret) Alenconium cum hiſpani Regis filia conjungendum, idque cum Parmenſi clam agi; Antverpienſes, ac Brabantiæ Ordines, ex Orangii conſilio remiſſis ad Alenconium aliquot captivis, atque annona, qua is miſere laborabat, liberaliter ſuppeditata, Vilvordiam ab eo accepere. Non tamen inter illos ultra convenit, niſi quod ejus Dunquercam per Flandriam iter antea negatum, nunc Antverpienſium opera & Flandrorum armis aſſertum eſt. Itaque Alexander, quando nec cum Alenconio paciſci, nec cum provinciis concordiam inire aliquam ſucceſſerat, Orangio permiſcente omnia, quippe quem turbarum fluctus ſuſtollebant, in tranquillo facile ſubmergendum; ad arma, quod reliquum erat, animum retulit, ſperans vi expreſſurum ſe ab Alenconio, quod amicis conditionibus non confecerat.

1583. & Alexander amiſſa concordiæ ſpe, vim parat:

Intraverat jam ille Dunquercam, tutius inde de concordia cum Ordinibus tranſacturus: id enim, Bellevræo conditionum miniſtro, agitabatur. Atque huc reſpexit Alexander, ſi forte Ducem ea in urbe concluderet, expugnaretque. In hoc autem ut omni cura liber intenderet, loca prius aliqua in Campinia recuperare ſtatuit: præſertim quod deportato in hanc Brabantiæ partem bello, ſecurum ab hiſpanis armis Alenconium, improvidumque redditurus erat. Nec menſes abiere tres, quum Eindoviam, Dalemium, Sichemium, & Veſterloum, arces haud contemnendas: hanc poſtremam Rubaſio, primam Carolo Manſfeldio, duas reliquas Manſfeldio patre ducibus in poteſtatem redegit. Reſtabant alia longe validiora in eodem tractu, quem Bironius gallicæ militiæ moderator, ac paulo ante victor Wodæ, & Vierſeviæ, percurrebat. Erant illi aliquot Gallorum ſigna: acceſſuque

PVGNA ad Steembergam. *Alencon.*

ſed ante capiuntur arces aliquæ,

hinc à Farneſianis,

inde ab Ordinum ducibus. *Biron.*



2009 Ministerio de Cultura

1583. eorum, qui ex arcibus modo amiſſis exierant, ad duodecim armatorum millia creverat exercitus. Hi quamquam ſub veterano Duce, milites non tyrones, nec inſtrenui, tamen, ut retulerat Alexandro Serclaſius Centurio, qui per eos dies à Bironio captus aufugerat, animis non ſatis cohærebant, ſimultate inſanabili inter Gallos, & Belgas, ex recenti Antverpiana cæde. Ergo & cum his bello in Campinia decertare, & Dunquerchæ Alenconium aggredi perquam cupidus Alexander, curas exercitumque ita partitur. Montinio, ac Mondragonio, ac Mottæo mandat, Dunquercam cum parte copiarum, laxa à mari terraque obſidione circumdent. Marchionem vero Rubaſium adverſus Bironium cum pleriſque levis armaturæ equitibus, Roſendaliam præmittit, ſequiturque mox ipſe cum reliquo equitatu, & peditum hiſpanorum parte, quos ad celeritatem ſinguli equites poſt ſe in equos aſſumpſerant: juſſo Petro Pacio ſua cum legione properare: Billio, atque Olivera Rubaſii vicario, concludentibus cum ſuis turmis exercitum, quinque bellatorum millibus conſtantem. Sed Bironius audito adeſſe Parmenſem, Roſendalia movens, Steembergam cum Gallis Germaniſque feſtinavit, relictis Belgis, qui à Gallis abjuncti cum Scotis pone ſequerentur. Steemberga, inſigni olim portu potentiaque, claras inter maritimæ Brabantiæ urbes fuerat: nunc aggeribus contra vim maris ſupra infraque urbem excurrentibus haud invalida habetur. Etenim præter tumulos colleſque perpetuos albicantis ſabuli, quos aſſiduo ejectamento congerit mare, ſibique furenti ceu compedes parat; accolarum induſtria, tenaci è ſolo aggeres attollit, Dunas vocant, quos ulnis minimum decem altos, latos in imo quidem circiter viginti, in ſummo autem tertia ferme parte anguſtiores, lignorum faſcibus lapidibuſque introrſus firmant, foris adverſus arietantium ictus undarum, texta è paleis ſtraminibuſque lorica communiunt. Sic Belgæ ab aſſidua cum oceano pu-

Alexander partem exercitus Dunquercam,

partem immittit adverſus Bironium,

qui Steembergam ſe recipit.

Steembergæ munitio,

2009 Ministerio de Cultura

no pugna, ad hoſtium aggreſſiones eludendas erudiuntur. Hiſce ſuper aggeribus ad Steembergam, partem caſtrorum extenderant Belgæ, Scotique: partem ſubjecto in campo apud radices lacu præruptas collocaverant: atque ante lacum domos aliquot occultatis ſclopetariis inſederant. Hæc autem caſtrorum pars inferior, ne adiri aggerum colles à terra poſſent, obſtabat: (è mari enim per ſe ſe inacceſſibiles videbantur) & aggeres ipſi in ſumma planicie quum vix equitibus ſenis pariter euntibus paterent, haud magnas hoſtium vires ſimul invadentium admittebant. &, ſi invaderentur, pellerenturque inde Bironiani, proximum receptum Steemberga monſtrabat. Alexander à Serclaſio, & Garſia Toletano, quos exploratum miſerat, de conſilio hoſtium poſituque caſtrorum admonitus, feſtinatione incredibili exercitum Roſendalia Steembergam rapit. tum jubet Sancium Levam, & Carolum Meneſium, qui cum ſuis in equos aſſumptis primi advenerant, domorum ante lacum ſtationarios, quos odore ex incendiariis ſcloporum funiculis deprehenderant, ad certamen extrahere, dum reliquus exercitus adventaret. extractis, ac poſt leve prælium inde fugatis, ipſe in hoſtem trans lacum apud radices aggeris, Pacianos ac Mansfeldianos legionarios movet. juſſo prius equitum Magiſtro, cum lancea riis Auguſtini Mexiæ, & cum Caroli Lunæ ſclopetariis eodem incumbere. Atque hi quidem impetu illati, aperta ſibi per obſtantium cædes via, in collis ſummum evaſere. Eodemque tempore eques in aggere, pedes in campo ſtrenue pugnabant. Quos inter, inſignis aperta caſſide Alexander, modo his integros ſubmittens, modo illos voce ac manu moderans, bellum regebat. Iamque inclinabat utrobique Scotorum acies: & Belgarum complures mare ac naves reſpectabant, paſſimque in eam ſe partem, recedente mari vacuam, demittebant: ſed hic quoque obviis, qui præmiſſi fuerant, Farneſianis trucidabantur,

1583. Quarum in ſummo & in imo caſtra locant Bironiani.

17 *Iun.* Vtrobique pugna committitur:

*Alexand.*

victoribus primum Farneſianis

*Belgæ ex Bironiano exercitu.*

2009 Ministerio de Cultura

1583. bantur. Verum dum equites aggeris jam victores (quibus ſe immiſcuerat prædarum ſpe, calonum, lixarumque turba) diripiendis hoſtium ſpoliis immorantur; Bironius Steemberga erumpens cum delecta gallorum lanceariorum turma, pugnæ ſecuros aggreditur. atque orta à calonibus fuga trahebat jam equitum aliquos, ſubita validaque impreſſione perculſos. Gliſcebatque latius pavor, ſparſo in omnes rumore, univerſam Gallorum aciem pone ſequi. Quum Alexander, inſcenſo aggere, fœdam ſuorum fugam intuens, *Quos fugerent?* interrogat, *paucos ne Gallos, qui non ſpe victoriæ, victis ubique ſociis, ſed honeſtioris cura mortis ſe in vincentium manus immiſerint?* ſimul, namque trepidatio, obteſtando objurgandoque parum ſiſtebatur, gladio ferociter elato in obvium quemque defertur: ſimul Cæſio mandat, (ducebat hic ante Principem præſidii cauſa lanceariorum turmam) obverſis cuſpidibus fugientes, hoſtium loco habeat. eodemque tempore, Appio partem ſuæ ſclopetariorum turmæ illuc impellente, primoſque fugientium increpante: mox eodem inferentibus ſe ſe Billio & Olivera, reſtituta eſt tanto validius pugna, quanto eluendæ coram Alexandro maculæ acrior ſollicitudo ſtimulabat. Itaque non repulſos hic modo Gallos, ſed in utroque latere à terra marique fuſos à Pacii in primis legione Belgas & Scotos, ad Steembergæ uſque mœnia tandiu fugando ac cædendo inſequuti ſunt, quandiu & nox ingruens, & arx è propinquo fulminans permiſerunt. Pugnatum eſt horas ferme tres: veneruntque in Victorum manus pedeſtria ſigna octo & viginti, equeſtria duo: cecidere è Scotis potiſſimum ac Belgis, qua ferro, qua mari, ſi Vaſquio legionis inſtructori accredimus, tria hoſtium millia: ſi Centurioni Tuccio, quatuor, quorum uterque pugnæ interfuit. Princeps tamen Alexander ad Regem ſcribens, mille ac quingentos affirmat. nempe hic eos præteriit, qui Steembergæ aditu excluſi, quum ſe partim in aliquot caſas & aqua-

mox eoſdem prædabundos victi fugant;

Fugam increpat Alexander,

*Nicol. C. Cæſ.*

& ſiſtit, *Appio de Comitibus* pugnamque reſtituit.

Vincuntur Bironiani.

Numerus cæſorum: *Alphonſus Vaſquez ſergens. I. Franciſcus Tuccius Alexand.*

2009 Ministerio de Cultura

aquarias molas, partim in prææltas ſegetes noctu abdidiſſent, poſtero die reperti omnes, & fuere ſane complures, jugulati ſunt. Ex Gallis ac Germanis, qui ſero, nec omnes, pugnam iniere, cæſi omnino pauci, nonnulli capti, pleroſque cum Bironio naves ab ipſo paratæ ad incerta belli, alio avexere. Ex victoribus autem nonniſi octo deſideratos, interque eos Meneſium, carum militi Centurionem, ac paulum ſupra viginti ſaucios, Alexander, quique adfuere alii, æque conſentiunt. Bironii fugam, Hochſtratæ, aliorumque per Campiniam oppidorum deditio ſecuta eſt.

1583.

incolumi cum multis Bironio.

Cæſi ex victoribus.

Liber inde Alexander Dunquercam arma feſtinabat; quum Franciſcus Pontius Mirabellus ab Henrico Rege, inſtigatu Reginæ matris, ad Ordines pro reconciliando Belgis Alenconio allegatus, Alexandrum adiit, queſtus Regis nomine, Quod non habita ratione beneficiorum, quæ in Farneſios olim contuliſſent Galliæ Reges, obſidere oppidum deſtinaſſet, ubi Regis fratrem commorari non ignoraret: reſpondente ad ea Alexandro, *Majores quidem ſuos haud immemores fuiſſe regiæ liberalitatis: certe Horatium patruum ſibi gloriæ duxiſſe pro regiis Francorum partibus mortem fortiter obire. At ſe hiſpani Regis miniſtrum omittere nequaquam poſſe, ne Principis ſui cauſam ubique non urgeat. Quamquam, ut rem ei aperiret, idcirco ſe obſidere Dunquerchæ Alenconium Ducem deſignaſſe, quod ſperaret, Regem liberando fratri magnis cum copiis advolaturum, facturumque proinde copiam ſæpius optatæ cum regio Gallorum exercitu dimicationis.* Verum Alenconius audito ſuorum ad Steembergam ſucceſſu: atque explorato Alexandri conſilio, anxius variuſque antevertere obſidioni, ac ſecedere in Galliam ſtatuit, quaſi cum Rege deliberaturus ſuper conditionibus, quæ à Belgis ad reconciliationem offerebantur. Itaque exeunte Iunio, relicto Dunquerchæ Camoſio Gubernatore, & quingentis præſidiariis, ipſe cum reliquis copiis, conſcenſa claſſe Caletum abiit

LEGATIO Regis Gall. ad Alex.

legati querelæ;

quibus Alex. reſpondet.

in Heſdini defenſione

Abit relicta Dunquerca in Galliam Alenc.

pau-

2009 Ministerio de Cultura

1583. paucis ante horis, quam à triumviris, quos antea nominavi, ab Alexandro deſignatis, Dunquerchæ obſidio circumdaretur.

DVNQVERCHÆ obſidio clauditur urbs à mari. *Motta, Montinius, ac Mondragonius.*

Et vero eadem propemodum nocte obſeſſum oppidum, ac deſperatum eſt. Namque diviſis inter Duces, ex Alexandri partitione, muneribus, ſimul Mottæus portum à mari clauſit: ſimul à Marchione Renthiaco (ſic enim Montinius ex dotali Arteſiæ caſtro pagoque poſtea eſt appellatus) ad amnium cataractas (Excluſas vocant) occupandas feſtinatum eſt: magno utique exutis præſidio Dunquerchenſibus, quo per hujuſmodi emiſſaria ſubmerſis quaquaverſum campis, intercludere aditum obſeſſoribus potuiſſent. ſimul, (& jactura quidem non minore) Mondragonius, & Marchio Varambonius caſtellum invaſere, quod impoſitum amni, Winociberga Dunquercam fluenti, ſtationem habebat cataractæ inter alias præcipuæ tutelarem. Alexander, probata omnium opera, tantum ſub Dunas portui proximas tormenta aliquot tranſtulit, quæ ſtatim arcendis à portu hoſtium navigiis, uſui fuere: tum miſſo Renthiaco, recuperatoque ad Winocibergam ponte, quem cæſo Anglorum præſidio Bergenſes obtinuerant, Dunquercam aggreditur. ac viginti muralibus tormentis ex utraque fluvii parte quatere propugnaculum fluvio adjacens, & turrim propugnaculi munimentum, & interjecti muri loricam, continente decem horarum ſpatio perſeveravit. decuſſaque propugnaculi projectura, ac lacera caducaque jam turri, oppugnationem adornabat, non tam ſpe Dunquerchæ potiundæ, quam inducendi militis in propugnaculum, ex quo imminens oppido, reliquas munitiones obnoxias haberet. Quum Camoſius, quod nec oppidanis fideret, nec externam opem, tentato nequidquam portu, ſperaret; ad Alexandrum mittit, ac poſt breve colloquium, Dunquercam tradit: ipſe militeſque gladiis tantummodo accincti, ſine ſignis ac ſupellectili emittuntur: oppidanos victoris arbitrio relictos benigne habuit

[Margin notes:]
à terra munitionibus exuitur.
*Angli pro Rege militantes.* Quatitur ejus propugnaculum:
Urbs deditur: 16 *Iul.*

2009 Ministerio de Cultura

habuit Alexander: miſſoque in Hiſpaniam victoriæ nuncio, gratulatus eſt Regi reductum in ejus poteſtatem ſex intra dies, amiſſis non pluribus duodecim ſuorum, ac totidem ferme ſauciis, portum, oppidumque mercatu ac piſcatu locuples, clauſo ex ea parte Gallis aditu in Belgium, ac Dunquercanis Hiſpano jam reconciliatis ad navigationes aperto, fructu in dies magis magiſque ſentiendo. 1583. magno partium fructu.

Neque hic diu moratus, impoſito Dunquerchæ Gubernatore Franciſco Aguillario Alvarado, ſtrenuo veterique Centurione, cum duobus Hiſpanorum, ac totidem Wallonum ſignis; exercitum Neoportum movit, unum è quatuor Flandriæ portubus, quinque Dunquerca leucis abjunctum. ſed oppidani quamvis & ſitu maris validi, & amnibus circa confluentibus vallati, tamen poſt dies ſeptem de dedendo oppido tranſegere. Nempe valuit apud eos Conſulis Dunquercani cohortatio, qui miſſus ab Alexandro cum litteris, Regiorum facilitatem, uti expertus, plurimum commendavit. Acceſſitque celeritas Alexandri, qui oppidanos, audita expugnatione Dunquerchæ, quum jam aperire aggeres maris, obices aggrederentur, feſtinata ſclopetariorum equitum turma oppreſſit: allatiſque Dunquercha tormentis, atque oſtentato aggreſſionis apparatu, plane deterruit. Dedito Neoporto, præſidiarii inermes amandati ſunt: oppidanis venia impertita: de hæreſum tantummodo magiſtris, qui capi potuere, captum illico ſupplicium. oppidumque reparatis templis, nam totum à Religione defecerat, ac relictis ad præſidium duabus Wallonum, una Germanorum centuriis, Deo, ac Principi reſtitutum eſt. Ad hæc Alexander, ne quam hoſti requiem daret, ſed conſultandi ſpatium celeritate præriperet, bellum huc illucque circumferens, copias duceſque alios alio diſtribuit: ac præter Oſtendam caſu adjutam à claſſe quinquaginta navigiorum ab Ordinibus auxilio Dunquerchæ deſtinata; ceterum Winociber-

*abuſque Caroli V tempore* Neoportum copias admovet Alexander: & capit: 23 Iul.

1583. *Furna mox arces alias in poteſtatem redigit.*

Steembergam expugnat Altapennius;

Alia proſpera à ducibus Alex.

*I. Baptiſta Taſſius Verdugi legatus.* Præſertim à Taſſio capta Zutphania.

cibergam, Vurnam, Dixmudam, arces haud invalidas: mox & Meninam recenti opere perquam munitam, ante Kalendas Auguſti in poteſtatem redegit. Acceſſit poſt paulo Steemberga ipſa ab Altapennio capta, magna cum viri laude. Nam quum ad ſcalas muris admovendas, intrare noctu foſſam milites reformidarent, aqua longe quam exploratores retulerant, altiore; ipſe intrepidus animi, primus per aquam collo tenus ſcalas inferens, tractiſque ſecum, tacito illo convicio, militum audacioribus, dein aliis aliiſque, oppido potitus eſt, ſui, ſuorumque, & hoſtium victor. Iiſdem diebus quatuor Hollandiæ cohortes, quæ Herentalia abibant Antverpiam, improviſo aggreſſi Lyræ præſidiarii, cæſis eorum circiter ducentis, interque eos tribus Centurionibus, totidemque ſigniferis, Lyram cum tribus hoſtium ſignis, & captivis quadraginta, victores rediere. Quo tempore quadringentis equitibus, ductore Odetto Tilinio Lanuæ filio; Cameracum ad Alenconium contendentibus obviam factus Toureſii Dominus cum Burgundis aliquot turmis, aſſumptiſque ex Hallenſi oppido præſidiariis, poſt breve prælium, omnes præter Tilinium, paucoſque comites fuga elapſos, aut interſecit, aut captivos abduxit. Sed longe adhuc felicius auxit per eos dies Tribunus Taſſius Regis partes, capta Zutphania: cujus urbis præſidiarii duo, multis ante menſibus, à Verdugi militibus capti, poſtquam, uti ſæpius oraverant, non redimebantur à Zutphaniæ Præfecto, haud reputante, LÆSAM ſæpius ſuorum patientiam nocentius furere, quam hoſtium odia; offenſi iratique, Verdugo monſtravere, qua ratione per molam pateret acceſſus ad propugnaculum ante portam urbis extructum. quo uſus indicio Taſſius, duobus tantummodo ſuorum amiſſis, urbem opulentam, atque unius ex ſeptemdecim provinciis caput, majori præda, quam cæde hoſtium intravit, obtinuitque.

Vnum inter hæc ubique proſpera exedebat

Ale-

2009 Ministerio de Cultura

Alexandri mentem, quod rei nummariæ, qua ſupra modum premebatur inopia, videret præſentiſſimas, & impendio quolibet mercandas occaſiones eripi ſibi, & nobilium victoriarum palmas pæne inter manus infringi. Itaque miſſo in Hiſpaniam Ioanne Richardoto Arteſiæ ſenatus Præſide, cujus prudentiæ multum merito dabat, gratulatus Regi noviſſimas victorias: quas ipſe, quoniam ſine hominum & munitionum jactura, ſine temporis diſpendio, ac ſine militari ære partæ eſſent, mera divinæ clementiæ miracula appellabat; orat enixe, *Conſiderare ne graveretur, quanta rei bene gerendæ opportunitas ſe ſe aperiret. Ducem Alenconium milite juxta atque authoritate diminutum, modo hanc, modo illam ſedem fruſtra mutare. Orangium ſive Ordinibus inviſum ob recens matrimonium cum Galla contractum, ſive Zelandis Hollandiſque ſuis ab regiis armis proxime timentem, in Zelandiam conceſſiſſe. Rebellium vires, ſuſpectis ſejunctiſque Gallis, extenuatas, & animos continuata clade perculſos. Sibi modicas quidem adeſſe copias, atque ad ſex bellatorum millia redactas. quippe multis ad præſidia captarum arcium diſtributis: &* VICTORIAM, *quo plura victis eripit, eo magis ſpargere atque extenuare victores: ſed ſi ab Hiſpania mitterentur auxilia, queis exercitum abunde ſuppleret augeretque; ſperare ſe, Deo duce, intra annum univerſa Brabantia potiturum. Immo ſi vis ſemel omnis, (quanta ab Regum potentiſſimo exeri poteſt ad profligandos hoſtes,) & non parce, uti nunc fit, partiteque adhiberetur; profecto nec majus impendium ærariis futurum, ſemel inſumptis, quæ in annos plures inſumerentur: & hoſtes, qui diviſis noſtrorum conatibus pares ſunt, conjunctis in unum viribus minores impareſque non dubie ceſſuros. Nimirum qui minutim decidunt imbres, abſorberi facile à terra: at ingenti aquarum ſimul ruentium vi ſterni campos, trahi ſilvas, obſtantia quæque perrumpi ac rapi. Sic hoſtibus eventurum, ſi tota in eos belli mole incumbatur. Alioquin vereri ſe, ne, dum pugnatur, & quaſi parcitur, bellum infinite alatur, & curæ Principis in longum onerentur.*

1583.

Alexander acceptas victorias

Regi gratulatus

promittit ob has cauſas,

*cum Aloyſia Gaſparis Colinii filia*

ſe Brabantiam & Belgium omne Regi acquiſiturum,

modo pecunia non adeo parce ſuppeditetur.

Ille

2009 Ministerio de Cultura

1583.

*Flandriam victoriis Alexander excurrit:*

*Ipras caſtello extructo infeſtat.*

Ille interim extruendo contra Ipras caſtello animum applicuit. Quum enim tantum non eſſet militum, quo urbem obſidione complecti poſſet; ſatis in præſens habuit, validæ munitionis objectu ſubvectiones, opemque, Iprenſibus à Gandavo, atque à Brugis, fœderatis urbibus intercludere. Vtque operis formam ipſe præſcripſit, ita manum cum primoribus exercitus primus admovit. Brevique arcem excitavit, in quam inductis ſexcentis peditibus, pleriſque Wallonibus, equitibus ducentis, octo majoribus tormentis, re cibaria ſex minimum menſibus ſuffectura, præfectoque arci Antonio Greneto Werpii Domino, viro forti fidoque; haud facile dictu eſt, quantum & Iprenſibus metum, & Gandavenſibus, Brugenſibuſque de præcipua Flandriæ urbe ſollicitis curas intenderit.

*30 Octobris. Echeloum capit, Het ſas & ſaxum Gandavenſe,*

Auxit vero terrorem, capto munitoque ad Liviam amnem Echeloo, medio Brugas inter, & Gandavum pago. unde in Waſienſe territorium intentus, cataractam alvei Gandavenſis, fugato equitum præſidio, occupavit. Tum Waſiam ingreſſo, ſparſaque per eum agrum, qui velut inſula è canali Gandavenſi & Scaldi fluvio efficitur, Farneſiani nominis fama;

*& Waſiam,*

Waſiæ Gubernator, relictis Ordinum partibus, Rupelmundam vetus oppidum, arcemque tradidit, Antonio Olivera, cum præſidiariis accepto.

*4 Novemb. & Rupelmund, & Axellam & Vlſtum, & Midelburgum,*

Mox dedidere ultro ſe Axellani, &, quod pluris fuit, Vlſtani ipſi, ac reliqui circa pagi arceſque, præter Midelburgum, quod Sluſæ vicinitate præfidens, defenſionem parabat: ad primos tamen tormentorum ictus in poteſtatem venit. magno utique non modo regiæ dominationis incremento, ſed commodo in primis militum, quos Alexander in Waſiæ tractum, frugum paſcuorumque feraciſſimum inductos, ſæviente jam anno tenuit in hibernis.

*Aloſtum tertia pars Fland. vulgo Dominium.*

*& Aloſtum,*

Atque, ut VICTORIAS ægrius incipias, quam continues; per eoſdem dies Aloſtum, urbs Flandrici dominii princeps in manus Alexandri venit, Anglis præſidiariis, quoniam



2009 Ministerio de Cultura

ſtipendia ab Ordinibus non ſolvebantur, urbem 1583.
dedentibus Orpheo Galliano Liecherchæ Gubernatori: qui aſſumptis, Alexandri juſſu, decem peditum ſignis, & quatuor equitum turmis, Aloſtum, nihil contra auſis civibus, improviſus obtinuit. Ipſe inter hæc inſumpto anni reliquo inviſendis ordinandiſque provinciis, ac procurandæ potiſſimum Religioni, captis in oppidis uſque adeo deſerte, ut Dixmudæ par tantum Catholicorum, Neoporti ne umbram quidem Orthodoxæ Religionis invenerit; Tornacum reverſus Richardotum ab Hiſpania lætus excepit Regis litteras perferentem, quibus ſua ille manu, poſt actas Alexandro gratias ob felices victoriarum nuncios, ad poſtulata de milite, deque pecunia, reſpondet in hunc modum. *Peditatum omnem hiſpanum, abſoluto jam Tertiis in inſulis bello, mitti ab ſe in Belgium, tres in legiones diſtributum. primam Lopeſii Figueroa, alteramque Franciſci Bobadilla (quoniam uterque Tribunus ſubſiſtere in Hiſpania neceſſe haberet) fuiſſe Ioanni Gamboa Centurioni, ac Ioanni Texeda legionis Inſtructori commendatas. tertiam ſuo ſub Tribuno Auguſtino Igniqueſio venire: omnibus autem ductorem Petrum Taſſium impoſitum, quem Inſpectorem univerſi exercitus nominaſſet.* Ipſe autem Taſſius ad Alexandrum ſcribens, conſtare ait haſce legiones militibus quinque millibus & quadringentis, uno & quadraginta ſignis comprehenſas. quorum viginti Lopeſiæ legioni, tredecim Bobadilliæ, Igniqueſiæ octodecim attributa eſſe. & quamvis ex hac ſumma, qua Gadis ante conſcenſas naves luſtrati ſunt milites, non parum, uti aſſolet, inde decreverint; in Inſubria tamen à Terranova provinciæ Gubernatore abunde ſupplendos affirmat. At quod ad militare æs attinet, Rex in iiſdem litteris hoc adjungit. *Iuſſiſſe ſe ex auro claſſe Indica recens advecto, in arce Mediolanenſi decies centena nummum aureorum millia deponi: ex eaque ſumma tercentena millia ſeparari, ac Parmenſi ſtatim mitti, ejus ad arbitrium inſumenda. reliqua ſepties centena millia ita diviſim*

extrahi,

10 Novemb. Alex.

1 Ianuarii 1584

litteris ab Rege & militibus,

Veedor general

30 Decembr. 1583

Cadiz

& pecunia acceptis, Millione,

2009 Ministerio de Cultura

1584. *extrahi, ut ſingulis menſibus centum quinquaginta millia ad catholici in Belgio exercitus ſtipendia ſuppeditentur.* Poſtremo Rex addidit, *Colonienſes, Bavarumque eorum Antiſtitem, repetitis litteris, opem adverſus Gebhardum Truchſeſium imploraſſe. Curaret proinde ipſe, ne tam juſto patrocinio res Catholica, neve ſpe Bavarus ſua fraudarentur.* Id quod Alexander, ejuſdem quoque juſſu Regis, ante præſtiterat. Admonituſque à Colonienſibus, ſe non tam militibus, quam militum ductoribus egere, Marcum Magdalenum Romanum, ac Rogerium Veronicum Tudertinum, illum haſtatorum peditum Italorum, hunc Wallonum peditum ſclopetariorum, ſpectatos bello Centuriones immiſerat. Poſtea vero ob iteratas Colonienſium ac Septemviri litteras, addiderat Blaſium Capiſuccum, quem paulo ante ſclopetariorum equitum, mox & lanceariorum turmæ præfecerat, commendatum à fama præclari facinoris, quo in Pictavienſi obſidione, quum Hugonoti ad invadendam urbem, flumini pontem injeciſſent, ipſe aquis immerſus, crebra inter hoſtium miſſilia, grandi cultro pontem intercidit, atque aditum ſubeuntibus interrupit. Dignus, cujus facti memoriam Romanus Pontifex ſanctioribus litteris inſeruerit. Hunc, uti dicebam, & Nicolaum Baſtam, veterem Epirotarum equitum ductorem Coloniam mittens Alexander, Colonienſibus reſcripſerat, Delectos à ſe fuiſſe ſtrenuos adeo, gnaroſque militiæ viros, ut horum conſilia, ſi occaſio ſe daret, tuto ipſe ſequi paratus eſſet. Nunc autem novo juſſu, copias alias atque alias, quantum propiores Belgii curæ patiebantur, expedivit, magno uti dein patuit Religionis bono, & regiarum partium fama. Quæ porro legiones eo deſtinatæ fuerint, quibuſque ſub Ducibus, ac rem prope univerſam, ego non aliena operi excurſione (nam Colonienſe hoc bellum ipſe demum Alexander abſolvit) in conſpectum dabo.

Jubetur Colonienſibus & Bavaro opem ferre.

Quibus jam per hoſce duces opem tulerat.

*qui poſtea Monterii Marchio*

*Pius V in Bulla 10 Maji 1567.*

ſed nunc majora pro iis parat.

COLONIENSE bellum.

Gebhardus Truchſeſius, Othonis Cardinalis Auguſtani fratre genitus, vix Archiepiſcopatum

patum

2009 Ministerio de Cultura

patum Colonienſem, & Imperii ſeptemviratum adiit, quum Agnetis Mansfeldiæ amore miſere captus, (erat hæc una ex virginibus, quas in Girreſemio gynecæo Canonicas appellant) de poteſtate mentis abiiſſe viſus eſt. Amoris initium hoc commemorant aliqui. Transtulerat ſe ſe Coloniam è Bonna Truchſeſius, componendæ paci inter Catholicum Regem, atque Ordinum provincias à Cæſare deſignatus, ut in loco narravi: atque in magna mortalium frequentia ad ſupplicationem Coloniæ indictam confluentium, Agnes advenerat. Forte per eos dies Scotinus, notum malas per artes nomen, Coloniæ agebat. is in Truchſeſii familiaritatem adſcitus, dum hominem ad inania facilem ſpectris ac præſtigiis oblectat, quodam die ab epulis ac vino incaleſcenti, remotis arbitris, pollicetur, ſe in ſpeculo, quod illic erat, imaginem formoſiſſimæ puellæ Coloniam tunc profectæ repræſentaturum. ſtatimque Agnetis facies, ſed quam ipſa, venuſtior, Truchſeſii oculos everberavit. Scilicet exarſit ille ad eum aſpectum: iiſdemque flammis ſibi, ac Germaniæ feralibus ex incendiario ſpeculo conceptis, nimis quam multos involvit. Exinde Agnetem Præſul inviſere, apud ſe invitare, Colonia in Turingiam abeuntem, Bruellæ in oppido Coloniæ proximo excipere, ac longe familiarius, quam Epiſcopum, ac puellam deceat, ſolus ſolam adhibere. donec evulgato flagitio, fratribuſque, nobilibus viris, maculam familiæ illatam ſanguine deleturis, Truchſeſius promittit, ſe repudiata Colonienſi Eccleſia, ac remiſſo Imperii Septemviratu, Agnetem ſibi conjugem aſſumpturum. Viſa hæreſum magiſtris opportuna occaſio novi Euangelii per Epiſcopi nuptias propagandi. certatimque Truchſeſium adorti, facile ſuaſere homini ducturo libenter uxorem, & Colonienſis Eccleſiæ præfecturam ægre depoſituro, ſacras ut infulas maritali vinculo colligaret. ſimul ab hæreticis Germaniæ Principibus animatus ad novam ſponſam Eccle-

[Margin:] 1584.

Initium ejus ab inſano Gebhardi Archiepiſcopi amore. *Michaël ab Iſſelt. lib. 1. de bel. Colon. & alii.*

Occaſionem amoris præſtigiis ſuis Scotinus offert.

*lib. 2.*

Inde in Agnetem Præſul incenſus,

ducere illam uxorem ſtatuit renunciato Archiepiſcopatu.

Sed animatus ab hæreticis,



2009 Ministerio de Cultura

1584. ſiæ ſponſæ ſuperinducendam; nihil ultra deliberandum putavit, quin tot Procerum conſiliis, ac votis potiſſimum ſuis obſequeretur. Ac ſtatim firmato in Epiſcopatum, & conjugium animo, atque (ut SCELUS ſceleri viam emollit) ejurata palam Catholica Religione, per quam ſacrilegum ſibi eſſe non liceret; infulatus Coloniæ Antiſtes, jampridem inter initiamenta ſacrorum, Deo votus dedicatuſque, magno luxu pompaque nuptias, Calviniano parario, cum Agnete Mansfeldia celebravit, nuptamque in ſacram Archiepiſcopatus aulam maritus Præſul induxit. Atque hiſce demum gradibus, prima illa intemperies ludicras præſtigiatoris artes inſpectandi, præcipitem egit Colonienſem Antiſtitem, ignarum non alio dæmonem pretio ludos homini facere, & oblectamenti poculum vere Circæum propinare, niſi ut in obſcænos pecudum mores cupiditateſque degenerem, inſerto in os freno ſubactum veluti jumentum circumducat. At vero Senatus, populuſque Colonienſis, atque in primis Archiepiſcopalis collegii Sodales, *Fideles* (uti in ſignatorio annulo præſeferunt) *Eccleſiæ Romanæ filii*, ſæpius cum Archiepiſcopo de ſuſpicione mutandæ ab eo Religionis (mutatam nondum audierant,) queſti jam erant. idem Rodulphus Cæſar, rem in Imperio novam minime paſſurus: idem ſummus Pontifex, properato nuncio I. Franciſco Bonhomio, Epiſcopo Vercellenſi, ex interioribus alumnis Divi Caroli Boromæi, accurate præſtiterant. Sed præpotuere apud illum, præter impotentem amorem, ſuaſorum omnium potentiſſimum, Palatinus Septemvir, Comes Nivenarius, Dux Bipontinus, Caſimirus, aliique confeſſionis Auguſtanæ Proceres: quorum multi per legatos, plerique coram, ne de ſuſcepto conſilio quidquam mutaret, arma ei, ac pecuniam abunde promiſere. Et armis videlicet opus fuit. Namque ubi ille audiit, ſententia à Gregorio Pontifice per Epiſcopum Vercellenſem, Coloniam tranſmiſſa pronuncia-

Retento Archiepiſcopatu,

& ejurata Religione Catholica,

*Bonnæ*

celebrat nuptias cum Agnete.

Queruntur cum Archiep. ſuper hac re Colonienſes. *Canonici*

Queritur Cæſar, *Greg. XIII.* & Rom. Pontifex reducere illum conatur.

Sed prævaluere hæretici Principes, *Elect.*

arma & pecuniam offerentes.

2009 Ministerio de Cultura



ADOLPHVS, *Comes Meurſiæ, Nienaer, Alpen, etc. Præfectus Gelriæ et Vltrajecti.*

2009 Ministerio de Cultura

2009 Ministerio de Cultura

nunciataque, ſe à fidelium communione ſejun- 1584.
ctum, atque Archiepiſcopali ſede motum, adeoque Imperii Septemviratu exutum: ac indictis inde comitiis à ſacri Collegii ſodalibus, Colonienſem Archiepiſcopum, magna populorum gratulatione, creatum Erneſtum Bavarum Friſingenſem, ac Leodienſem Epiſcopum; illico expedivit, quæ jam arma comparaverat. Expedivere cum eo Ioannes Palatinus Bipontinus Dux, & Adolphus Solmenſis Comes, & Ioannes Caſimirus, & Carolus Truchſeſius Gebhardi frater, auxiliis non è Germania modo, ac per Ioannem Naſſavium Orangii fratrem è Belgio, ſed etiam è Gallia, atque ex Alenconii reliquiis, ductore Carolo Mansfeldio, Agnetis fratre, qui in Alenconii caſtris militaverat, evocatis. Nec ſegnius ex altera parte Colonienſes, ac novus Antiſtes, delecto militiæ Duce Salentino Comite Iſemburgio, cum Friderico è Saxoniæ Ducibus, bellum adornabant. Atque ubi primum aucti ſunt tribus peditum millibus, & quingentis equitibus, pleriſque veteranis, quos ſub Carolo Lignyo Arembergii Comite, immiſerat è Belgio Parmenſis Princeps; obviam conatibus hoſtium ivere. commiſſiſque ſæpenumero præliis, ac prætentatis utrinque arcibus, ſucceſſu diu vario productum eſt bellum. Poſtremo à Gulielmo Bavariæ Duce, Erneſti Præſulis fratre, conſcripto exercitu, atque à Ferdinando ejuſdem fratre juniore Coloniam deducto: ſimul à Parmenſi novis primariorum militum auxiliis, Tribuno Ioanne Manriquio, ad Arembergium feſtinatis, Truchſeſiani paulatim ceſſere. ac pleriſque oppidis, arcibuſque in Colonienſi præfectura ſpoliati, intra Bonnam, vetus ad Rhenum oppidum, præliis olim Romanarum legionum nobile, compulſi ſunt. Acceſſit & Caſimiri, qui ceteris acrior partes propugnabat, repentina diſceſſio. is enim ſeu Cæſaris edicto perterritus, ſeu potius militiam non minus nunc in Germania, quam pridem in Gallia, atque in Belgio infeliciter expertus,

Ipſe interim exauthoratur:

& creatur pro illo Erneſtus: *Caſim. Electoris frater*

contra quem arma parat Gebhardus & alii cum eo:

& pro Erneſto alii.

*Varie pugnatur.*

Sed novis auxiliis auctus Erneſtus arces complures expugnat.

*Tac. lib. 4. hiſt.*



2009 Ministerio de Cultura

1584. pertus, audita Ludovici Septemviri fratris morte, nactus occaſionem, in patriam contendit. neque id abſque infortunio, inſequente illum Arembergio, multoſque ex diſſolutis palantibuſque ejus ſociis jugulante. Reſtabat adhuc Bonna, belli, & Truchſeſii fortunarum caput. Hanc partim à Bavaris, partim ab auxiliaribus Farneſianis obſeſſam Carolus Truchſeſius Gebhardi frater, ſpe majore quam viribus, defendebat. Verum de ſpe quoque multum remiſit, poſtquam cæſa eſſe, quæ à Gebhardo Bonnam è Weſtphalia mittebantur auxilia, perlatum eſt. Auxitque ſollicitudinem fortuita quidem res, ſed METV anxiis omnia in portenta vertuntur. Nam ferreus globus è caſtris directus in Caroli ædes in Rheni ripa conſtructas, quum intimum conclave perterebraſſet, ejus tantummodo gladium lecto appenſum, baculumque imperatorium in fruſta comminuit. Quod quia eodem propemodum tempore contigit, quo ex Gebhardi inſignibus Bonnenſi curiæ præfixis, tres gentilitii leones ad terram, impellente nullo, decidere; crevit Carolo cura, quippe memori, quid ante aliquot annos Gebhardo tunc Colonienſis Collegii ſodali eveniſſet Antverpiæ: ubi, dum arcum inſpiceret Annæ Auſtriacæ poſitum, ac Cæſaris Septemvirumque teſſeris exornatum; delapſa inde Archiepiſcopi Colonienſis inſignia in ejus pileum, ille ſecum quam lætiſſime detulit, quaſi omen ſecuturæ dignationis acciperet. Quæ Carolus animo repetens haud dubie conficiebat, non minus vere in præſentia monſtrari finem fortunæ fratris, quam olim principium non falſo præſignatum eſſet. Sed certius multo, ac triſtius ei portentum fuit tumultus Bonnenſium præſidiariorum. ad quos quum Manriquii opera penetraſſet edictum Cæſaris, quo Duces juxta ac milites, qui à Gebhardi ſignis non diſcederent, hoſtes Imperii pronunciabantur; non ultra Gebhardo fidi, in fratrem reſurgunt: ipſum, ac Centuriones ex primariis duos, vinculis

*Poſtremo Bonnam obſidet:*

*defendente eam Gebhardi fratre.*

*Qui territus ſiniſtro omine,*

*Canonicus*

*& ſuorum tumultu,*

*ab iis vinctus traditur Erneſto.*

2009 Ministerio de Cultura

culis adſtringunt: petitoque ad dedendam urbem colloquio, miſſiſque decem è ſuis ad Septemvirum, ipſi è mœnibus conſpicui, ratum ſe habituros quidquid allegati milites decreviſſent, elata omnes dextera manu ſignificant. Finis colloquii fuit, Quatuor auri millia præſidiariis ſolverentur: præſidiarii Carolum, & utrumque Centurionem vinctos traderent: egredienteſque urbe vexilla Truchſeſiana diſcerperent, teſtantes, nolle ſe in poſterum ſub ſignis edicta Cæſaris, Imperiique, ſpernentibus militare. Ac ſecuto die Septemvir Erneſtus triumphanti ſimilis, ductis ſecum captivis Carolo Truchſeſio, ac Centurionibus, Bonnam ingreſſus eſt. At vero Gebhardus, magis belli cauſa quam Dux, reparato utcunque per Cliviam exercitu, à Verdugii copiis obviam factis, atque ab inſequentibus Bavaris, noviſſima clade affectus, Veſaliam ad amicum Holachium primum confugit: mox amiſſa in præſens retinendæ ditionis ſpe, Delphos ad Orangium in Hollandiam ſe recepit, ſacro Colonienſis Eccleſiæ principatu ejectus, è Septemvirum numero expunctus, oppidis, arcibus, exercitu ſpoliatus, à Religione Catholica, à Chriſti fidelium conſortio exul, unam ſecum Agnetem trahens, veluti damnatus ad funeſtam malorum ſuorum originem ante oculos ſemper habendam, ſemper averſandam.

1584.

Bonnam ingredienti. 1584 29 Ian.

& Gebhardus ipſe alibi victus,

Spoliatus rebus omnibus in Hollandiam ſe recipit.

Læta hæc victoria Alexandro fuit: non ſolum aucta inde ſuorum militum exiſtimatione, quorum virtuti ſucceſſum in primis deberi vulgo conſtabat, & Erneſtus ipſe gratiis Alexandro luculenter actis conteſtatus eſt: ſed etiam quod ſe liberum à metu videret, ne victores hæretici, occupato Rheno, promiſſam Belgarum provinciis opem, Caſimiro Duce, uti inter eos convenerat, importarent: ideoque dejectis ab ea expectatione hoſtibus, ſperaret ipſe, quæ in Flandros moliebatur, multo ſe facilius executurum. Conſilium enim erat, principes Flandriæ civitates, Gandavum, Brugas, Ipras,

Gaudium ex victoria Colonienſi.

& fructus.



2009 Ministerio de Cultura

1584. quoniam aggredi, atque obſidione concludere non poterat, quippe ambitu, ſituque, & defenſorum numero prævalidas; certe captis circa pagis arcibuſque, erectis contra munitionibus, obſeſſis itineribus, inſeſſis fluminibus, tandiu urgere infeſtareque, dum aut intutas ac feſſas ad deditionem flecteret, aut ſuppeditata ab Rege pecunia militeque inſtructior ipſe, potentiorque ſubigeret. Et opportune cohortes aliquot advenerant ab Italia, quibus ad legiones Italicas adjunctis, novos ex occaſione præfectos impoſuit. Et pro Camillo à Monte, ac Mario Carduino, veteribus Tribunis, illo ad aliquot urbium præfecturas traducto, hoc è vivis per eos dies ſublato, Tribunos nominavit, dum Regi probarentur, (uti poſtea miſſis ab Hiſpania patentibus litteris probati ſunt) Gaſtonem Spinulam militaris animi virum, & Camillum Capiſuccum, notum jam ſibi, quum is ſecutus patruelem ſuum Cincium Capiſuccum, Pontificiæ claſſis Tribunum, in navali prælio ſtrenue militavit: unde duobus poſt annis in Tunetana expeditione, quadringentis in puppi Nobilibus ab Ioanne Auſtriaco præfectus eſt. Advenere eodem quoque tempore ab Hiſpania è flore Italicæ nobilitatis Hippolytus Marchio Bentivolus, Cæſar Davalus Vaſtii Marchio, Alexander Aquaviva Aragonius, I. Hieronymus Doria Principis frater, & Lucas Maximus Lelii filius: quos ex aula Hiſpanica in Belgium proficiſcentes, Rex primos quidem Luſitanico in bello ſpectatos, quartum ſuos inter ephebos aliquandiu enutritum, ſingulis ſeorſim litteris, Alexandro Belgica erudiendos militia in manus tradidit: quintum, præter Regis litteras cum laude juvenis exaratas, Octavius Parmæ Dux compoſita ad Alexandrum filium epiſtola, eo quoque nomine commendatum voluit, quod is ob aviam Columnam, conſanguinitate Farneſios attingeret. Horum autem honorariorum militum, & quas dicebam cohortium auctus acceſſu Alexander, conſilium

Flan-

Tres ſimul urbes Flandriæ primarias aggreditur Alexander,

auctus ab Italia militibus,

*ſequenti anno*

& novis Tribunis impoſitis.

*Ex patentibus Auſtriaci litteris 1573.*

*16 Febr.*

2009 Ministerio de Cultura

Flandriæ multis è locis attentandæ maturavit. 1584.
Iamque Ipræ menſes aliquot extreme laborabant, irrito ſemel atque iterum Brugenſium conatu opem ſociis ferre molientium. Quumque iidem poſtremo carros omnino centum alimentis, ac munitionibus oneraſſent, additis ad præſidium ducentis quinquaginta equitibus, & peditibus quingentis, delectis è ſingulis nationibus, Ipras cum hoc apparatu obſirmatis animis irrupturi; haud feſellere intentum per exploratores Werpium, caſtelli apud Ipras excitati Præfectum; qui educta inde militum ſuorum parte, parte è vicinæ Dixmudæ præſidio accita, cum lanceariorum turma Caroli à Luna, inſidias Brugenſibus parat: venienteſque repente aggreſſus, poſt acrem, ſed imparem improviſo circumventis pugnam, hoſtem fundit, cæſis circiter quingentis, captis vehiculis omnibus, præda partim victoribus diſtributa, partim in caſtellum inducta, & quod pluris habitum eſt, Brugenſi civitate militum robore exuta. Nec quies Gandavi erat, annonæ penuriam, ut magno in populo, facile ſentientis. quippe jam captis tum Echeloo ad amnem Liviam, atque adeo dirempto cum Brugenſibus commercio: tum alvei Gandavenſis oſtio ad Zelandicum mare, per quem & in urbem advehi, & exportari ex urbe commeatus, ac merces conſueverant. Inde multorum voces exaudiebantur, pacem cum Parmenſi Principe flagitantium: fovebatque horum partes occultis ſermonibus Campinius Granvellani Cardinalis frater, qui etiam tum Gandavi laxa cuſtodia attinebatur. Sed in primis cœpta promovit, qui populum arbitratu ſuo moderabatur, Ioannes Enbyſius Gandavi conſul. Hic enim ſuſpicatus, ab Orangio invideri ſibi tantum authoritatis apud Gandavenſes adepto, ideoque inſidias capiti ſuo ubique tendi; clam ceteris, Manuyno Aldenardæ Gubernatori aperuerat, ſe cupidum civitatis ad Regis obſequium revocandæ. Alexander rei admonitus, quo negotium

Ipras fame premit.

*Brugenſes* commeatus ad eos miſſus à Brugenſibus

intercipitur ab Alex. duce,

cum Brugenſium militum clade,

Gandavum ad famem redigit:

non ſine civium quereliſ:

quas adjuvat urbis Conſul pacem ſuadens.

ſed ſuadet magis Alexander ſpem annonæ undique præcidens;



2009 Ministerio de Cultura

1584. tium magis urgeret, urgendam magis premendamque civitatem duxit, expertus in hujuſmodi colloquiis, nullo efficacius argumento, quam injecta neceſſitate perſuaderi. Itaque ut Gandavo interclusis jam ſubvectionibus à mari, ſpem annonæ ab Antverpia præcideret, collectis equitibus quingentis, & peditibus circiter mille, Antonii Oliveræ ductu, Wetræum pagum in ripa Scaldis occupat: ac Plati, bellici machinatoris opera ſtrato ibi ponte, & caſtello ad alteram ripam impoſito munitoque, atque adeo obſeſſa navigatione, amicas Embyſio litteras, & Gandavenſibus famem mittit. Nec multo poſt, Embyſio tranſigente, cum Manuyno, ac Centurione Segura, quem Manuyno Alexander addiderat; allegantur civitatis nomine Tornacum ad Alexandrum, Carolus Viſenhovius, & Antonius Heymanus, poſtulantes ut colloquio locum nominaret, atque interim ceſſationem armorum aliquam permitteret, ac liberam navigationem. Ille Tornaco, aut Aldenarda ad colloquium propoſitis, & armorum ceſſatione haud negata, & navigatione ad extrahendas merces, non autem ad importandam annonam, aut munitiones belli, conceſſa; legatos cetera humaniſſime habitos Gandavum remiſit. Gandavenſes, prælato ad colloquium Tornaco, ubi erat Alexandri aula, dum de legatis eligendis inſtruendiſque deliberant, prompto opportune commento certiores fiunt, Oſtendæ appulſam eſſe claſſem, Gandavenſium auxilio deſtinatam. Et viſæ quidem fuerant prope Oſtendam aliquot naves, nam FALSIS ex vero fides peti ſolet: auxiliaturas autem Gandavenſibus callide compoſuerant Orangiani, ad colloquium cum Parmenſi Principe Gandavi dirimendum: ſimul ad conſilium ſuſceptæ expeditionis occultandum. Eas enim naves recuperando Neoporto directas eſſe à fœderatis provinciis, patuit in hunc modum.

*Hinc legatos ad eum mittunt Gandavenſes.*

*Hier. Ruiz Segura*

*Alexan.*

*Mox hærent ac mutant ſpe novi auxilii;*

*quod tamen auxilium deſtinabatur recuperando Neoporto,*

Anus erat, delira vulgo habita, ultro citroque Neoportum Oſtenda commeare ſolita, & utro-

2009 Ministerio de Cultura

utrobique ludus puerorum. Hanc quodam die Neoportum ingredientem ſiſtit in porta, præter morem, ſtationis decurio: & (ſive terrefactam vidit, ſive potius hanc Deus neſcienti mentem indidit) trahit quaſi fraudis compertam ad Alvaradum loci Præfectum. Is quamquam nullo doli indicio, excuti illam inſpicique extemplo jubet. atque intortos inter crines repertæ aliquot epiſtolarum ſchedulæ aperuere hoſtium conſilia. Ita enim inter Oſtendæ ac Neoporti oppidanos convenerat: ut illi ante hujus portum, appetente nocte, cum aliquot onerariis apparerent: quibus viſis Neoportenſes ad collapſam jampridem muri partem accurrerent: ibique ſtationarios, qui non plures viginti eſſe conſueverant, jugularent. ſimul viciniæ molitor ſignum rei, quæ in oppido ageretur, conſpiratis intra onerarias latentibus expediret: qui intrepide hiatum muri ſubeuntes, adjuti protinus ab oppidanis, mox ab accedentibus aliis navigiis, Neoportum occuparent. Hiſce detectis, actiſque in furcas vetula, molitore, atque aliis nonnullis, inſtitutaque in reliquos veri quæſtione, proditio nulla fuit: & Gandavenſes magis amiſere ſpem præſentis auxilii, quam retulere animum ad concordiam. Nam prævaluerant jam Orangiani: Embyſiumque velut Hiſpanarum partium manifeſtum conſulatu exutum, domi attinebant. donec Richardoti Præſidis ab Alexandro ſubmiſſi perſuaſione, Embyſius libertati, & legatio intermiſſæ conſultationi reddita ſunt. Nec Alexander quidquam mutaverat. Sed quæ ceſſare voluerat adverſus Gandavenſes arma, ea in Brugenſem agrum verterat, magna inde præda quotidie reportata. unde captus inter alios Denneterius, nobilis Chimacii Principis aulicus, redeundi ad obſequium Regis, initium Brugenſibus fuit.

1584.

*addita proditione, anu miniſtra, Caporalo*

cum litteris inter capillos.

Proditio detegitur,

Turbantur rurſus Gandavenſes:

demum placati de colloquio, deliberant.

Brugas aggreditur Alex. primum armis,

Regebat Brugenſem urbem Carolus Croyus Chimaci Princeps, Ducis Areſchoti filius, qui ſuperiore anno Regis partes, multa patris in-



2009 Ministerio de Cultura

1584. dignatione deſeruerat. Chimaco, ejuſque arci præerant Denneterius, qui ut ſe ab regiis armis tueretur, advocare in arcem ſtatuerat præſidium Alenconii, ſcripto ad ejus Centurionem, veterem amicum, conſilio modoque. Et quoniam eodem tempore ad multos, interque illos ad Areſchoti Ducem, litteras exarabat, epiſtolam Centurioni ſcriptam per indiligentiam Areſchoto inſcripſit. Areſchotus cognito errore, ſimul & arcis periculo, illuc cum militum manipulo accurrit: reperitque, Denneterium, qui detectum ſe ſenſerat, Brugas ad Principem aufugiſſe. Sed Brugas prementibus, uti dicebam, Farneſianis armis, Denneterius in manus venit Alexandri. qui gnarus, quantum is apud Chimaci Principem gratia præſtaret, hominem clementer acceptum paulatim induxit, ut hero ſuo reconciliationem cum Rege perſuaderet. Et ipſe Alexandri benignitate captus, oblatas ſibi partes libens accepit, non dubio uti ſperabat eventu, ob recentes offenſiones, quas ſciret Chimacium inter, atque Orangium intercedere: quod hic Brugenſi præfectura illum movere clam attentaſſet, palam autem Sluſam invaſiſſet, Gubernatore, quem ei loco Chimacius impoſuerat, contra Chimacium verſo. Itaque Denneterius opportunitate uſus, ſpem ab hero magnam reconciliationis ſtatim retulit: & ab Alexandro ceſſationem armorum, quam Brugenſes exoptabant, dum res agitaretur, impetravit. Nec poſt multo delecti, qui Magiſtratus populique Brugenſium nomine Alexandrum adirent, Gandavi ſe cum ejus civitatis legatis conſociavere: ac trium eodem tempore populorum legati, Gandavenſium, Brugenſium, ac Franconatum (ſunt hi poſtremi ex territorio Brugenſi, ſed inde exempti, & quartum Flandriæ membrum componentes) Tornacum ingreſſi ſunt. poſcebantque, ut cum eorum reconciliatione, Brabantiæ aliarumque provinciarum cauſa conjungeretur, laxiora ſibi in ea plurium ſocietate pollicentes. Id

postea per Chimaci Principis aulicum,

Chimacium Brugarum Gubernatorem ad regias partes attrahit *Orang. Chim.*

cujus opera legati ad Brugenſes mittuntur ab Alex.

una cum Gandavenſium, & Franconatum legatis.

2009 Ministerio de Cultura

Id quod Alexander præciſe negavit, haud ignarus, lenta nimium eſſe, quæ in commune agitentur: & GLISCERE in arbitrantium cætu confidentiam, quaſi privatim ſibi non timeant, dum multitudine teguntur: dumque elementorum inſtar, in rerum, quas componunt, miſtura non apparent: OBSEQVENTES ſinguli, contumaces univerſi. Saltem ut Ipræ, tanquam tertium Flandriæ membrum, reconciliationis negotio insererentur, inſtabant apud Alexandrum legati. Quum in ipſa diſceptatione ſupervenit ab Werpio nuncius deditionis Iprarum, conditionumque, in quas urbs Parmenſi Principi reddebatur. Quæ conditiones ab ipſo paulum mutatæ, remiſſæque ad Werpium, hæ fuere. *Vt Iprenſes Parmenſi Principi, ſupremo Belgarum pro Hiſpano Rege Gubernatori urbem dedant, in Werpii, obſidionis Præfecti manus, militibus quales Rex volet inducendis, Magiſtratibuſque Regis arbitrio creandis. Iidem ſtipendia ſex menſium perſolvant caſtelli Werpiani præſidiariis: reliquarum vero circa Ipras munitionum militibus ſtipendia unius menſis. Iidem Parmenſi Principi tradent Marquetium loci Gubernatorem, Centuriones duos, & primarios cives quatuor, quorum in libertatem, inque vitam, Parmenſi jus erit:* quamquam Gubernatori promiſſum ab Werpio clam fuerat, illum trium millium aureorum pretio in libertatem aſſerendum. *Milites* (ſupererant illi paulo ſupra ſeptingentos) *relictis telis, armiſque omnibus, ac vexillis, gladio tantummodo accincti emittantur, jurati ſe nunquam adverſus Hiſpaniæ Regem induturos arma.* Sic Ipræ, poſt ſeptimum menſem Werpio cum Italis præſidiariis ingreſſo, venere in poteſtatem Regis. Perculit enimvero legatos ea primariæ urbis improviſa deditio, mitioreſque tractandis inde conditionibus effecit. Tres huic diſceptationi viros impoſuit Alexander, Marchionem Renthiacum, Præſidem Richardotum, & Vaſſeurum à ſecretis: qui cum legatis agentes ne forte in Religionis negotio aberrarent, juſſit eos colloquium mode-

1584.

Ipræ ſe interim Alexandro dedunt,

*Alexand.* in has conditiones,

12 *April.*

Cum aliis legatis de deditione agitur:

*Hi fuere Epiſcopi Tornacen. Ruremundan. & Brug. Abb. S. Vedaſti & S. Martini Elent. Pont.*



2009 Ministerio de Cultura

1584. conficiuntur capita: moderari ex Theologorum reſponſis, quos doctrina & fide præſtantes ad hanc rem coëgit. Ab his compoſita demum deditionis capita, alia Gandavum, Brugas alia legati retulere, ſucceſſu longe diverſo. Nam Brugis, adnitente Areſchoto Duce, qui ad Chimacium filium conficiendæ rei gratia ſe contulerat, magno civium aſſenſu excepta ſunt. In iis Religioni Catholicæ in primis cautum: Hæreſeos exercitium plane vetitum: hæretici ad certum tempus tolerati, dum modeſte, ac ſine cujuſquam offenſione degerent, offenſionis interpretatione penes Regem, regiumve Belgii Præfectum relicta. Condonatum quidquid in communi provinciarum rebellione adverſus Principem à Brugenſibus, atque à Franconatibus, (nam una erat horum cauſa) ad eum diem peccatum eſſet: ac præſcriptum eis novum obedientiæ fidelitatiſque ſacramentum Regi dicendum, accipiente illud Areſchoto Duce, Alexandri nomine: à quo is urbi Gubernator datus eſt pro Chimacio, curationis cauſa Cominium, ditionis ſuæ oppidum, procul à turbis profecto. Præſidium Brugis nullum, ſed Dammæ, oppido Brugis proximo, unde Brugæ cuſtodirentur, impoſitum. Curatum, ut octo præſidiariis Scotorum centuriis, quæ Brugis egreſſuræ accipi Farneſiana in caſtra peroptaverant, ſtipendia à Brugenſibus ſolverentur; uti ſolutis, libenter Alexander admiſit, quo illum militiæ nervum hoſti adimeret, adderet ſibi. Poſtremo inductus Brugenſis Epiſcopus, qui urbem expiaret, majorum ſacra reſtitueret, reduces orthodoxæ Eccleſiæ reconciliaret. Epiſcopum ſecutus eſt aliquanto poſt Alexander: qui, quod multis precibus, legationibuſque ſimul ab Iprenſibus, ſimul à Brugenſibus evocaretur, poſtquam magna populi gratulatione Ipras inviſit, civilemque ſtatum ordinavit; præmiſſo Brugas agmine nongentorum peditum Wallonum, Werpio ductore, ipſe tribus equitum ſignis comitatus ingreſſus eſt urbem,

*Brugæ excipiunt illa, in has leges*

*Rect. Coll. Turnac. Soc. Ieſu. Jo. Fernandez Soc. Ieſu Confeſſ. Parmen. & alii. 25 Maji*

*Tum Alexandrum ad ſe invitant. Qui poſtquam Ipras inviſit,*

2009 Ministerio de Cultura

bem, apparatiſſimo geſtientem ornatu arcuum, ſimulacrorum, artis ingeniique operum: ac frequentia infinitæ multitudinis ad videndum Alexandrum excitæ, feſtiſque paſſim vocibus Hiſpano Regi, ac Parmenſi Principi acclamantis. Triduum Brugis commoratus, ſcriptiſque inde ad Regem litteris, gratulatus eſt ei acceſſionem ampliſſimæ pulcherrimæque urbis, quam perſpecto populi ingenio, ad pacem obſequiumque erga principem propenſo, fideliſſimam Majeſtati ejus, vel ſine ullo præſidio, futuram pollicetur. At vero Gandavi longe aliter excepti ſunt, qui Tornaco redierant, legati: hæreticis, quorum reſerta civitas, in foro, in triviis, è ſuggeſtibus, pacificationis capita cavillantibus, infidamque omnem cum Hiſpano concordiam arguentibus. Contra ſatagentibus Catholicis: ac modo illis, duce Rihovio Teneramundæ Præfecto: modo his opera Campinii, Seguræ, atque Eubyſii, prævalentibus, ſeque viciſſim carcere, exilioque mulctantibus; mare profecto Gandavum erat factionum æſtu fervens, ac reciproco ſe ſe niſu frangens, hauſtuque ſorbens. Donec inducto in urbem ab Antverpia, ac Bruxellis armatorum auxilio, præpotuere adeo hæretici, ut pulſis urbe pleriſque Catholicorum, Campinio in carcerem tradito, Segura elapſo, Eubyſio tertium Conſule ſcapitis damnato, Gandavenſes novo cum Brabantinis fœdere conjuncti, agitatas de pace conditiones Alexandro ſuperbe renunciaverint. quas tamen conditiones longe duriores fame dein domiti, ut in loco dicam, ab Alexandro petere coacti ſunt.

1584. Brugas magno apparatu geſtientes ingreditur; & Regi ſucceſſum gratulatur. *5 Iul.* At Gandavenſes ſuper deditionis capitibus diu certant: *Feder. Perenot. Campin.* denique rejiciunt.

Hæc porro tam multa Belgis fœderatis adverſa compulere illos, ut intermiſſum de revocando Alenconio negotium reſumentes, deſtinatis in Galliam legatis, novas amplioreſque multo conditiones offerrent: adeo, ut Alenconio abſque liberis obeunte, adjuncturos ſe Galliæ regno Belgii provincias ultro ſpoponderint. At ſero hæc agitabantur. Namque ipſe morbo

DE MORTE Alenconii. Ad eum revocandum mittunt fœderatæ provinciæ. Sero.



2009 Ministerio de Cultura

1584. Morbi cauſa peculiaris. *Haræus in Bel.*

bo ex mœrore contracto, quod ſuper infauſtam, hærentemque animo memoriam Antverpienſis cladis, nuper inaudiſſet, (nam aliquandiu eum cælaverant) compoſitum Antverpiæ decretum, ut dies quo Galli urbe pulſi fuerant, ſacer quotannis, ac feſtus Antverpienſibus haberetur; ignominiæ impar, quadrageſimo morbi die, in Theodorici caſtro, anno ætatis ſuæ trigeſimo, non ſine pietatis ſenſu extinctus erat. Medicata potione ſublatum prodidere ſcriptorum aliqui, uti ferme ſolent in obitu Principum: quaſi vero communi privatorum fine decedere, ob æqualitatis metum illis indecorum ſit. Ego ſuper hoc affirmare nihil habeo. potius crediderim, tum magnam veneni partem Alenconio propinatam à ſuis, quum ei indignum in Antverpiam facinus perſuaſere: & multo maximam à Parmenſi Principe, quum illum Dunquerchæ pæne captum Belgio ejecit. Ex eo enim tempore, æger animo, mox etiam corpore, nullum mœroris allevamentum admiſiſſe viſus eſt: ſedulo apud ſe reputans, ubi illa Liberatoris Belgarum adverſus injurias Hiſpanorum, ubi Brabantiæ Ducis, ubi Flandriæ Comitis quæſita nomina? quam diſpar exitus è Belgio, atque illuc ingreſſus? quorſum evocatæ è Gallia tot armatorum copiæ, tot è Regis ærario tranſmiſſæ in Belgium opes, tantum ſanguinis fuſum, tantum Nobilitatis amiſſum? Et vero omnem fere Alenconii vitam ex hujuſmodi lætis initiis, atque ex infelicibus extremis fuiſſe contextam, facile agnoſcet, quiſquis illum recordabitur aut in Gallia Hugonotorum Ducem adverſus regias partes magnifice delectum, ac ſtatim captum, & longa cuſtodia coërcitum: aut Angliam glorioſe ingreſſum, velut Reginæ ſponſum, inſulæque Regem, ac paulatim ſpe nuptiarum evaneſcente deluſum: aut in Belgio inauguratum ſumma populorum lætitia Principem; & tamen ex tot urbium, arciumque, ac provinciarum dominatu, nihil poſtremo conſecutum, præter Bel-

*Thiery* 10 *Iun.*

Mortem veneno tribuunt aliqui: *Reidan. l. 3. & Thuan l. 79. & alii.* ſed in aliud veneni genus referenda mors videtur.

Aliqua ſuper ejus vita:

©2009 Ministerio de Cultura

Belgarum execrationem, præproperam è Bel- 1584.
gio fugam, trucem animo pœnitentiam, atque inde mortem. Nimirum huc illum traxit fraternæ potentiæ vetus æmulatio, invidiaque: dum non ſe cogitat ſummo Regni faſtigio proxime admotum, & propediem (nam frater expes liberum jam erat) in ipſo faſtigio adorandum: ſed ſe dum poſthabitum uni à fortuito videlicet naſcendi ordine omnino non ſuſtinet: atque adeo fortunam ſuam à deteriore parte dum ſpectat; animo inquies, fratri ac regno gravis, turbulentis tantum hominibus in belli titulum aſſumptus, pro imperio, cujus partem aliquam quoquo locorum quæſivit, fatum ſibi inconſulta aviditate feſtinavit: ac ſimul inteſtinas Galliæ diſcordias, & bella pluſquam civilia poſt ſe reliquit. Nam, Valeſiorum ſtirpe exareſcente, quum ſucceſſionem regni ad Borbonios devolvendam, geſtientes jam tunc hæretici Henrico Navarræo Regi, factionis Principi gratularentur; Catholici, quorum partes ducebant Guiſii Borboniis infenſi, inito fœdere, evocataque Hiſpani Regis ope, (ne ex Hugonotis aſſumeretur, qui aliquando regnaret in Gallia) conſpirarunt: ſciſſo inde, ſi unquam, regno, ſecutiſque bellis, quorum ego partem, quantum operis mei erunt, quum locus admonuerit, enarrabo. In Belgio ſub hoc tempus Principi Alexandro, magnis ſane curis allevato, ex obitu Alenconii, nunciatur Guilielmi Bergenſis Comitis ad regias partes acceſſus. Vnus hic ſupererat è quatuor illis Proceribus, qui Margarita Parmenſi, Philippi Regis ſorore, Belgium moderante, primas turbas cæptavere. Regebatq; tunc pro Ordinibus Geldriam, quum ab iiſdem ex ſuſpicione captus, quaſi diſceſſum à partibus meditaretur: dein ab Orangio, cujus ſorori matrimonio junctus erat, libertati reſtitutus; paulo poſt Ordinibus palam renunciavit: relictaque Geldriæ præfectura, in quam Adolphus Nivenariæ ac Meurſæ Comes inductus eſt, ſe, filioſque ad Regis obſequium traduxit.

*Hen. III.*

& poſt ejus mortem bella in Gallia.

Reductio Gul. Bergenſis; 1566 ad regias partes, ſuis cum filiis.

Sed

2009 Ministerio de Cultura

1584. De ORANGII cædæ. *Alencon. moritur 10 Iun.* ejus interfector, *Petr. Ern.*

Sed momento longe majori partibus Hiſpanorum fuit cædes Orangii, Iulio menſe, eodem quo Alenconius extinctus eſt die, patrata Delphis in Hollandia à Baldaſſarre Girardo ex Villa ſamenſi, oppido Burgundiæ Comitatus. Fuerat hic aliquando Mansfeldii Comitis aulicus: conceperatque jam tunc animo facinus, quum proſcriptum Orangium audivit. Quin & operam in id ſuam Parmenſi obtulerat: ſpretuſq; ut impar, haud deſiit tamen. Quumque eodem tempore homines quatuor è Gallia, Lotharingia, Anglia, Scotia, gratis Orangio nationibus (namque Hiſpani, Italique ab eo non admittebantur) idem facinus Delphis invicem ignoti molirentur; unus ceteris Burgundus antevertit. Secutus is fuerat Ducem Alenconium redeuntem in Galliam, occaſionem inde capturus aliquam ad Orangium penetrandi. Atque extincto Alenconio, obtulit ſe delaturum ad Orangium litteras aliquorum Alenconii familiarium de obitu ejus. Allatiſque, dum velut in Galliam reverſurus, Orangii reſponſa præſtolatur; aſſurgentem ab epulis, exeuntemque in aulam, fiſtula in cor exploſa trajicit, conficitque. Evolantem inde, jamque egreſſurum urbe, ſtipatores inſecuti retrahunt. Et quæſtionibus ſubjectum, ut quo authore ad facinus inductus fuiſſet, aperiret, quum divino tantum inſtinctu id à ſe patratum conſtanter affirmaret, diu tortum, poſtremo ſectum in partes quatuor, per totidem urbis loca diſtraxere. admiratis, qui ſpectaculo adfuere, juvenis (erat enim annorum ſex & viginti) tot inter cruciatus ad leniendum populi dolorem truci inanique ſolatio congeſtos, animum ubique imperterritum, tormentiſque omnibus majorem. At funus Orangii in ſequentem menſem publice indictum, ea, qua nunquam antea, magnificentia celebratum eſt. Duxere pompam nobiliſſimi quique è fœderatis provinciis. Viſebantur poſt legionem militari luctu armatam, equi nigro holoſerico inſtrati: totidemque inter ſingulos equos inſignia domi-

[Margin notes: hac occaſione — facinus executus eſt: — *Piſtola* Capitur: — & dire tortus necatur. — animo imperterrito. — Orangi funebris pompa: — *octo equi*]

2009 Ministerio de Cultura

1584.

dominiorum ejus, in labaris explicata. prælata & imperatorium ejus vexillum, & equeſtre, ac pedeſtre ſignum. traducti clypei, familiarum ſegmenta, queis Orangii ſtemma componitur, præferentes. ſingula dein militaria ejus arma, & paludamentum, & grandior equus Naſſavianis ſymbolis phaleratus, & nudus gladius, & aurea corona. Lectum ejus Nobilium humeris elatum cognati agnatique comitabantur. in quibus ſpectaculo erat Mauritius filius, laxa toga longoque ſyrmate atratus, medius inter Gebhardum Truchſeſium, olim Septemvirum Colonienſem, & Philippum Comitem Holachium: Ordinum Magiſtratibus nigrum agmen poſtremo claudentibus. Atque hunc finem ex genethliacorum non ſemper ementientium reſponſis, ſortitus eſt Gulielmus Princeps Orangius, poſt annum vitæ quinquageſimum primum, ac ſextumdecimum bellorum civilium, quorum claſſicum ipſe Belgarum populis cecinerat primus: oſtentato libertatis ſiggno, aſſumpto hæreticorum patrocinio, auſus contra potentiſſimum Regem à principio ſuis auſpiciis exercitum palam ducere; poſt, occultis conjurationibus, publicis fœderibus, imploratis undecunque locorum gentiumque ſubſidiis, attractis ad partes magnis ſane Principibus, ac Belgio impoſitis, ſed ſibi ſubmiſſis; ſciſſas aſtu provincias, contra quatuor regios Belgii Præfectos, hiſpana potentia ſubnixos, pertinaci bello in armis tenuit: eo quidem ſucceſſu, ut ante Alexandri Parmæ Principis adventum, ex provinciis ſeptemdecim, ad duas contraxerit Hiſpanorum in Belgio principatum. Donec reſurgentem ſub Alexandro regiarum partium fortunam pertimeſcens, atque in fœderatarum periculo provinciarum cavens nimirum ſibi, vanis ſedulo terroribus, ac magnificis voce ſcriptoque promiſſis, Belgarum credulitatem adeo circumegit, ut eos publico edicto ejurare Principis ſui obedientiam, patrimonio exuere Hiſpanum Regem, Gallum ſibi

*quatuor clypei*

De eo elogium.
*Vid. l. 2 Decadis primæ.*

Orangius incentor belli;

Artes ſiluâ tamdiu continuandi;

*Alban. Requeſen. I. Auſtr. Al. Parmen.*

Succeſſus artibus pares.

*Namurcum & Lucemburg. nam Limburgum Alex. cepit.*

Calliditas ejus,

2009 Ministerio de Cultura

1584. ſibi Dominum adoptare ad extremum coëgerit: in ſpem ſcilicet adductos, ob eam cauſam facile commiſſis inter ſe acri bello Regibus, concuſſiſque limitaneis Belgii Galliæque provinciis: atque ideo reſpirante interiore Belgio, fœderatos populos vires haud dubie reſumpturos. interim ſibi è Batavico littore proſpectanti conflictantium clades, ſpatium futurum, imperii ſui apud Hollandos, ac Zelandos (quo demum referebat omnia) abunde firmandi. Verum hunc novæ titulum dominationis dum paſſuras ægre provincias ſuſpicatur, ideoque in Belgium revocari Alenconium ſummopere ſtudet, ut à quo Zelandiam, Hollandiamque beneficiarias clam acceperat, eo præſente tutius ſe earum Comitem provinciarum aperiret ac gereret, interceſſit illata mors. repertiſque apud illum monetis in ſolenni, ut ajebant, inaugurationis lætitia publicandis, cum adjectis circum litteris, *Nova moneta Comit. Hollandiæ, ac Zelandiæ*; intellectum eſt viri conſilium, procuratione publicæ libertatis privatam ſibi dominationem fabricantis. Sed miſeratio ex infelicitate mortis ejus tunc multa contexit. &, ERROREM ſuum amantes juvabat non agnoſcere errantium ducem. Nec poſtea mutavere, qui videbant, & gloriabantur, ab unius hominis conatu cæptiſque illi utcunque infelicibus, ſibi certe quæſtuoſis, aſſurgere in dies Hollandicum nomen, imperiumque: confringi ad hoc littus, hoſtium tumorem: atque indicum denique aurum huc appelli. Quum inter hæc alii deplorandam enimvero Belgarum lætitiam miſerarentur, recordati priſtinum Belgii ſtatum, urbium opulentiam, provinciarum tranquillitatem, populorum erga Deum, ac Principem fidem: nunc aliam intuentes inductam provinciis faciem, profligatum è templis veterem ſacrorum cultum: ſectum diſtractumque Belgium, ſectas cognationes, ac familias: armatos in mutuam perniciem populos: urbes nunc uni, nunc

*Dux Alencon.*

& privata ambitio,

authori infœlix,

Hollandis quæſtuoſa,

Orang.

Belgio deploranda:

2009 Ministerio de Cultura



MAVRITIVS NASSAVIVS,
*Orangii Princeps, Comes Naſſaviæ etc.*
*Fœderatar. Provinciar. Gubernator.*

2009 Ministerio de Cultura

2009 Ministerio de Cultura

nunc alteri Domino in prædam actas: nuſquam à proditionibus requiem, ubique hoſtilium armorum aut aſpectum, aut metum. Quæ ab uno potiſſimum Orangio tanquam à capite repetentes, non commiſeratione flectebantur ex ea morte, in quam ille à Principe ſuo proſcriptus, divinæ humanæque reus Majeſtatis incidiſſet: Belgas potius miſerebantur, qui privatæ unius ambitioni, odioque in hiſpanum nomen famulati, malis inde inexplicabilibus involuti, ac bellis perpetuis damnati, ſi nunc quidem non ſatis pœnarum ab ejurato Principe ſentirent, aliquando certe ab Dei numine, Religionis injurias ulturo, ſempiterna ſupplicia, fidei deſertores expectarent. 1584.

Verſis poſt hæc Ordinum curis ad firmandam Reipublicæ navim, excuſſo Gubernatore fluctuantem, legati provinciarum Antverpiæ convenientes, communi conſilio Comitem Mauritium, Orangii ſecundo natu filium (nam Philippus Gulielmus primogenitus attinebatur adhuc in Hiſpania) Hollandiæ, Zelandiæque, & Vltrajecto, & mari belgico, quæ patris fuerant, imponendum decrevere. De legato, qui adoleſcenti novendecim annos nato moderaretur, poſtquam diu diſceptatum inter Philippum Comitem Holachium, & Adolphum Nivenariæ & Meurſæ Comitem, Holachius prælatus eſt: Nivenario præfecturam Geldriæ pro Comite Bergenſi tradidere: reſque Friſiorum, quas Ioannes Orangii frater adminiſtraverat, Gulielmo Ioannis filio commendarunt. Tum de advocandis externis auxiliis conſultari cœptum: propoſitæque legationes ad Galliæ Regem, atque ad Angliæ Reginam, ut Principem, atque opem afflictis rebus impetrarent. Sed Bruxellis evocatus Antverpiam Lieſveltius Brabantiæ Cancellarius, ut legationem in Galliam obiret, non modo ſe oneri exemit, ſed auſus reconciliationem cum hiſpaniæ Rege ſuadere; enumeravit, quæ ad eam diem toleraſſent, quæque toleranda prævide-

*CONSVLTATIO fœderatarum provinciarum. In qua Co. Mauritius patri ſubſtituitur: Vtrecht*

*natus eſt anno 1565. Vide lib. 4 Dec. 1*

*& legatus additur Holachius. Aliæ aliis provinciæ tribuuntur: De advocando externo auxilio diſceptatur.*

*Cancellarius reconciliationem potius ſuadet*

2009 Ministerio de Cultura

1584. hac concione. videret bellorum adverſa : à quibus parum diſferrent ipſæ victoriæ, quas interdum ex hoſte retuliſſent; *Quid enim iis actum* ajebat, *niſi ut plures & validiores ſemper exercitus ab Hiſpania, Italiaque ad hauriendum Belgarum ſanguinem advolarent? Nam quam vana auxiliorum ſpe præfecturam imperiumque Belgii externis Principibus tradiderimus, ſatis expertos nos eſſe. Evocato è Germania Matthia, nunquid attractum eſſe ad fratris patrocinium, uti ſpes erat, Rodulphum Cæſarem? an potius ejus diſceſſu adverſum nos irritatum? Caſimirum, illum belli turbinem, quid aliud tanto fragore, quam turbas in Belgium, ac diſſidia intuliſſe? Nec aſſumpto in Principem Alenconio, Regem fratrem propterea motum, niſi ut miſſis è Gallia copiis, quem Ducem acceperamus, hoſtem experiremur. & tamen inde offenſum eſſe provinciis Regem, indignatam Anglam, aut indignatæ ſimilem, omnes à tutela noſtri deterritos ex hujuſmodi ſucceſſuum infelicitate. Quamobrem, quando Principem quæri placet, quanto honeſtius fore, ſuo cum Principe in gratiam redire, eo maxime tempore, quo præterita excuſari videantur, ſi ubi primum per Orangii mortem licuit, feſtinatum ſit. Non damnari à ſe illa, quæ Orangium ſectati feciſſent, quandiu prodeſſe Reipublicæ armati ſperaſſent. Sed ſeparari à ſe tempora: & ubi obtinendo contra ventorum vim, vela frangantur, ſapientis profecto gubernatoris eſſe, mutata velificatione, naufragio antevertere.* Tac. l. 5 hiſt. *Veteres Belgas Cl. Civilem Batavorum Principem ſecutos adverſus Veſpaſianum Cæſarem, & varia diu fortuna uſos, ad extremum animadverſo, non poſſe ab una natione dominantem ubique potentiam depelli, ſalutari Procerum populique conſilio, clementiam Cæſaris occupaſſe. Sperare autem ſe non modo ſœderatis provinciis non imputandum* Non perſuadet. *hoc, quo à Rege ſeceſſerint, interregnum; ſed reditum noſtrum, hoc ipſo nomine, quaſi iterum Auſtriacæ domui Belgium tradatur, gratius ac benignius* Dubitant Conſultores, in Galliam, an in Angliam confugiant. *accipiendum.* Verum his fruſtra, & ſine cujuſquam aſſenſu auditis, potius dubitatum à nonnullis, Regi ne Galliæ prius, an Angliæ Reginæ Belgii deferrent imperium: quod etſi pro-

2009 Ministerio de Cultura

propiora à Gallio ſperarent, tamen religionis ſimilitudo conſociatura Belgis Anglam validius crederetur. Sed reputantes, non obfuiſſe Belgarum patrocinio catholicam Alenconii Religionem: & Henrico Regi ſine fratre, ſine liberis, haud dubie Navarræum Calvinianum Principem ſucceſſurum eſſe; in ſuſcepto conſilio perſtitere: delectoſque è ſingulis provinciis plures (quindecim omnes fuere) & pro Lieſveltio Elbertum Leoninum Geldrię Cancellarium, virum ſolertem, nec infacundum, in Galliam propere legarunt. Sed jam prævenerat Alexander: eorumque, quæ parabantur, admonuerat Bernardinum Mendozam, hiſpani Regis in Gallia oratorem. Et is, data admiſſione, Regi exponit, *Exploratum ſibi, venturos è Belgio rebellium provinciarum legatos, opem adverſus Principem ſuum imploraturos à Majeſtate ejus, in ejuſque manus certis conditionibus Belgium dedituros. Id quanta cum injuria Catholici Regis attentetur à contumacibus populis: immo quam indecore irreverenterque ſe gerant, qui ſperare hoc audeant ab æquiſſimo Francorum Rege, ipſum pro ſua ſapientia intelligere, & non dubie offendi. Scilicet homines obſequii ignaros, conditiones, quarum poteſtatem nullam habeant, confidenter offerre: ipſumque Philippi Regis patrimonium, ceu venale imperium ac tranſlatitium modo huic, modo illi ſubjicere, ac veluti ad haſtam præconis elocare: tanto nunc deſperatius, quanto continuatis cladibus afflicti, propius timent occaſum ſuum; ideoque, uti morituri ſolent, anxie circumſpiciunt, cui cadentes incumbant, quoſque ruina ſua populos involvant. Itaque orare ſe, Catholici Regis nomine, qui prompto ſemper animo vires ſuas adverſus Galliæ Regum rebelles obtulit, & in poſterum nova auctus regnorum potentia validius oblaturus eſt, ne ad aſpectum ſuum homines flagitioſe ſupplices admittat: neve mercem adeo contagioſam exponi in Gallia patiatur.* SPECTARE *ad exemplum, ſi ſubditi, exuta Dei, ac Principis ſui obedientia, honorifice ab aliis Principibus excipiantur, ac propemodum invitentur. Certe Galliam rebellionibus implicitam non egere hoc invitamento.* Ad ea Henricus, diſſimulta irą in

1584.

Galliam præferunt:

& eo deſtinant oratores:

qui ne admittantur, agit cum Rege hiſpanus legatus. Henr. regi

*Luſitaniæ, & Indiarum regna*

2009 Ministerio de Cultura

1584. Reſponſio Henrici Regis.

in Philippum Regem, cujus opera novum inaudierat urgeri Guiſiorum fœdus, placide reſpondit, *In Gallia patere omnibus Regis aram: & inſolitum, modeſtiæ ſuæ ſupplices non audire. At rebelles ſibi quidem in regno ſuo hoſtium loco habitos, & in alienis imperiis inviſos. Quamobrem in audienda Belgarum legatione ita ſe ſuæ clementiæ memorem fore, ut nihil detraheret Hiſpaniæ Regis amicitiæ, quam mutuis uterque auxiliis coluiſſet, bonumque fratrem alter alterum expertus eſſet.* Nec multo poſt admiſſis legatis, Leoninus in Procerum corona, regem in hanc, ut accepi, ſententiam, allocutus eſt. *Quos hic vides apud te ſupplices, Potentiſſime Rex, à fœderatis Belgarum provinciis legati, oratum venimus, ut cum patrocinio noſtri adverſus inſtantem hoſtem, Belgii principatum eadem poteſtate, qua Carolus V Imperator, accipias tibi, tuiſque in Regnum Galliæ ſucceſſoribus. Multa nos ad te movent. Fama tui, ſupra Reges alios externis audita, nobis te minor ſpectata: Hiſpanorum ſævitia, à qua læſis Gallicum antidotum natura providit: cognatione Galliæ, Belgiique, non vicinitas modo, aut amicitia; nam & nos gallica origine gloriamur, & priſci olim Gallorum, Belgarumque populi, unum corpus fuere: denique opportunitas auxilii à Gallia tranſmittendi non ad Neapolitanum regnum recuperandum, aut tranſmarinas ad expeditiones repetendas. ad quæ loca traducere militem per longinquas hoſtileſque vias, anceps, ac tardum: traductum procul alere, armatis circa nationibus, operoſum: &, ubi viceris, conſervare tam longe poſita perquam rarum. In Gallia tua eſt Belgium: tantum porrige dexteram, Belgium ſublevabis. At conducibile non fuerit, irritare in præſentia Philippi Regis potentiam ex Luſitanica victoria, tanta orbis terrarum parte, prævalidam. Verum* NON SEMPER *intenditur potentia, dum extenditur. & nos videmus navigia, quæ mole ſua modum excedunt, regi non poſſe. Sed creverint Hiſpano vires: propterea & tibi pluris hæc facienda eſt, quæ in tempore venit, acceſſio provinciarum, quibus imperio tuo circumdatis, impenetrabilis profecto Gallia quibuſcunque Regum viribus futura ſit. Quot ſunt*

Admittuntur Oratores Belg.

Quorum unus ita Regem alloquitur.

2009 Ministerio de Cultura

1584.

*ſunt apud nos urbes viris militaribus referta, quot arces ingenio ac natura inexpugnabiles, quam multa ex mercaturis opulentia, quanta ex portubus, amnibus, marium ſinibus opportunitas, quam late fuſus ex bellicis navibus, nauticiſque hominibus in omnes terror; hæc omnia defendendo gallico regno adverſus communem tui noſtrique hiſpanum hoſtem perpetuo excubabunt. Quamobrem, quod bene tibi, Galliæque, & Belgio vertat, age, Rex magne, junge populos non indecores gallico nomini futuros, noſque volens ac libens ſub imperium tuum accipe. ſic & Belgium, ne Hiſpanorum ad ſervitium redeat, prohibebis: & Galliam perpetuo finitimoque hoſte liberabis: & regnum valida provinciarum adjectione adverſus novam amuli potentiam ipſe gallici amplificator Imperii conſtabilies.* Henricus, gratiis pro ea legatione abunde actis, doluiſſe ſe eorum vicem reſpondit, & meliora finitimis optaſſe. ceterum pro certo haberent, Belgium ſibi cordi futurum.

De hoc nihil certi reſpondet Rex:

Interea dum legati nunc Mediceam Regis matrem, nunc Navarræum conveniunt, feſtinantque: & hiſpanus Orator nihil omittit, ſucceſſum rei fruſtraturus; qui apud Henricum gratia aut conſilio poterant, varie differebant.

In ejus aula & conſiliis variatur.

Namque alii nec Regi decorum affirmabant, alienis populis adverſus legitimum Principem patrocinari: nec opportunum regno, Philippi Regis in ſubditos ſuos iram, armorumque tempeſtatem, ab Hiſpania in Belgium exonerandam, eo maxime tempore in Galliam evocare.

Alii non ſuſcipiendum Belgarum patrocinium ſentiunt;

Contra alii, jura memorabant Galliæ Regum in belgicas provincias, quibus integrare Galliam, quantæ & Henrico gloriæ futurum ad poſteros, & Regno ſecuritati ab Hiſpano, è proximis provinciis ad portas uſque Lutetiæ procurrente? Addebantque præterea Guiſiorum æmuli, Fas ſibi putare hiſpanum Regem, civiles in Gallia diſcordias conſilio & ſtipendiis alere, & non licere Galliæ Regi in ſinum tutelamque ſuam confugientes excipere finitimos populos?

Diſſentiunt alii:

Favebat his Navarræus occultiore conſilio. quippe optabat implicari Henricum belgicis auxiliis, ut

Cum quibus Navarræ Rex,

deductis

2009 Ministerio de Cultura

1584. deductis foras Gallorum armis, ſibi Galliæ heredi liberior inde campus relinqueretur. Mediceam multa agitabant. Nam & dolor ob tentatam fruſtra Luſitaniæ ſucceſſionem, inſenſum ejus animum contra Hiſpanum impellebat: & metus, ne deſertis Belgis, Cameracum amitteretur; (cujus dominium ex Alenconii teſtamento ipſa ſibi ſepoſuerat, ad Belgarum patrocinium, potentiæ retinendæ avidam ſtimulabat, tamen ab irritando in præſens Philippo Rege majus aliquid retardare illam credebatur. Quod enim ex tot maribus liberis videret, prolem ad regnum nullam ſupereſſe: neque ex Margarita filia liberos ſuſcepiſſe Navarræum, immo ab ea divertiſſe; femina imperio aſſueta, idque quo modo in ſobolem ſuam tranſmitteret, anxie circumſpiciens, in ſpem venit, ſi Hiſpanorum armis, Hugonotorum factio in Gallia frangeretur, atque adeo Guiſii, ac Lotharingi prævalerent, poſſe regni ſucceſſionem in Claudiæ alterius filiæ ſuæ, Lotharingo Duci nuptæ, liberos pervenire: proniore in eos haud dubie Philippo Rege, quam in Navarræum, veterem hoſtem, atque ob hæreſim ægrius ad Galliæ regimen aſpirantem. Sic illa ſpei ſuæ conſilia attemperabat. Nec minus fluctuabat animo Rex, quod ex una parte metueret, ne Belgarum populi à Gallia rejecti, Angliæ Reginæ ſe dederent, augerentque acceſſione Belgii Angelorum potentiam, Gallis ſemper inviſam: ex altera intelligeret, ſi ſe novo Belgarum principatu accingeret, novo quoque adverſus Hiſpanum bello accingendum. At diviſa in partes duas omni omnino Gallia, cujus partis adjutus opera bellum capeſſeret? Catholicorum ne? quorum multi Hiſpano Regi eſſent obnoxii. an Hugonotorum? cum magno nimirum dedecore Chriſtianiſſimi nominis: nec ſine metu, ne illi ſuſpectantes ſimulatione ſe in gratiam, atque in militiæ ſocietatem aſſumi, ad renovandam videlicet Bartholomæanam cædem; bellum aut contumaces

*& Regina Henrici mater.*

*Sed hæc poſtea mutat:*

*Rex diu fluctuat.*

*Hugonot.*

2009 Ministerio de Cultura

maces abnuerent, aut in acie imperia Ducum ſuſpicioſe interpretantes, deſtinata præliorum impedirent. Tandem, ut ad otium pacemque ſuper omnia ferebatur, ſtatuit novas in Galliam belli flammas ex vicinorum incendio non attrahere. Nam de civilibus regni diſcordiis bene ſperabat, ratus ad ejurandam hæreſim Navarræum Regem, ſpe gallici regni, adducendum: atque adeo ſubtrahenda Guiſiis, Hiſpanoque alimenta bellorum. Itaque Legatis poſtremo reſpondet, *Gliſcere in Gallia quotidie turbas: in eas ſedulo intendentem prohiberi ſe, ne regni vires alio diſtraheret. iis brevi, uti ſperabat expeditum, curas inde ſuas in finitimos, amicoſque populos porrecturum.* Sic Legati, ſucceſſu nullo, poſt menſes omnino tres in Belgium reverſi, qua ratione expoſititium principatum ſuum obtulerint Angliæ Reginæ, ego, poſtquam memorabilem urbis obſidionem, maximumque operum Alexandri accurate narravero, dicere non omittam.

1584. Rex Tandem auxilium Belgis oratoribus negat: *Antverpia*

# DE BELLO BELGICO

## DECADIS SECVNDÆ LIBER SEXTVS.

LIceat nunc mihi, Liviano exemplo, in parte operis mei præfari, quod in principio profiteri conſuevere permulti annalium ſcriptores, obſidionem longè omnium memorabilem: quæ ulli aliquando urbium admotæ ſint, in præſentia me dicturum. Nam neque operoſioribus unquam molibus frenati amnes, neque armata inventis audacioribus inge-

ANTVERPIÆ obſidio

quam magna



2009 Ministerio de Cultura

1584. ingenia, neque à militibus, qui plura per obſidia peritiam iramque collegerint, pugnatum eſt. Iacta hic rapidis in fluminibus caſtella, aperti inter undas cuniculi, amnes aggeribus ſuperfuſi, rurſumque aggeres amnibus ſuperpoſiti: & quaſi modicus videretur unius Antverpiæ obſidendæ labor, extenſæ ab Duce in alias quoque partes curæ, eodemque tempore urbes quinque prævalidæ potentiſſimæque, ſimul omnes obſeſſæ, ſimul circum acto vix anno, omnes in poteſtatem redactæ ſunt. Hæ tantæ res quibus perfectæ ſint copiis viribuſque, ego jam exponere non indiligenter aggredior. E catholico exercitu partem præſidia urbium arciumque diſtrahebant: pars in Friſia Verdugo provinciæ Præfecto, Taſſioque legato adverſus Gulielmum Naſſavium, & Martinum Schenchium militabat. Legiones Germanorum duas per Colonienſem tractum Comes Arembergius, ac Manriquus in armis habebant. Zutphaniam cum aliquot equitum turmis, Appius de Comitibus, & Blaſius Capiſuccus, percurrebant. Marchio Renthiacus cum ſua Wallonum legione, Arteſiam Hannoniamque, contra Gallorum motus defenſabat. Cum Alexandro in Brabantia Flandriaque, legiones quatuor, & aliquæ extra ordinem cohortes, agebant. Legioneſque præterea tres nuper acceſſerant ab Hiſpania, quas Philippum Regem, poſt maritimam Tertiis in inſulis pugnam, miſiſſe in Belgium, ſupra memoravimus. Atque hiſce cum copiis Alexander, quæ decem peditum millia, equites mille ac ſeptingentos conficiebant, (nam legiones quas nominavi ſeptem, quod ſemiplenæ eſſent, in quinque contraxerat) obſidionem Antverpiæ, conſulto prius bellico ſenatu, aggreſſus eſt.

*Antverpia, Gandavum, Teneramunda, Bruxella, Mechlinia.*

Quibus cum copiis cœpta

*Manriq. Hiſpanus ſed in Germ. natus*

*Ep. Alex. ad Reg. 15 Iul.*

Vrbis habitatores:

Scaldi fluvio aſſidet Antverpia, intra ambitum quinque fere paſſuum millium, centum circiter millibus hominum, præter nauticum populum, habitata: formam intenti arcus, cujus nervus ſit ipſa fluminis ripa, haud falſo refert, quando

Forma,

2009 Ministerio de Cultura

1584.

*munitio.*

quando non alia per Belgium urbs adverſus hoſtem inſtructior, intentiorque. Qua parte in Brabantiam curvatur, præalta illam mœnia, propugnaculis decem inde prominentibus, ſeque mutua ope reſpectantibus, ac ingenti circum foſſa aquis affluente, contuentur. Qua in Flandriam extenditur, pro vallo Scaldim habet, claſſium, non ſolum navium capacem, quas ſupra duo interdum millia in portu ac fluvio numeravit: commercium inde contrahens cum magna terrarum parte, quarum non modo merces ubique naſcentes, ſed auxiliares etiam copias bellator ſimul, & mercator amnis importat. Hæc autem ipſa quantum ſecuritatis Antverpienſibus, tantum ſollicitudinis Farneſianis conſultoribus afferebant.

*Conſultatur de ea obſidenda.*

Conſultationi aderant, præter Mansfeldium, ac reliquos ex regio ſenatu nunquam præteriri ſolitos, Mondragonius, Billius, Olivera, ac Pacius Hiſpani: ex Belgis, Mottæus, Goignius, ac Licquius, nam reliqui Belgæ aberant: ex aliis, Camillus à Monte, Georgius Baſta, & Camillus Capiſuccus.

*negant fere omnes;*

Horum plerique propoſitæ rei magnitudine ſuſpenſi, audacius aliquanto conſilium, quam ut exitum proſpere ſortiretur, exiſtimabant. Nam qui de Antverpia obſidenda cogitet, ei, dicebant, magnopere conſiderandum, an virium abunde ſit, quibus illam eodem tempore à terra per Brabantiam, eodem à flumine Flandriæ limite concludat. fruſtra enim à terra obſidendam, cui commeatus ac ſubſidium per amnem ſi minus ſupra à Gandavo, infra certe à mari perpetuo pateat. At latum adeo amnem niſi à duobus in utraque ripa exercitibus claudi non poſſe: ideoque tripartito exercitu opus eſſe, qui per Brabantiam, Scaldique per ripas, auxiliis aditum intercludat. Id vero à modicis adeo copiis, quales ipſi haberent, minime ſperandum. Neque navium tantum eſſe, ut hoſtium claſſi à mari flumen ingreſſuræ obſiſtatur. Addebat ad hæc Billius, Plus adhuc ſibi negotii faceſſere querimonias



2009 Ministerio de Cultura

1584.

militum, qui ſtipendiis ab Hiſpania non procedentibus fraudati, fame enecti, & complures ſeminudi, male profecto ad hoc non unius videlicet menſis obſidium admoveantur. Nec illud omiſere Pacius, & Montius, Serio perpendendum, an expediret ad obſidendam Antverpiam accedere, relictis à tergo Teneramunda, Gandavo, atque aliis arcibus, unde promtis excurſionibus, ſubvectiones in caſtra, & ipſa caſtrenſium opera infeſtare hoſtis queat. Denique

præter duos, & ab obſidionis propoſito removere Alex. nituntur:

præter Mondragonium, & Capiſuccum, fortunæ Alexandri omnia tribuentes, reliqui tam multa ſimul invadere tam exiguo militum numero, intutum, atque intempeſtivum ducebant. Itaque ab Antverpiæ obſidione ad obſidendum Alexandrum converſi, conjunctis hominem precibus circumſtant: objectoq; periculo exiſtimationis ejus, & ſuæ, velut ad deditionem adigere conſtantem propoſiti animum conituntur. Ille, collaudato eorum ſtudio, præfatuſque, eadem ſibi in mentem veniſſe, quæ ipſi difficultatum præcipua complexi eſſent; tamen opinari ſe ſubdidit, ubi pauca diſſerentem audierint, meliora de rei ſucceſſu arbitraturos. Tum in hunc fere modum exorſus

Ipſe tamen urbem cenſet obſidendam.

eſt. *Conſilium Antverpiæ invadendæ non ſe in animum admiſiſſe prius, quam Deo id cordi eſſe, per homines Deo caros, conjeciſſet: & Regis ſuper ea re mentem exploraſſet. Nec humana & vicina deeſſe, quæ expeditionem in præſentia perſuadeant. Certum ſibi, nunquam hoſtes æque trepidaſſe, tot nempe tantiſque, paucos intra menſes, ab regio exercitu cladibus afflictos; Orangii conſiliis deſtitutos, gallici auxilii ſpe dejectos, ac multis per Antverpiæ tractum oppidis arcibuſque, ſpoliatos. Atqui ubi pulſata intremunt ruinanturque mœnia, tunc ruinæ certius inſtandum. Inde ſibi accreviſſe animum, in ipſa belli arce, territos jam hoſtes invadere, terroremque per reliqua Brabantiæ munimenta circumducere: non dubia ſpe, illos aut Antverpiæ metu neglecturos alia, aut in alia diſtractos Antverpiæ non ſuffecturos. Modicas quidem ſibi ad tam multa copias eſſe: ſed belli peritas, & victoria aſſuetas,*

*&, qu*

2009 Ministerio de Cultura

&, quod caput eſt, magnis à Ducibus adminiſtratas. 1584.
Quem enim eſſe ex iis, quos in eo cætu præſentes intueretur, cujus in manus regendum exercitum ſecure ipſe non traderet? PERITIA Ducum, & virtute militum congeminari exercitus. & IN IPSA multitudine paucos demum eſſe illos, qui bella conficiant. uti ex haſta quantumvis oblonga, palmum tamen ferreæ cuſpidis plagam facere. Equidem NON SEMPER ingentes belli copias expetendas: non magis, quam ingentia corpora, magnis plerunque morbis obnoxia, carius ali ſolita, motuque tardiora, & accipiendo vulneri latius porrecta. Verum non ita ſibi expugnandæ Antverpiæ initam fuiſſe rationem, ut magno milites numero ſimul impendi neceſſe ſit. quum & à terra turmæ omnino paucæ, quæ Antverpienſem agrum inter Liram, Hochſtratamque, & Bredam, regiarum partium oppida percurrant, impedire commercium facile queant: & à flumine Oceanum verſus (unde tota vis hoſti) propoſitum ſibi, expugnatis in utraque ripa caſtellis, aut novis excitatis, inde tormentis arcere navium acceſſum, ſi non omnem, talem certe, ex quo & mercatores detrimenta commerciorum ſentiant, & plena populo civitas arctiore annona fatigetur. Ad hæc porro præſtanda imparem non videri earum, quas in præſentia haberent, copiarum numerum. Neque eis obedientiam in opere defuturam. Expertum ſe, militibus ſuis eſſe in prælio plus animorum, quam in caſtris fuerit querelarum. Immo ne eiſdem alacritas deſit, miſſam ſibi fuiſſe nuper ab Rege pecuniæ ſummam, quam veteres inter milites partiatur. nam quæ recens acceſſerint ab Hiſpania legiones, ſtipendiis donatas jam eſſe. Quamquam haud verendum, ne non libens obſidionem Antverpiæ miles ſubeat, ex qua tantum prædarum ſibi polliceri poſſit. Eſſe adhuc in exercitu complures, qui opulentiam ejus emporii ante annos octo ſatis experti; ſtimulante memoria, conſimilis populationis famem cum ſociis haud dubie communicaturi ſint. Poſtremo, quod ad tutelam exercitus attineat, proviſum à ſe ſecurum ab Waſienſi territorio in caſtra commeatum. Neque Gandavum, aut Teneramundam ita poſt relicta, ut magnopere timere regius exercitus debeat



2009 Ministerio de Cultura

1584. *ab iis, quibus à noſtro milite per excitata inibi caſtella diſpoſito, ſatis curarum aſſidue inferatur. Quamobrem quum ad eam expeditionem multa in præſenti invitare, nulla ſatis inde retrahere videantur; permitterent ei in hac quidem cauſa deliberationem, atque obſidium urbis, ex qua univerſæ acceſſionem Brabantiæ ſecuturam prævideret, magno omnes ac fidenti capeſſerent animo: ſperarentque, Patronam Antverpiæ Dei Matrem, quam urbe ſua impie dejectam ab hæreſi, nunc ipſi, contempto omni periculo, in priſtinam poſſeſſionem reſtitutum irent; tam piis ſuorum conatibus non defuturam.* Alexandri authoritate magis, quam oratione, decreta obſidione Antverpienſi, illico ad eam neceſſaria imperata ſunt. Quæ quoniam multa, multiſque in locis fuere: nam ſimul Antverpia, ſimul Gandavum, Teneramunda, Bruxellæ, atque Mechlinia, armis attentata ſunt; horum ſitus locorum in conſpectum dare operæ pretium duxi.

Decernitur obſidio.

Validam à Scaldi fluvio Antverpiam, validiorem præſtant munitiones ac propugnacula complura ad Scaldis ripas, præſertim Oceanum verſus, impoſita: ac in primis duo, novem fere milliaribus ab Antverpia. Quorum alterum, Lilloum à vicino pago dictum, Mondragonius, Albani Ducis juſſu, ad Brabantiæ oram excitaverat: alterum Liefenſucum appellatum, fœderatæ provinciæ Antverpia potitæ, contra Lilloum in adverſa ripa fabricarunt, mox & Lilloum obtinuerunt. Ejuſdem commercio fluminis Antverpia Gandavo jungitur, triginta circiter milliaribus abjuncto: firmatque Teneramunda commercium, media inter Antverpiam & Gandavum, ad eumdem Scaldim ſita. Propius, ac ſpatio milliarium tantummodo duodecim interjecto, Mechlinia reſpicit Antverpiam: perque Diliam amnem, in Scaldim ſub Rupelæ nomine influentem, mutuam inde opem accipit, redditque. Plus aliquanto ab Antverpia recedunt Bruxellenſes: ſed aperta ſibi foſſa, ſive alveo navigationi accommodato, in Rupelam inferuntur, atque inde in Scaldim illa-

Antverpia quam tuta eſſet à Scaldi fluvio, ob caſtella per ripas ejus impoſita: *Liefhenshoeck*

& ob commercia per eundem amnem, cum Gandavo, cum Teneramunda, cum Mechlinia, 24 *mill.* cum Bruxellis.

2009 Ministerio de Cultura

ẽlapſi, Antverpiam intrant. Hæc ſimul omnia complexus animo Alexander, ſtatuit non quidem caſtris ad ſingulas urbes compoſitis, id enim neque cum centum quinquaginta hominum millibus effeciſſet, ſed, uti jam ad Gandavum cœperat, objectis procul munitionibus & caſtellis, clauſiſque amnibus, per quos civitatum alimenta navigant; inferre paulatim, ſine obſidionali ſtrepitu, obſidionis damna. Igitur miſſo Wetteram machinatore Plato, cum militum manipulo, jubet Antonium Oliveram, qui eo loco pontem Scaldi paulo ante impoſitum contra Gandavum obtinebat, novam munitionem verſus Teneramundam addere, ſpemque omnem commercii, Gandavum inter, & Antverpiam, ac Teneramundam, præcidere. Ad Willebroucum pagum, inter Mechliniam atque Antverpiam, Igniqueſiæ legionis partem expedit, quæ erectum ibi Scaldis in ripa propugnaculum obſideat, ac Bruxellenſis alvei navigationem, cujus tutela Willebroucum erat, intercludat. Tum ipſe in Antverpiam converſus, ejus obſidionem inter primores belli Duces in hunc modum partitur. Georgio Baſtæ equitum Commiſſario, viro forti ſolertique mandat, cum aliquot Epirotarum, Italorumque turmis Antverpienſem agrum in Brabantia tueatur: efficiatque, evocata, ubi opus ſit, è vicinis arcibus ope, ne quid auxilii in urbem à Brabantia inferatur. Scaldis ripas, Flandricam quidem, in qua parte tunc erat exercitus, Marchioni Rubaſio equitum Magiſtro, Brabantinam autem Petro Erneſto Comiti Mansfeldio caſtrorum Præfecto committit. Huic Chriſtophorum Mondragonium, partemque exercitus, hoc eſt, quater mille ac quingentos pedites, atque octo equitum turmas: illi Gaſparem Billium, Petrumque Pacium, cum ter mille peditibus & quatuor equitum ſignis attribuit: imperatque ut, tam ii, qui cis Scaldim remaneant, quam qui Scaldim tranſituri ſint, impetu in hoſtium munitiones ac propugnacula

1584.

Impedire incipit Alexander hæc commercia,

à Gandavo,

à Teneramunda,

à Mechlinia

& à Bruxellis.

Poſtea obſidionem aggreditur à terra, & ab aquis.

*Albanenſes*

Terram tradit Georgio Baſtæ.

Scaldis ripam Flandricam Rubaſio,

Brabantinam Mansfeldio,

*Tribuni.*



2009 Ministerio de Cultura

1584. hinc atque inde fluvio impoſita quam celerrime facto, Scaldis ripas Oceanum verſus expugnent, atque inde ſe ſe hoſtibus, è Zelandia Hollandiaque Antverpiam navigaturis, opponant. juſſo propterea Mondragonio, cum ſua unius & viginti ſignorum legione, præire, eamque tranſmiſſo ad Rupelmundam, & Borchtum Scaldi, in alteram Brabantiæ ripam pontonibus deportare, Mansfeldio cum reliquis attributis ſibi copiis ſecuturo. Et deportavit ille ſuos ſane quam proſpere, prætoria Antverpiæ navi, quæ ad inhibendam trajectionem accurrerat, tormentis, non ſine clade, abſterrita: graviter inde irata adverſus præſidiariorum ſegnitiem civitate: mox tamen ira in ſollicitudinem verſa, ubi ſparſas per utramque ripam regias copias, & caſtra nimis quam celeriter poſita conſpexere. Namque Tornaco cum aula jam egreſſus, Beveræ, quæ Flandriæ eſt pagus, ſeptem circiter milliaribus procul Antverpia, conſederat, ſeque munierat Alexander. Ejus non longe à caſtris, Calloo in pago, ejectis inde præſidiariis, Rubaſius tetenderat apud Scaldim, cum bellici apparatus armamentario. Inter utrumque, ſed Alexandro propior, tormentorum Magiſter Carolus Comes Mansfeldius Erneſti filius, Melſenium vicum elegerat, militarium machinarum ſedem. Ex Brabantiæ autem parte apud Stabruchum pagum, quatuor circiter milliaribus à Lilloo diſtantem, Comes Mansfeldius caſtrorum Præfectus, tranſmiſſo poſt Mondragonium Scaldi, caſtra poſuerat: eaque, quod ibi ſedem quoque ſibi deſtinaſſet Alexander, accurate circumvallaverat. Procul hinc, in Berendrechto pago, ſtativa tunc habebat Mondragonius: cum quo poſtea conjunxere prope Santflictum caſtra uterque Camillus, Montius, & Capiſuccus. At vero ubi obſidione Antverpiam à Regiis undique attentari palam fuit, ejuſi principio conatum irriſere Antverpiani, ſuorum gnari, hoſtiumque virium; tamen Alexandri fortunam veriti, defenſionem ſtrenue adornavere.

cui tranſmiſſuro ad ſuam ripam præit Mondragonius, *Mondragon.*

& accurrentem hoſtilem navem fugat. *Antverp.*

Alex. caſtra ponit in Flandriæ pago.

circa Alexandrum Rubaſius,

inter utrumque Carolus Mansfeldius.

In Brabantiæ parte Mansfeldius pater,

& Mondragonius,

& cum Montio Capiſuccus.

2009 Ministerio de Cultura

navere. Moderabatur urbi Conſul Aldegundius, Orangii amicorum olim primus, ac poſt Orangium authoritate apud Ordines nulli ſecundus. Hujus maxime conſilio prima muniendis in utraque ripa caſtellis impenſa eſt cura. Erant, inter alia, hæc præcipua, Lilloum in Brabantiæ ora, & in adverſa ripa Lieſenſucum, quæque Delam propugnacula circumſtabant. Defendendi Lilloi munus in ſe recepit Odettus Tilinius Lanuæ filius, cum recente Gallorum cohorte. Ioannes Pettinius vetus Tribunus, novo aggere Lieſenſucum vallare juſſus eſt. Reliquis munitionibus ſimiliter proviſum: ſciſſus ad Saſtingam atque alibi agger, apertaque Scaldi via, qua Waſianus late campus ad Antwerpiam uſque allueretur. Simul miſſi, qui apud Bergas ad Somam, delectus militum haberent: qui à proximis Zelandis Hollandiſque opem efflagitarent: & qui maris Zelandici Præfectum Gulielmum Bloſium Treſlongum ſollicite accerſerent.

1584. Defenſionem parant Antverpiani: *Phil. Marnixius à Monte S. Aldeg.* præſertim in utraque Scaldis ripa, *Dela Inſula*

Sed jam, uti juſſi fuerant, Mondragonius adverſus Liloum, Rubaſius in Delam, diverſa non magis parte, quam fortuna ferebantur: dum alter ſenili cautione cunctabundus occaſionem corrupit: alter juvenili feſtinatione præfervidus conſilium hoſti, defenſionemque præripuit. Delam inſulam, quam agger ſeu dictus efficit contra alluviones circunductus, in eamque deſinit Waſianus tractus, caſtella quatuor defenſabant. Illuc, præmiſſa Pacia legione, Rubaſius adeo præter opinionem celeriter advenit, ut Antonianum quidem illico ſe Rubaſianis dediderit: Terventum autem fugientes ſtationarii, non expectato hoſte, deſeruerint. At non ita ad Lieſenſucum geſta res eſt. Locum obtinebant præſidiarii circiter octingenti: rejectoque ferociter Rubaſiano tubicine deditionem expoſcente, ad tertium uſque diem non inſtrenue defenſionem extenderunt; donec aperto jam alicubi, tormentorum vi, propugnaculo, ſuperveniens ex Bevera Prin-

Et in utramque ripam invadunt Alexandri duces *Mondrag. Rubaſ.*

Delam inſulam,

*Anton. & Tervent. caſtella*

& ejus arces,



2009 Ministerio de Cultura

1584. ceps Alexander, amiciſque conditionibus nequidquam oblatis, Rubaſio mandat, non ultra moretur aggreſſionem. A quo immiſſi Hernandus ab Iſla, & Gaſparinus Lucenſis, primarum cohortium ductores, juſſique nemini parcere; etſi primo aggreſſu repulſi ſunt, altero tamen, caſtellum expugnarunt, trucidatis hoſtium circiter quadringentis, ſubmerſis ferme ducentis, ſignis ſeptem relatis, Pettinio Gubernatore, ipſius Rubaſii manu confoſſo.

*expugnat Rubaſius:*

Eadem nocte ad Noortum, ultimum Inſulæ propugnaculum apud Scaldim, properatum eſt. Sed jam Ferumius loci Præfectus, tormentis in naves impoſitis, interfecto pecore, atque incenſa munitione, Anrverpiam enavigaverat. Inde in Saftinghæ munitionem, quæ una ſupererat, tranſlata ſunt arma, repertaque præſidiariis vacua, in ſciſſura aggeris obſtruenda adverſus aquas è ſiniſtro Scaldis cornu irrumpentes, laboratum eſt.

*& tota Flandrica ripa potitur,*

Atque in hunc modum propugnaculis in Flandriæ ripa, omnique Waſiana ad Scaldim regione, Rubaſii celeritas Antverpiam ſpoliavit.

*Lilloum aggreditur Mondragonius,*

Quum interim è Brabantiæ ora Mondragonius in Lilloum progreſſus, haud ignarus quam validam ſitu ac munitione arcem invaderet, nempe quam ipſe poſuerat; dum hoſtium vires, quia noverat, pluris facit, tempus admittendi præſidii Lilloo dedit. Nimirum IUVIT interdum ignorare pericula, quæ non ſuperaret, ſi quis noſſet.

*novo auctus præſidio:*

Duo hominum millia ſub Tribuno Scotorum Balfurio, intra arcem recepta ſunt: quorum in partem, Tilinio ductore egreſſam, movit legionem ſuam Mondragonius, commiſſaque acri pugna, æquata tunc quidem clade, diſceſſum eſt.

*cum quo arce egreſſo pugnam committit,*

Sed mox ſubducta, quæ intra arcem erat, cataracta, emiſſoque in Hiſpanos Scaldi flumine marinis aquis tunc aucto, ex eadem arce ſimul tormentorum fulmina, ſimul aquarum tempeſtatem non ultra ſuſtinentes Mondragoniani, deſideratis Aloyſio Toletano, & Petro Padillia, ſtrenuis Centurionibus, gradum paulum

*improſpere:*

2009 Ministerio de Cultura

lum referre, inque tutiorem locum ſubmovere castra coacti ſunt: magna in primis Hiſpanorum conſtantia, curulia tormenta brachiis in hoſtium oculis aſportantium, ac pectore tenus inter aquas enitentium. Nec ideo territi: &, quando à fronte per alluvionem non licebat, à dextero latere ſubeuntes Scaldis aggerem, (quem ſuper aggerem conſtructa Lilloi arx erat) aggreſſionem obſtinate retentant: captaque munitiuncula, in arcem ferebantur. Sed intercisus alicubi agger acceſſum arcebat. Itaque langueſcente ſpe arcis expugnandæ, Alexandri juſſu Stabrucum repetiere, inde præſidiariorum è Lilloo excurſiones cohibituri.

1584. magna tamen conſtantia Hiſpanorum; quos revocat Alex.

Inter hæc, metu Lilloi amittendi; Herentalia Fœderatis amiſſa eſt. Etenim quum evocaſſent inde Scotorum præſidium Antverpienſes de Lilloo ſolliciti, Herentalia oppidanorum fidei relicta; Cæſius, qui ea loca, diviſo cum Georgio Baſta equitatu percurrebat, occaſionem non omiſit. Atque, ut amicitiam pridem contraxerat cum aliquot oppidi primariis, dum apud eos captivus egerat; facile iis perſuaſit, ut non expectato victore exercitu, oppidum Parmenſi traderent. Vixque factum, quum admiſſo jam Cæſio, præſidiarios ab Antverpienſibus, (qui conſilium ſtulte initum ſero mutaverant) illico redire juſſos, oppidani occluſis foribus, obverſiſque tormentis, procul habuere. ob eam gratiam ab Alexandro loci præfectura Cæſio demandata. Verum Alexander, amiſſa in præſens occaſione Lilloi potiundi; non ultra inſiſtendum, terendumque tempus in ejus obſidione arcis exiſtimavit, qua etiam expugnata, una cum capto jam in oppoſita ripa Lieſenſuco, ægre navium tranſitus intercluderetur, ob fluminis latitudinem, hoſtibuſque, qua ſunt audacia, inter noctis tenebras, expectatoque rapidi fluxu maris, facile utriuſque caſtelli conatus eluſuris. Itaque, quum non niſi injecto ponte claudi flumen poſſet, perinde eſſe intelligebat, ſive eo loco inter Lil-

Herentalis, Cæſio agente, *Co. Nicol. Caſ.* regiis partibus accedit. Alex. ad claudendum penitus aditum per Scaldim, de ponte cogitat,



2009 Ministerio de Cultura

1584. loum, & Lieſenſucum: ſive fabricatis alibi caſtellis, pontem injiceret. Igitur æſtimato alveo, viſum eſt Alexandro, accedentibus in eam ſententiam, nautarum veteranis, & Barocio, & Plato Centurionibus, amnem claudere non procul à Lilloo Antverpiam verſus, inter Calloum Flandriæ, & Ordamum Brabantiæ pagos. cauſæ, cur is potiſſimum locus ſit delectus, ut ad Regem ſcribit, hæc fuere. Quod ibi Scaldis anguſtior aliquanto fluat: porrigatque ſe à ripa cumulus terræ in morem ſyrtis (bancum vocant) unde alveus coarctatur. præterea quod eo loco, flectente ſe paulum in dexteram Scaldi, alio propemodum vento in ea flexura naves opus habeant, ideoque nec recta impetuque invehi tam facile poſſint. denique quod tentatum inibi fundum, arenoſum ac ſolidum, accipiendo ſuſtinendoque operi peridoneum exiſtimaverint. Porro fabricanda utrinque caſtella, quæ pontis capita forent, Rubaſio Flandricum, Brabantinum Mondragonio committit. illudque à Maria Dei matre, cui expeditionem à principio dedicaverat: hoc à Divo Philippo, ob Regis gratiam, nominavit. ſimul aliis in locis alia, partim ad caſtrorum tutelam, partim contra hoſtium munitiones, caſtella deſignat: præſertim quæ adverſus Antverpiam à Divis Petro, ac Barbara; quæque tria contra Lilloum, à Sancta Trinitate nomen accepere.

*Locum eligit inter Calloum, & Ordamum,*

*tres ob cauſas,*

*caſtella ad pontis extrema in utraque ripa conſtrui jubet,*

*& alia alibi.*

In hæc opera dum in utraque ripa certatim incumbitur, crediturque curas hic omnes Alexander inſumere; ipſe clam aſſumpta Pacia legione, cum Italorum manipulo, ad Teneramundæ obſidionem propere fertur. Ad oſtium Teneræ amnis in Scaldim influentis, unde ei nomen, ſita eſt Teneramunda: eo maxime ſitu, opereque, validas inter urbes Flandriæ habebatur. Atque ut media Gandavum inter, atque Antverpiam, utrique opportuna, conſiderabat; ita in ejus expugnationem jampridem intenderat animum Alexander, interjecturus illum

*TENERAMUNDÆ obſidio.*

*ſitus ejus.*

*finitimis hoſtibus opportunus.*

2009 Ministerio de Cultura

1584.

lum veluti obicem, ad navigationem inter eas urbes penitus claudendam: ſeque ſimul allevaturus onere diſtrahendorum militum, quos circum Teneramundam, atque Gandavum perpetuo excubantes habere in campis cogebatur.

Præmittuntur illuc copiæ.

Præmiſerat illuc cum ea, quæ Auguſtini Igniqueſii fuerat legione, Ioannem Gamboam: juſſum Teneræ cataractam, quam hoſtes cum mola prope urbem communierant, & ex qua obruere adjacentia urbi loca facile poterant, in poteſtatem redigere. Quod ille vix dum egerat, loci ſtationariis circiter quinquaginta interemptis, reliquis fugatis; quum Carolus Comes Mansfeldius è Bruxellenſi parte, cum equitum quinque turmis, & aliquot Wallonum cohortibus: ex altera parte ad Weſtermuſterum Alexander cum Pacia legione apparuere.

cataracta primum capitur, tum urbs cingitur.

Statimque diſpoſitis infra ſupraque urbem ad Scaldis ripas ſtationibus, & circumſeſſa urbe; in propugnaculum, quod ante Bruxellenſem portam ab urbe prominebat, tormenta collocata ſunt.

*Bruxellenſis, quia Bruxellas reſpiciebat.*

Præerat Teneramundæ pro abſente Ribovio loci Præfecto, Mortagnius cum præſidiariis octingentis, præter armatos oppidanos. & cum alia omnia, tum maxime Bruxellenſe propugnaculum, tranſlata illuc pleraque veteranorum parte, contra quamcunque vim hoſtium firmaverat.

quam Gubernator accurate munierat, præſertim propugnaculum ante urbem.

Et vero inde in regios utcunque munitos aſſidue, nec emiſſionum irriti fulminabant. Primus ab jaculatoribus terror, mors fuit Petri Pacii Hiſpanorum Tribuni: qui, dum apud vimineam corbem tormento in hoſtes librando aſſiſtit, pila majoris ſclopi ictus in capite, momento occubuit. ſecuta eodem die Petri Taſſii Inſpectoris exercitus nece, pila quoque in fronte icti, ac ſtatim extincti.

Ex quo jaculantes Pacii necant, *Pes. de Paz Gallacus Gabbione* & Taſſium. *Veedor General*

tanto Hiſpanorum mœrore primum, amiſſo præſertim Pacio, viro forti pioque, quem, quod militum neceſſitati parentis loco invigilaret, Petrum de Pan vulgo nominabant: dein vero tanta in hoſtem ira, atque ulciſcendi aviditate, ut nondum à tormentis edita, quæ ſatis

Inde irritantur Hiſpani,



2009 Ministerio de Cultura

1584. foret, propugnaculi ſtrage, aſcenſum certatim omnes conclamarent. Adeo NON NVNQVAM plus virium addit ira, quam demit plaga. Acceſſit & aliud irritamentum. Attulerant præſidiarii in propugnaculum, ludicra cum pompa, ingens unius è Cœlitibus ſimulacrum: elatumque è pinnis, poſtquam contumeliis ac verberibus irriſerant, projecere. Profectò exarſere ad eam ſpeciem omnium animi. nec jam Centuriones continebant militum furorem, ſignum in hoſtem minaciter expoſcentium. Quorum uſurus ferocia princeps Alexander ubi deciſam vidit propugnaculi frontem, & dorſi partem; ternos è ſingulis Hiſpanorum centuriis milites ſelegit, (fuere illi non amplius quinquaginta) juſſitque duorum ductu Centurionum ex Paciana legione, dorſum aggredi: totidem ex eadem legione, ſub duobus quoque Centurionibus pone ſequi: Italis ac Germanis, propugnaculi frontem, latus ſcalis ſubeundum Wallonibus attribuit. aggreſſionem tamen diſtulit in ſequentem diem, qui aſſumptæ in cælum magnæ Dei Genitricis pervigilium erat, quod ea luce, (uti Centurionibus edixit) adjutrice Cælitum Regina, ulturum ſe Cælitum injurias pro certo haberet. Nec ſua illum pietas fefellit. conſcenſum eſt ex omni parte, incredibili Hiſpanorum in primis audacia contemptuque mortis. ac poſt horas ferme duas, quibus acriter utrinque dimicatum, tandem propugnaculo potiti ſunt Regii, deſideratis ex his omnino quindecim, ex defenſoribus circiter octoginta: reliquos in fugam averſos urbs accepit. In quam licet è ſuperiore jam loco dominarentur Hiſpani, tamen & firmitas mœnium, & interiores munitiones, & præſertim foſſa, quæ aquis præalta arcebat acceſſum ad muros, expugnationem moratura videbantur. Præterea levis ſubito res, ſed in majus aucta, civitatem erexit. Mittebantur ex Gaverenſi pago ad Farneſii caſtra carri aliquot commeatu onuſti: quum egreſſi Gandavo, cujus

*maxime viſa cælitum contumelia.*

*Diſponit eos ad aggreſſionem Alexander.*

*ope B. Virg. confiſus.*

*propugnaculum expugnatur.*

*Interea commeatus miſſus in Farneſiana caſtra,*

© 2009 Ministerio de Cultura

jus opem imploraverat Teneramunda, circiter ducenti, & quinquaginta milites, fugatis prope Aloſtum, qui plauſtra comitabantur, prædam læti avexere: brevi tamen Gandavi, ac Teneramundæ lætitia. Namque admonitus Olivera, eductis illico ex Weterenſi munitione turmis aliquot, obviam factus haud procul Gandavo, victores præter expectationem invaſit, iiſque aut cæſis aut captis, adeo ut ne unum quidem fuga texerit, carros in caſtra ad Alexandrum remiſit. Sed aliud magis Teneramundanos afflixit. Vbi enim averti diſtrahique cœptus eſt amnis, (quod minime rebantur,) atque adeo exſiccari foſſa, præcipuum loci munimentum; inaudita celeritate perculſi, quum intra quinque dies feſtinatis impetu operibus vidiſſent ſterni pontes, claudi amnes, figi caſtra, conſtringi urbem, expugnari propugnaculum, exui mœnia aquarum vallo, nullam ſibi die ac noctu requiem ſeponi; victorem non ultra irritaturi, miſſo tubicine, petitoque colloquio, tradidere urbem. Cives ſexaginta florenum millibus mulctati: milites (ſupererant circiter quingenti) abſque armis & equis emiſſi: Civitas præſidium quodcunque Parmenſi videretur, accipere juſſa eſt. Et accepit Hiſpanorum ex Pacia legione centurias tres, atq; Italorum duas, Præfectum vero urbis ex eadem legione Ioannem Rivium, veterem Centurionem, cujus in ea expeditione facinus apprime probaverat Alexander. Nam quum fabricatos noctu aliquot carros promptiſſimis Centurionum attribuiſſet, qui eos lignorum faſcibus refertos in propugnaculi foſſam immitterent, eorumque objectu ſubeuntes contegerent; primus omnium, hoſtibus haud ignaris conſilii, atque adeo ad jaculandum à propugnaculo intentis, carrum impulit Rivius, excepitq; plumbeæ grandinis tempeſtatem primus, mox etiam ſolus. quippe duobus ejus comitibus pila proſtratis, poſt & ipſe humero trajectus, inſtitit tamen operi, integer animi, ac vultu minax, nec ante

1584.

intercipitur à Gandavenſibus,

Sed recuperatus cum eorum clade in caſtra remittitur.

Teneramundani civitatem Alex. dedunt: 17 *Auguſt.*

qui Gubernatorem imponit Ioann. Rivium, *Io. de Rivas*

*Rivellins*

ob eximium ejus facinus,

2009 Ministerio de Cultura

1584. ante deſiit, quam plauſtrum quo volebat, admovit. quin facturus hoſtibus convicium, vicinum etiam carrum à ſauciis militibus deſertum, ad frontem uſque propugnaculi, toto connixus corpore adegit. Tum vero Alexandri juſſu in caſtra relatus, poſtea præfecturam urbis, præmium ſpectatæ virtutis accepit. Alexander autem, quamvis à principio diuturnam pronunciaſſet eam expeditionem Mondragonius, nec prius finem habituram, quam nive tellus, ut ajebat, albeſceret; undecimo tamen poſtquam Beverenſi è pago diſceſſerat die, conſilio, imperio, manu, & quæ jam pro Alexandro pugnabat, fama, potitus urbe per ſe valida, & Gandavi caſum brevi tractura; ad Antverpiæ obſidionem, curarum ſuarum ſummam ſe recepit.

& re opinione celerius geſta,

Antverpiam redit.

Conceperat ipſe cum Plato, atque Baroccio (quos ſeorſim ab aliis poſt bellicum ſenatum adhibuerat) formam operis in claudendo flumine ſervandam. Mandaveratque, arbores, quanta maxima poſſet proceritate, è Waſienſi tractu, præſertim apud Vorhoteofium caſtellum, atque aliunde cædi: ac ramalium faſces innumeros, ceteramque materiam in Calloi templum comportari. Quibus magnam partem advectis, dum mali aliquot navium quæſiti longinquius expectantur; ipſe interea partim Marianam, ac Philippæam communire arces: partim nova per utramque Scaldis ripam excitare caſtella, ſeduloque præcavere, ne operæ fabrique molitionem pontis aggreſſuri, hoſtium adnavigantium impreſſionibus impeterentur. Hæc porro, quæ parabantur, allata per exploratores Antverpiam ad Conſulem Aldegundium, mirum, quo is riſu exceperit, multiſque præſentibus, uti vana damnaverit: ſive falſus ipſe ita ſentiret, ſive ad alios fallendos ita dici oporteret *Nimirum plus nimio fidere ſibi*, ajebat *fortuna ebrium ſua Parmenſem Alexandrum, qui ponte injecto frenari libertatem Scaldis ſibi perſuadeat. Non magis paſſurum Scaldim* cam-

Materiam ad pontem extruendum parat.

*arbores navium forti di S. Mar. e di S. Filip.*

& Scaldis ripas communit.

Aldegundio irridente.

2009 Ministerio de Cultura

*compedes machinarum, quam liberos Belgas jugum Hiſpanorum. Patere, ſi ille neſciat, eo loco flumen pedibus bis mille, ac quadringentis: altum, quum ſuas vehit aquas, amplius ſexaginta. nam quum Oceani æſtum accipit, ad pedes præterea duodecim inflari. Et quas Hiſpano ad manum eſſe tanta proceritatis, firmitatiſque trabes, quæ hujuſmodi alvei altitudinem exſuperent, atque extent ab aquis? Neque hoc à navibus, quæ forte pontem ſuppleant, expectandum eſſe: quum & illa obſeſſoribus nulla ſint in præſentia, & aliunde accerſita ad eos deferri nequeant, niſi ante Antverpiæ mœnia portumque tranſvehantur. ſed nuſquam imperitius peccaſſe Parmenſem, quam dilato ad opus faciendum tempore in hiemem jam jam declinante. quo ſane tempore, contracto in glaciem flumine, mox ingentes in partes, ac velut natantes in inſulas fracto, næ illum loci ignarum eſſe, ſi duraturum putet ligneum ſubitariumque pontem adverſus glaciatos montes, prærapido maris æſtu delatos impactoſque: qui in urbem alte fundatam ſi incurrerent, totam haud dubie aperirent, ac labefactarent. Et quidem ſpectante, nec quidquam movente Antverpia, eventura. quid ſi eodem tempore hinc navibus ab urbe, inde ab Hollandia, Zelandiaque, inſtructa claſſe, moles invadatur, quo Alexandrum objectu, hiemem, mare, claſſem, conjuratos hoſtes, ab inſtabili in aquis palatione repulſurum?* Sic ille dum periculi aut diſſimulatione, aut contemptu, ſuos animabat; Alexander cœpto jam opere Scaldim premebat. 1584.

Operis molitionem, quoniam admirationem apud multos magis ex fama, quam ex notitia reportavit, ego Iulii Cæſaris exemplo, qui Rhenanum pontem non indiligentius deſcripſit, quam extruxit; accurate in præſentia partiteque comprehendam. præſertim inſpecta à me lignea ejuſdem pontis, caſtellorumque, ac præſtructarum molium prægrandi forma à Gandavenſi opifice affabre compoſita, quam ipſe Princeps Alexander, una cum tabula, operarum artificia coloribus referente, Romam miſit, magna tunc admiratione omnium obſer-

PONTIS deſcriptio. *l. 4. bel. Gall.*

*Modello Ludovic. Canbien.*

2009 Ministerio de Cultura

1584. *Forte di S. Maria.* Principium ejus à Flandrica ripa ex trabibus ita diſpoſitis

obſervatam. Res erat hujuſmodi. Apud Marianam arcem terna primum tigna à ripa æqualiter diſtantia, inter ſe vero quinque pedum intervallo, mira expeditaque machinatione in flumen defixa ſunt. Poſt hæc, tigna totidem abjuncta à primis, undecim pedibus, & inter ſe quinque, ſuccedebant. Ab his diſtabant tredecim pedibus terna alia: atque ab his alia terna, undecim pedum ſpatio recedebant. atq; in hunc modum alia atque alia veluti juga, alterno undecim, ac tredecim pedum intervallo diſcreta, continuo ductu iu fluminis latitudinem protendebantur eouſque, dum alvei altitudine, aquarumque incitatione arbores quantumvis proceras non admittente, terminavere hanc palationis ſeu ſepti partem trabes duodecim, altæ pedibus ſeptuaginta, in flumen quadrata fere forma immiſſæ, caſtelli materia futuræ. Atque hæc omnium, quæ dixi, tignorum capita, trabibus in longitudinem ſuperjectis, inter ſe juncta, & aſſeribus tranſverſariis cancellatim intecta, ſtratum pontis & ſolum fuere. Iam extrorſum in medio intervallo, quod erat inter ſingula tignorum juga, ſingulæ trabes quinque pedibus à jugis diſtantes in aquas impactæ ſunt: quæ binis trabibus tanquam brachiis, bina ex adverſo tigna comprehendebant, cuneumque conformantes, molem, contranitentibus trabibus colligabant. idque in ſingulis jugis ex utraque palationis parte ſervatum eſt. Adhuc exterius, ex utraque etiam parte, alia trabium ſeries, ea, quæ terno ordine juncta ſunt, tigna reſpicientium, ab iiſque viginti pedum ſpatio diſtantium, procurrebat. Ab imo harum trabium circa aquæ ſuperficiem grandes ſublicæ attollebantur, quæ ſubter cuneos tranſmiſſæ, inque medium decuſſatim concurrentes, ceu confibulæ, interna tigna connectebant, atque adeo machinationem omnem mire firmabant. Rebus ita diſpoſitis, ſuper medio tignorum ſtrato contabulata eſt pontis via, elatis ad latera pro vallo ſolitis aſſibus fidiſq; contra ictum majoris ſclopi,

Pontis via ſuper trabibus contabulata, & munita. *Moſchetto*

2009 Ministerio de Cultura

1584.

pi, pedes quinque altis, ac bipedali loricula ſuperaddita. Simili contabulatione caſtellum, deſtinatum armorum ſedes, in extrema palatione communitum eſt.

*Parapetto*
*Piazza d'arme*

Sed pontis via duodecim pedes lata, homines octo pariter incedentes admittebat: quum ſtationem hominum ferme quinquaginta caſtellum caperet, quadraginta pedes latum, longum quinquaginta duos.

Idem facti- ex Brabantina ripa.
*Forte di S. Filip.*

Porro quo tempore pars hæc pontis ex Flandriæ ora ducebatur, eodem ex altera ripa, apud Philippæam arcem pars altera pontis, & ad pontis extrema caſtellum, ſedes pariter armorum, eadem plane machinatione fabrefacta ſunt. niſi quod ab hac Brabantiæ parte, quoniam altitudo alvei patiebatur, longius multo producta palatio eſt, fuitque longitudo ejus nongentorum pedum: quum altera ad oppoſitam oram ducentos omnino pedes non excederet.

Longitudo palationis Brabantinæ, & Flandricæ.

Atque utraque hæc lignorum ſepta, STECCATAM milites appellavere. Reſtabat pars media majorque fluminis, adhuc aperta: patebatque ejuſmodi ſpatium inter utrumque ligneum caſtellum, pedibus amplius mille ducentis & quinquaginta.

Latitudo fluminis inter utramque palationem: quæ claudi trabibus præ altitudine fluminis non poterat:

Quo loco quum immenſæ altitudinis, ac rapiditatis eſſet amnis, eoque nullas ibi quacunque fiſtucatione infigi trabes, ſublicaſque ſuſtineret; decreverat Alexander, interjectis navibus locum occupare: miſſis qui Dunquerca, ſi qua eſſent navigia, ad ſe deveherent. Sed & illic rara tunc erant, & devehi per Scaldim haud poterant, niſi in Gandavi, Antverpiæque conſpectu. Spes tamen illum certa alebat, Gandavum, uti à fidis illinc hominibus admonebatur, brevi in poteſtatem venturum: atque adeo abunde ſe educturum inde naves, nautaſque, & bellicum apparatum.

ideoque per relictam eam viam ſemper aliquæ Antverpiam commeabant auxiliares naves.

Interim ſatis habebat, contracto flumine, ſpes quoque Antverpiæ contraxiſſe, facta ad tranſmittendum via non modo anguſtiore, ſed etiam munitis utrinque caſtellis, propemodum inacceſſa. Verum quo magis annona laborare obſeſſos, impedita navigatione, fama vulgabat; eo

merca-

2009 Ministerio de Cultura

1584. mercatores compendii ſpe plures illecti, inferre in urbem cibaria contendebant. vixque ullus abibat dies, quo nautarum aliqui, expectata maris opportunitate, incitatique rapido aquarum æſtu, Antverpiam felici temeritate non penetrarent, licet undique tormentorum ictibus è geminis præſertim caſtellis intercepti peterentur, mergerenturque complures.

GANDAVI deditio

Sed Gandavi deditio ſpes Antverpienſium perculit, Alexandri conſilium fortunavit. Etenim ſpes, non ſolum cibus, deficiebat à mari terraque Gandavenſes: premebanturque quotidie magis magiſque hinc ab Olivera, inde à Varambonio, qui inſeſſo per eos dies Hevergemio pago, prope Liviam amnem, conjunctis Burgundis ſuis, Angliſque cum Oliveriano equitatu, tractum omnem, ſupra infraque urbem, infeſtus obtinebat; ex quo flecti jam feroces animi occœperant: miſſoque tubicine Beveram ad Alexandrum, pro fide publica venturis eorum legatis, impetrataque; obtulere Alexandro urbem in eas conditiones, quibus deditionem ſuam compoſuerant Brugenſes, quæque oblatæ tunc quoque fuerant Gandavenſibus. Sed iis illico pernegatis, quod nova ſymptomata cogerent præſcriptas mutare medicamentorum leges: quin & increpiti quod non modo oblatas antea pactiones ſuperbe neglexiſſent, ſed etiam novis adverſus Religionem reſque ſacras injuriis, novis in regiarum partium homines animadverſionibus, Regis ultionem provocaſſent; admoniti ſunt, ut ante actorum memores non aliam conditionem, quam clementiam Regis expoſcerent, aut expectarent. Quumque illi & culpam in paucos referrent: & validam nempe urbem, laturamque in plures adhuc menſes obſidium jactarent: & litteras Galliæ Regis oſtenderent à Prunæo legato ſubmiſſas, cum certa regii auxilii ſpe: ac demum adderent, vereri ſe, ſi domum re infecta redirent, ne ſeditioſi cives, atque Hiſpanis infenſi, deſperatiſſimo conſilio, urbem

*Marginal notes:* Gandavenſes fame domiti — *Salvo condotto* — *15 Sept.* deditionem offerunt, & certas conditiones orant Alexandrum. — qui eos non exaudit: — ſed increpitos remittit. — Illi fruſtra ſe excuſant,

© 2009 Ministerio de Cultura

urbem omnem ſubjecto igne ſuccenderent, atque exuvias victoribus relinquerent ab Alexandro nihil iis moto ad Præſidem Richardotum miſſi ſunt: ex quo auditis non ſane placitis conditionibus, quas imponi Gandavenſibus agitaretur: præſertim quum is inter colloquendum addidiſſet, viſam à ſe arcanam ab Hiſpania epiſtolam Parmenſi Principi ſuadentem, ne Gandavenſes alio reduces modo reciperet, quam quo avus ejus Carolus V iiſdem ſupplicibus, fune è collo pendente, ac ſeminudis veniam impertiviſſet; legati ea commemoratione ſuboffenſi, Gandavum reverſi ſunt. Ac poſtridie venere inde, civitatis quidem nomine, viri nobiles duo, Petrus de Vos, & Petrus Cortevilla: à militia autem Centuriones tres: utque faciliora omnia apud Alexandrum expedirent, veteri Britannorum exemplo, qui pacem à Cæſare petituri, legatis aſſociavere Comium Regulum Atrebatenſem, Cæſaris amicum, quem in vincula paulo ante conjecerant; & iſti Federicum Perenottum Campinii Dominum, eductum è carcere ſecum aſſumpſere. eoque, & Richardoto ſequeſtribus, in hunc denique modum conditiones emollitæ ſunt. *Veniam præteritorum omnium, Regis nomine, Gandavenſibus in gratiam receptis elargitur Belgii Gubernator Parmenſis Princeps, priſtinis privilegiis reſtitutis. Animadverſione, qua in univerſos exerceri debuit, ad cives tantummodo ſenos redacta, nunc hiſce quoque ſenis civibus, quos ſibi arbitratu ſuo tradi plectendos quocumque liberet ſupplicii genere popoſcerat, vitam indulget, jure ſibi in reliqua reſervato. civitatem ducentis millibus florenum mulctat. Cæſareæ arcis, ac Sacrarum ædium reſtitutionem eidem imperat. Sacrum ordinem urbe ejectum revocari mandat, reducique in bonorum, queis inter poſtremas haſce turbas exutus fuerat, poſſeſſionem. Hæreticis ad ſua componenda, migrandumque, biennii moram Gandavi concedit. Præſidiariis militibus* (erant illi paulum ſupra bis mille) *cum armis cuique ſuis abitum permittit. alios eorum loco ex quacumque natione impoſiturus.* Impoſuit autem,

[Margin notes:]
1584.
*Card. Granvel.*
28 *Junii.*
1540.
& abeunt.
Redeunt
& hoc artificio uſi,
*Cæſ. l. 4 bel. gal.*
urbem arbitrio Alex. dedunt, hiſce conditionibus acceptis:
Alex. ſtatum Gandavi civilem,

2009 Ministerio de Cultura

1584. autem, rebus ita conſtitutis, tria peditum millia, equitumque turmas quinque, Olivera duce: & Campinium paulo ante carcere occluſum, biſque capite periclitatum, urbi præfecit. ſimul evocato Mechlinienſi Archiepiſcopo, qui Gandavi ſacra procuraret, Sacerdotes, Religioſaſque familias in urbem reduceret, atque Orthodoxæ fidei deſertores Religioni, ac Deo reconciliaret; ſtatum, (ut tunc quidem diſtractus alio potuit) civilem, ac ſacrum ordinavit. Sic urbs in manus venit, qua nulla in Belgio major, mœnibus, foſſa, propugnaculis adverſus quaſcunque magnorum exercituum aggreſſiones præmunita: intuſque non minus valida fluminum, & canalium flexionibus ſepimentiſque, à quibus in inſulas quam plures ſecta, ſi foris ſuperetur, habet unde ſe, intra inſularum receptus, abſciſſis pontibus, noviſſime tueatur; hæc, inquam, tanta opulentaque urbs ab Alexandri terrore nominis magis, quam à paucis circa ſtationibus obſeſſa, minima Regis impenſa, jactura militum nulla, accipere victoris arbitrio leges coacta eſt: tam magno quæſtu bellici apparatus, relatis inde tormentis muralibus campeſtribuſque quam plurimis, militaribus machinis, plauſtris, foſſoribus, fabriſque, præter naves, ac navalem turbam; ut merito Alexander, miſſo victoriæ nuncio in Hiſpaniam, cumulaturus (ut ſcribit ipſe) ludorum ſolennia, quos tunc acceperat in Catharinæ Regis filiæ nuptiis celebrandos; poſt rei geſtæ narrationem, poſtremo addiderit. *Nunquam inter Belgii proſpera, expertum ſe eſſe opportuniore loco, Dei benignitatem, quam in Gandavenſi victoria, per ſe magna, & Gandavenſi majorem brevi paritura.*

*Campin. Granvell. Card. frater.*

& ſacrum ordinat:

& victoriæ ex urbe maxima munitiſſimaque

nuncium Regi mittit. *Duci Sabaudo nuptæ.*

Et vero ſtatim conſtitit victoriæ fructus. Eductæ ſunt Gandavo duæ, ac viginti naves, quingentis militibus armatæ, cum aliquot onerariis, ut ſecundo Scaldi, Calloum deferrentur. Sed quoniam Calloum inter, & Gandavum, Antverpia intercedebat, cujus ante munitiones

Gandavo naves educuntur ad finiendum pontem.

navi-

©2009 Ministerio de Cultura

navigandum erat, hæc inita eſt ratio vitandæ hoſtilis urbis. Inundaverant Antverpiani per Saftingæ aliorumque aggerum ſciſſuras, ut antea dicebam, maximam agrorum partem ad Borchtum uſque pagum, paulum ſupra Antverpiam: ac præter Delam inſulam, & Calloum, & aggeres aliquot ab alluvione extantes, ceteram Flandriæ oram aquis late contexerant. Hac opportunitate uſus Alexander, ubi naves Gandavo egreſſæ, Teneramundam, mox & Rupelmundam, captas jam urbes, tuto tranſvectæ ſunt, auctæ inſuper aliquot navigiis atque biremibus; juſſit eas relicta ad dexteram Antverpia, Borchtum divertere, apertoque ibi Scaldico aggere, in campos aquis merſos erumpere. Quod ille, poſt breve prælium cum navibus Antverpia illuc feſtinatis, interempto Ioanne Cocco earum Præfecto, tutæque propugnaculo prope Borchtum ad hanc rem excitato, feliciſſime præſtitere. Inde Calloum verſus velificantes, ac Blocherſem aggerem, apud S. Franciſci munitiunculam, perrumpentes; demum apud S. Sebaſtiani propugnaculum, ſciſſo Scaldis aggere, rurſus in flumen illapſæ pervenere ad Alexandrum, tanto majori exercitus gratulatione, quanto auditum erat, vix prætergreſſis Borchti ſciſſuram regiis navibus, novam Antverpia claſſem Cocco auxiliaturam advolaſſe, ductore Tilinio. Hic, paucis ante diebus, dum operas Farneſiano ponti hinc atque hinc intentas aſſidue incurſant hoſtes, diſtrahuntque; noctu Lilloo egreſſus Antverpiam evaſerat, tribus Hiſpanorum ratibus ſecum tractis. Verum quum regios rejectis Antverpianis navigiis, tranaſſe jam Scaldis aggerem ad Borchtum vidit, ne aditus ille, oſtiumque venturis inpoſterum Gandavo navibus pateret, cum ea, qua venerat claſſe, perfoſſi aggeris ripam inſedit, ibique caſtellum, quod Tilinianum appellatum eſt, excitavit, ac munivit. Dein Antverpiam reverſus, habita cum Aldegundio, reliquiſque belli primoribus conſultatione, quum

1584.

& per inundatos ab hoſtibus campos.

*Galeotte*

vitata Antverpia,

*Dicco*

commiſſoque feliciter prælio,

ad Alexandrum advehuntur.

Sed Tilinius Lilloo Antverpiam navigans, *Lanua fil.*

non ſine præda,

excitato caſtello viam navibus Gandavo in poſterum venturis intercludit.

2009 Ministerio de Cultura

1584. quum advocandum è Zutphania Comitem Ho-
lachium, urgendum cum ſua Anglorum legione
Morganum, implorandum gallicum rurſus
Poſtea ad ſollicitandos Hollandos renavigans, *Gaſpar Robles Bil. Dom.* auxilium cenſuiſſent; ipſe onus Hollandos ad-
eundi, ſollicitandique eorum claſſem, ultro
ſuſcepit. Atque expectata maris reciprocati-
one, armata biremi, ac præmiſſa oneraria,
nocte intempeſta, ligneos inter pontes elabi-
tur: mox tamen incidens in biremem, navem-
que Billii; qui Alexandri juſſu inter palatio-
capitur, nem, ac Lieſenſucum excubabat, commiſſo
prælio vincitur, capiturque, ac Tornacenſem in
arcem poſt abducitur; non minore Antverpiæ
jactura, orbatæ ſtrenuo audentiſque partium
Duce, quam mœrore Lanuæ patris ea captivi-
magna partium jactura. *Lanua captus ante fuerat Vide ſupra l. 3* tate bis capti. Sed non hac compenſatum eſt
clade damnum, quod allatum à Tilinio fuerat,
inſeſſo Borchto, excluſis inde regiis, atque
adeo intercluſo navigiis aditu è Gandavenſi
Alex. interclufa à Gandavo via, urbe. Id, quod angebat Alexandrum navium
egentem, quarum objectu abſoluta pontis mo-
litione, Scaldim aliquando clauderet, viam-
que hoſtibus, contempto periculo quotidie il-
lac tranſmittentibus, ſemperque commeatus
aliquid Antverpiam comportantibus inhiberet.
Præſertim quod, quo magis in hiemem ibat,
eo duriora omnia, inprimiſque fluminis glaci-
em, qua nullam certiorem peſtem minaban-
tur accolæ, formidabat. Aliis præterea navi-
bus opus habebat, ad pontis tutelam armatis
contra hoſtium conatus, à mari aut ab Antver-
aliam excogitat aliunde: pia, aut utrimque ſimul invadentium. Ergo
ſæpe jam fruſtra conſultis aquarum locorum-
que peritis, ipſe, ſeu neceſſitate ingenium
exprimente, ſeu potius, uti ſcribit ad Regem,
*14 Novembris* Deo hanc illi mentem inſinuante, poſtquam om-
nes circa flumen tractus æſtimaſſet, ſtatuit, Dru-
ſi, & Corbulonis exem plo, qui per ea loca,
ille à Rheno in Flevum lacum, hic Moſam inter
*Spider-zee* & Rhenum, non procul à Batavico littore, foſ-
ſam duxere; à Stechena Waſiæ pago alve-
um moliri navium capacem, & Calloum uſque
de

2009 Ministerio de Cultura

derivare. Et quamquam magna foſſorum parte alibi diſtenta, tamen haud dubius militaris obſequii, (quippe obtinuerat Alexander, ut quod antea vis, & imperium, jam æmulatio & mos haberetur) ipſe conſilii ſui faber, inter milites foſſoreſque indiſcreto labore manum operi admovet: ac paulum ſupra Stechenam, quo brachium pertingit Mœræ Gandavenſis fluvii, aperit foſſæ caput. in eam infuſo Mœra, canalem dirigit ad locum, quo inundatio aliquatenus extendebatur, quinque paſſuum millibus è Stechena diſtantem. Inde per campos aquis haud ita altis inundatos, apud S. Giſliſium pagum iter flectens, inter Verbocchum vicum, & Beverenſem arcem, ad Calloum, & caſtra perducit alveum, ac ſciſſo demum Scaldis aggere in flumen exonerat: extructo ibi Perla propugnaculo, ad præſidium novi oſtii, portuſque, quem eodem loco ſuis navigiis deſignavit. Atque in hunc modum pro ea, quam hoſtes per Scaldim intercluſerant via, ipſe nova, breviorique aperta, in quam naves Gandavo per Mœram ſe immitterent, ac deferrentur in caſtra, materiam perficiendo operi, & commeatum alendo exercitui, abunde providit. magna & hoſtium admiratione ex opere tanto, tanta celeritate perfecto: & militum lætitia, Parmenſi Principi, cujus honori novum alveum Parmam appellavere, diu effuſeque gratulantium. Fuit longitudo Farneſianæ foſſæ, qua per ſiccam, qua per aſperſam aquis humum ſerpentis, milliarium circiter quatuordecim: primæque per eum actuariæ naves Gandavo ſeptemdecim advenere. poſtea vero, ſicuti maxima quæque flumina Flandriam propemodum omnem complectentia, Gandavi excipiuntur, ita ex univerſis fere Flandriæ locis deferri cœptæ ſunt generum omnium merces in caſtra; non exiguo ſane quæſtu pagorum, oppidorumque, venalia huc multa tuto convehentium, diſtrahentiumque: & militum in primis commodo, quibus toto obſidionis tempore unus hic alveus

1584.

Foſſam molitur,

immiſſoque in eam flumine,

Ducto

uſque in caſtra deducit.

ejus longitudo,

& commoda.



2009 Ministerio de Cultura

1584. veus rem cibariam, ſublata occaſione deſerendi ſigna ſtationeſque, præſenti copia ſuppeditavit. Sed præcipuus tunc quidem Parmæ fructus, naves fuere ad pontis abſolutionem adhibendæ. Ne tamen per aliquot dies adhiberentur, gelu deterruit. Diffracto enim, qui magnam partem conglaciaverat, Scaldi fluvio, aggerebantur glaciei immanes cumuli: qui ſi forte delati cum æſtuante, rapidoque mari, in pontem incurriſſent, haud dubie obſtantia hæc in medio amne navigia, ubi major rapiditas, diſſipaſſent, atque obruiſſent. Sane ingentia aliquot fragmina glaciati amnis in ſtructuram pontis impetu acta, atque intra craſſitudinem lignorum fere ſemipalmo immiſſa, argumento fuere, qualis ea firmitudo molis eſſet, quæ adverſus acuta adeo tela furenti ab Oceano contorta, immobilis, atque inconcuſſa perſtaret. Vbi autem miteſcere hiems cœpit, & minor à gelu timor; ad molitionem operis reditum eſt.

*Naves per eam deferuntur ad pontis abſolutionem adhibendæ:*

*& glaciati fluminis impetu*

*1585*

*ceſſante adhibentur.*

Patebat, uti ſupra ſignificatum, pedibus paulo minus mille, ac trecentis, pars media fluminis inter caſtella. Ad eam claudendam duæ, ac triginta naves æquatæ in latera, interjectæ ſunt, ſingulæ ſexaginta ſex pedes longæ, duodecim latæ. Nec lateribus cohærebant, ſed pedes viginti duos inter ſe diſtabant: quaterna tamen ſerie rudentum, & catenarum proras puppeſque, ac media latera vincientium, conjungebantur. Præterea unaquæque navis à prora, atque à puppi firmabatur anchoris ita jactis, ut attollente ſe flumine, laxatis nautarum miniſterio anchorariis funibus, inoffenſa navium ſeries attolleretur. At ſpatio inter ſingulas naves trabibus commiſſo, ac tranſverſis aſſeribus conſtrato, tranſmittebatur in navium foros: unde continuus inter caſtella pons, mille, ac trecentorum pedum efficiebatur, vallatus & ipſe firmis aſſerum loricis, uti ſervatum fuerat in utroque palationis ponte, cui medius hic adnectebatur. Additi & defenſores, ſingulis quidem navibus milites triginta, cratibus pluteis

*Eæ fuerunt naves triginta duæ,*

*In hunc modum compoſitæ.*

*Super his conſtrata eſt via,*

*ſtccate*

2009 Ministerio de Cultura

pluteiſque præſepti, ac nautæ quatuor, cum duobus majoribus tormentis: caſtellis autem ſtationarii longæ plures: ſingulis vero caſtellorum angulis totidem tormenta, quorum duo in palationis, duo in navium tutelam excubabant. fueruntque tormenta majora pontem univerſum propugnantia, ſeptem omnino, ac nonaginta. Neque hoc perfectum eſt opus, antequam ſimul aliud perficeretur, quod hujus munimentum, firmamentumque futurum eſſet. Et quemadmodum ante urbium portas objici ſolent hoſtibus aliqua paulum abjuncta à mœnibus propugnacula, quorum oppoſitu retardentur illi, ac retundantur, ut non niſi feſſi, imminutique invadant urbem; ſic nova hæc moles (uti inventor ejus Baroccius diſſerebat) ponti præſtaret, in quam neceſſario incurrerent, induerentque ſe ſe hoſtium naves, antequam integræ, validæque pontem aggrederentur. Et hujus quidem machinæ ſtructura hæc erat. Prætendebantur ante navium pontem; ſed procul ab illo ad teli jactum, rates triginta tres, ternæ lateribus aliquantum diſtantibus compoſitæ, ſtratiſque deſuper ingentibus tignis, maliſque navium, connexæ: tum ternæ aliæ inter ſe quidem eodem modo conjunctæ, ſed à primis ternis modico interjecto ſpatio ſeparatæ: ſic rurſus aliæ, ad undecimum uſque ternarium, pari intervallo ſuccedebant. Porro ex ſingulis hiſce ternariis, dentato extabant ordine quaternæ denæ trabes, prælongæ, tereteſque, & ferro acuminatæ: quæ velut haſtata, in fronte agminis cohors, prætentis in hoſtem inclinatiſque cuſpidibus accedentes territabant. Rates doliis inanibus oppletæ, ne à profluente, aut ab æſtu abriperentur, demiſſis utrinque anchoris ſiſtebantur, laxis tamen rudentibus, ut intumeſcente amne pariter elatæ fluitarent, eoque flottas appellavere. Harum porro machinarum, quæ geminæ fuere, altera Antverpiam verſus, Oceanum verſus altera,

defenſoribus & nautis & tormentis munita.

Tormentorum numerus in navibus, & in utraque palatione, & in caſtellis palationum terminis.

*Rivellini* ponti geminum munimentum præponitur.

*Propertius Baroc.* hoc artificio,



2009 Ministerio de Cultura

1585. teræ, ſingulæ pedes mille ducentos quinquaginta duos longæ, tantum in fluminis latitudinem extendebantur, quantum & totum navium pontem, & aliquam caſtellorum partem, objectu, moraque ſua contegerent. Poſtremo Alexander, armata quadraginta navium, biremiumque claſſe, quarum vicenis circa ripam Flandriæ, totidem ad oram Brabantiæ, tutelam pontis attribuit; opus poſt ſeptimum obſidionis menſem abſolvit: ac ponte bis mille, & quadringentorum pedum Scaldi impoſito ea firmitate, ut in Brabantiam è Flandria communicatis, quæ utrobique erant, caſtris, peditum equitumque copiæ, cum plauſtris tormentiſque curulibus ultro citroque ex uſu commearent; flumen hoſtibus intercluſit, ſpemque commercii omnem à mari Antverpienſibus ademit. Diem, quo pons, & munimenta pontis abſoluta ſunt (fuit autem feſta lux Apoſtoli Matthiæ, quam Alexander fauſtam ſibi, uti ſcripſit ad Regem, auguratus eſt, ob memoriam Caroli V avi ſui, fortunata quæque eo die ſortiti) cunctus exercitus militari pompa celebravit. pars magna militum novo ponte diſpoſiti, quaſi miſſo ſub jugum, calcatoque Scaldi jam victores: pars ex arcibus propugnaculiſque in utraque ripa conſtructis, alii ex navibus, plures è ſtationibus & caſtris, omnes læta tormentorum exploſione, lætis vocibus, Parmenſi virtutem, Parmenſi victorias acclamavere. Dum ipſe, qui rei molitionem præcipuo Dei nutu cœptam, atque inter aſſidua hoſtium, elementorumque certamina eo deductam intelligebat, actis ei ſubmiſſo animo gratiis, ſtabilitatem operi à præpotenti ejus dextera precabatur.

& abſoluto bis mille & quadringentorum pedum ponte,

via Antverpiam à mari penitus intercluditur, 24 Feb.

28 Feb. *Carol. V eo die natus, coronatus, & victor apud Ticinum*

magna militum lætitia, diem perfecti operis celebrantium.

& Alex. Deo grates ob eam cauſam peragentis.

At vero ubi compertum eſt Antverpiæ, clauſum jam ponte Scaldim, ac multi procul proſpexere molem, haud facile dictu eſt, quæ indè admiratio conſternatioque populum invaſerit. Fuere; qui non humano illud artificio inventum, ſed dæmonum afflatu monſtratam Par-

Antverpienſium admiratio abſoluto ponte:

men-

2009 Ministerio de Cultura

menſi formam operis, conductiſque ex Orco 1585.
fabris, ferramentiſque perfectam, ſibi perſuaderent. Certe Conſul Aldegundius, quamvis diſſimulato tunc quidem metu, diſparem animo frontem explicaret; in libello tamen, quem capta poſt Antverpia emiſit, *Supra humanam fidem fuiſſe* aſſeverat, *ejus naturæ amnem mortalium manibus claudi poſſe*. Et ſane in veterum annalibus haud facile quis reperiat ſtructuram pontis admirabiliorem. Scio Cæſaris pontem paulum ultra Belgii fines, ſuper Rheno fabricatum, ſcriptorum commentationibus clarum eſſe. Attamen Cæſar longe anguſtiore loco, tenuique per æſtatem Rheno pontem ſtatuit. Alexander alveum duplo fere latiorem, & Oceano proximum, miſtumque Oceano, atque adeo ejus agitatum elementi furiis compreſſit. Præterea prompta illi materia fuit ex amicis circa provinciis, naves ac ligna offerentibus: Alexandro pauca ad manus, pleraque procul aſportata, ſemel ab Anglis, iterum ab Hollandis intercepta, ſemper hoſtibus obnoxia. Adde quod Cæſar brevem ad uſum, nempe ad tranſducendum ſemel exercitum, machinam ſtruxit: atque adeo non ea operi firmitas paranda fuit, quæ neceſſaria erat Alexandro, obſidionem in plures menſes facile producturo. Denique ille non metu hoſtium, qui, ubi pons inſtitui cœptus eſt, fugam arripuere, ideoque operis ſecurus opus condidit: Alexander in conſpectu inimicæ potentiſſimæque urbis, inter illam medius & poſſeſſum hoſtibus mare, modo hinc, modo illinc, ſæpe utrinque infeſtis navium incurſionibus impetitus, molem inter undas æſtu Oceani irrequietas conſtituebat. Vt profecto, ſi Cæſaris nomen Rhenano ponti demeres, Antverpiano adderes, noſtram ætatem ſuorum, credo, Cæſarum non pœniteret. Auxit obſeſſæ civitati ſollicitudinem explorator ab Aldegundio ſubmiſſus in caſtra, relaturus pontis formam, hoſtiumque conſilia. Qui agnitus, captuſque, ſed contra quam metuebat,

> & Aldegundiī de eo judicium

> *lib. 4 & 6 belli Gallici*

> Comparatio hujus cum Cæſaris ponte

> *Cæſari*

> *Cæſar.*

> *Antverpiæ*

> Explorator Antverpienſis capitur,



2009 Ministerio de Cultura

1585. à Parmenſi exceptus (Scipionem videlicet imitato, qui pari ſecuritate ſui, & contemptu hoſtis, ſpeculatores Annibalis admiſit,) juſſus eſt circumire caſtra, contemplari ſtructuram pontis, numerare naves, tormenta, propugnacula: tum, omiſſo metu, ad ſe reverti. Reverſo, *Vade*, inquit, *liber ad eos, qui te ſpeculatum miſere: & poſtquam, quæ oculis ipſe tuis uſurpaſti, omnia percenſueris, adde, Firmum fixumque eſſe Alexandro Farneſio, ab obſidione non ante diſcedere, quam aut ſub illo* (& pontem monſtravit) *tumulum ſibi condat, aut per illum in urbem ſibi viam ſternat.*

*Livius l.10. 3 dec.*

& Antverpiam remittitur ab Alex. hiſce cum verbis.

Sed multo, quam exploratoris relatio, civitatem exterruerat magis, Buſcoduci infeliciter attentati nuncius. Etenim ex rebus Midelburgi agitatis in fœderatorum Ordinum conventu, ita partiti fuerant ſubſidium: ut, dum Treſlongus Zelandiæ oræ Præfectus claſſem Lilloum adduceret, Holachius Buſcoducum invaderet. cui defendendo ſi Parmenſis accurreret, (ita enim differebant) haud dubie, tractis è Scaldico ponte caſtelliſque præſidiariis, faciliorem claſſi acceſſum, impreſſionemque in pontem fore, ſin autem poſthabito Buſcoduco, belli caput non omittendum putaret, profecto non duraturam per ſe ſe urbem, præſertim pollicitis aliquot in ea civibus operam ſuam: capto autem Buſcoduco, commeatum Antverpiam à terra inferri poſſe, nulla maris cura. Et jam Holachii juſſu quinquaginta pedites, ductore Claragio, ante urbis portam, quæ Antverpiam ducit, occultati, quum primum cives eam mane recluſere, demiſſo verſatili ponte; improviſo apparent, fugatiſque, qui venerant, civibus, portam occupant. Inde non procul in ſucceſſum intenti equites trecenti, ſeptingentique pedites, Holachio ipſo duce, urbem intrant: diviſique, in forum alii tendunt, munitione tormentiſque potiuntur alii, plures quaſi jam victoriæ ſecuri, prædatum urbem ſane opulentam certatim huc illucque funduntur. Quin & Decurio tribus cum militibus ad portam

BVSCODVCI aggreſſio, *Bolduc*

*Io. Bloſius Mons de Treſlong.* decreta in conſilio Fœderatorum.

*Bolduc.*

*Julien Clarag.*

Intrant urbem Holachius & ejus copiæ,

quæ ad prædas funduntur.

*Caporale*

2009 Ministerio de Cultura

portæ tutelam ab Holachio relictus, captam jam urbem ratus, ne fructu victoriæ unus ipſe careret, ſtatione flagitioſe deſerta, ſociis ſe ſe prædabundis adjungit. Forte per eos dies Buſcoduci aderat à morbo recens Altapennius, auditoque invadentium clamore, arma induit, tractiſque ſecum quadraginta equitibus lanceariis ex Italica turma Elmontii urbis Præfecti, in forum prodit, cives conſternatos latitanteſque præſentia ſua extrahit, animatque, ac primo hoſtium manipulo infeſtus occurrit. Sequitur exemplum Altapennii Præfectus Elmontius: cum utroque ſe ſe civium alii adglomerant: alii ductu ſuo, & mutua adhortatione in hoſtes vadunt: ſumptiſque jam ubique armis, tota paſſim urbe, per vias ac fora, diverſis utrinque animis, pari obſtinatione confligitur. hinc enim patriæ caritas, conjugum, liberorum, ac fortunarum cura, adverſum aggreſſores prædatoreſque incendebat: inde potiundæ urbis decus, ingentiumque prædarum, quæ jam in manibus erant, cupido ſtimulabat. Verum, ſive quod SVA quiſque acrius defendit, quam rapto invadit aliena: ſive gliſcente civium armatorum numero, ut FERME quam pauci ardua aggrediuntur, tam dein multi aggreſſos imitantur; Holachianos non jam diripiendæ urbis, ſed tegendi ſui perurgere ſollicitudo cœpit. Suſtentabat tamen illos ſpes auxiliarium copiarum, digreſſo paulo ante Holachio ad eas è vicino urbi pago, ubi latebant, accerſendas. Has autem, quæ mille equites, bis mille pedites erant, in urbem properantes, jam jamque portæ ſuccedentes, ſenex unus incuſtoditam ab Holachianis portam intuens, è proxima turricula clam prorepens, inciſis retinaculis, demiſſaque portæ cataracta, aditu excluſit, eluſitque. Quo factum eſt, ut qui jam numero animoque impares pugnabant Holachiani, nullo ad fugam exitu invento, omnes aut intra urbem concluſi, trucidati ſint: aut è mœnibus in foſſam ſponte demiſſos, paucis exceptis, obruerint aquæ. Quo tempore fe-

prædabundis adjungit ſe portæ cuſtos.

Occurrit hoſtibus Altapennius

mox & alii.

pugnatur.

Holachius ad novas copias adducendas egreſſus.

cum iis redit:

Sed porta occluſa non admittitur.

Inde Holachianorum cædes.



2009 Ministerio de Cultura

1585. runt, civium multos adhuc ignaros liberatæ urbis, è diverſa mœnium parte, præpropera fuga, inanique eorum metu, quibus ipſi metui erant, ſe ſe pręcipites egiſſe, victoreſq; juxta, ac victos, aquis hauſtos eſſe. niſi forte iſtos non ignoratione victoriæ, ſed proditionis conſcientia ad fugam fatumque compulſos credibile ſit. Reperti inter eos, qui deſiderati ſunt, Ferdinandus Truchſeſius, exauthorati Septemviri frater, & nothus Orangii filius, præter Holachii legatum, & Germanos aliquot peditum haſtatorum duces Sic urbem jam captam, unus Decurio ſtationis deſertor amiſit, præſenti Altapennius animo ſervavit. Vt merito illum è mœnibus fugientem pœna conſecuta ſit, Holachii juſſu capite damnatum: Altapennium Elmontiumque, commendante utrumque Alexandro, Regis litteræ gratiarum indices, non ſine donativo ad Altapennium miſſo, decoraverint.

& pœna cuſtodis. *Meter. lib. 2.* & præmium Altapennii.

BRVXELLENSES obſeſſi fame laborant.

Hujus infortunii nuncius eodem plane tempore Antverpiam intravit, quo equites aliqui, mox & pedites, reliquiæ cladis à Georgio Baſta, equitatus univerſi Commiſſario illatæ, ſe ſe effuſa in urbem fuga recipiebant. Etenim capta pridem à Regiis Vilvordia, Bruxellis proxima, relictoque ad loci præſidium Ambroſio Landriano; fame laborabant miſerum in modum Bruxellenſes. Iis opem ut ferrent aliquam Mechlinienſes, Antverpianique, ita convenerant, ut illi commeatum, hi militem commeatus tutelam adderent. Suboluerat id Parmenſi Principi, ejuſque juſſu ex Tornautho Georgius Baſta, atque ex Lyra Odoardus Lanceavecchia, Lyrani præſidii Præfectus, conjunctis copiis, & circum Vilvordiam ſtructis inſidiis excubabant. Quum per obſcurum cœptæ jam noctis, plauſtris circiter ducentis præire conſpiciunt novem equitum ſigna, & cohortes peditum ferme tredecim, paucis à tergo comitantibus plauſtra, ob vicinitatem Mechliniæ tutiora. Ergo Regii magno repentinoque tubarum, ac tympanorum ſtrepitu numerum ementiti, in pri-

Mittunt illis commeatum multo comitatum milite Mechlinienſes & Antverpienſes.

Sed incidentes in regiorum inſidias,

©2009 Ministerio de Cultura

primum equitum agmen inferuntur. tum miſcentibus ſe ſe peditibus equitibuſque, dum acriter utrinque confligitur, ſpatium nacti plauſtrarii ſubduxere vehicula, ac pleraque Mechliniam, à qua non multum proceſſerant, reduxere. Ex quo Regii in hoſtes ferocius incumbentes, cæſis eorum minimum ducentis, plurimis captis, equis maxime Raitrum ſupra quadringentos abductis, reliquis fuſis fugatiſque, ſatis habuere, Antverpienſium conatum non levi eorum malo eluſiſſe, & Bruxellenſium famem, alimentorum deſperatione, fruſtraſſe. Et vero non ultra tolerabatur fames in civitate perquam lauta ſplendidaque, & habitatoribus frequente: quamvis identidem emiſſis ad eam exonerandam viris feminiſque compluribus. quorum tamen pleroſque regii equites aut ſcloporum ictibus in urbem rejiciebant, aut pergentes ſuſpendio necabant: feminas autem, ſectis ſupra genu veſtibus, eam ignominiam referre domum, & cum ſuis fame commori jubebant. Et commoriebantur in dies, ciborum inopia, ſane perplures: adeo, ut matrem numeroſa liberorum prole cinctam, à quibus aſſiduo ejulatu materna viſcera cruciabantur, venenum iis propinaſſe, mox & ipſam hauſiſſe, ut longæ mortis tædio anteverterent, memoriæ proditum ſit. Acceſſit, famis additamentum, diſcordia: civium aliis de dedenda urbe conſultantibus, aliis ferociam ſpemque gallici auxilii retinentibus: illis armato milite aulam, his pari armorum apparatu forum, ædeſque prætorias occupantibus. Donec deſperata Gallorum ope, intercluſo undique in urbem aditu, amiſſa Vilvordia, ac Willebrouco Bruxellenſis navigationis capite, præſidioque ab Igniqueſia legione jam capto; Templæus urbis Gubernator, militeſque, ac Magiſtratus, ſeorſim legatos in caſtra ad Alexandrum mittunt, qui civitatem ejus clementiæ tradant: tantum orantes, ut conditiones accipiant, quæ urbem Belgarum Principum ſedem non

1585.

cæduntur & fugantur.

cum Victorum præda.

Creſcit Bruxellis dira fames;

miſerabili exemplo.

creſcit cum fame diſcordia.

Igitur de deditione

mittunt ad Alexandrum;



2009 Ministerio de Cultura

1585. *Margarita Auſtriaca Alex. mater* à quo increpiti, dedeceant: certe in concuſſam Bruxellenſium fidem erga Parmenſem matrem mereri aliquid apud filium. Alexander paucis perſtricta ea ipſa fide, quam in matrem, & in Regem matris dominum mutaſſent, Regemque è ſua ſede, furiali edicto, ejeciſſent: attamen de Principis clementia bene ſperare juſſos ad Richardottum Præſidem remiſit: cujus potiſſimum opera hiſce inter alias conditionibus conventum eſt. *Cives ab Rege in gratiam recepti: pecunia onere nullo impoſito, tantum juſſi templa reficere: pretioſam Regis ſupellectilem, regiique ſacelli ornamenta Bruxellis direpta reſtituere, aut eorum pretium ſolvere. ablata vero ex Granvellani Cardinalis, Erneſti Com. Mansfeldii, aliorumque opulentiorum ædibus, an reddenda eſſent, judicum ſententiæ relictum. Poſtremo hæreticis, ad ſua componenda, biennio in urbe ſubſiſtere permiſſum. At externis militibus,* qui mille, & quingenti pedites, equites quadringenti fuere, *ut liberi cum armis impedimentiſque, egrederentur conceſſum eſt, ſine ſignis tamen, & cum extinctis funiculis, ac tympanis tubiſque ſilentibus: ſacramento prius dicto, Non ſe induturos arma adverſus Hiſpanum Regem, milites quidem quadrimeſtri ſpatio, ſemeſtri autem militum ductores.* Quibus abeuntibus, inductus eſt in urbem ab Alexandro Gubernator Antonius Goignii Dominus, vetus ab uſque Caroli V temporibus ordinum ductor, cum aliquot Wallonum, Hiſpanorumque cohortibus. tum Richardotus eo allegatus cum Garnerio à ſecretis, qui novorum Magiſtratuum comitiis præeſſet, ſtatumque civilem ordinaret. ac demum Archiepiſcopo Mechlinienſi, cujus ditionis Bruxellæ tunc erant, impenſe commendata eſt ſacrorum cura.

[Margin: accipiunt has conditiones. — Poſtremo civili ſacroque ſtatui ab eodem conſultum eſt.]

NEOMAGI deditio *Nimega*

Nec menſis abierat, quum Neomagum, urbs Geldriæ primaria, in Regis poteſtatem venit. ADEO quæ conſerta ſunt, ſi diſtrahi cœpere, ac plura labi, labant omnia. Ad ceteros Neomagi præſidiarios (hi erant quadringenti pedites, equites ducenti) alios additurus erat Comes Meurſius provinciæ Præfectus, quo ſuſpectis

*Adolphus Meurſ. Com.*

2009 Ministerio de Cultura

ctis Catholicorum in urbe partibus terrori eſ- 1585.
ſet. Verum non modo novum præſidium, hæ- ex occaſione
reticis, Catholicisque juxta ingratum, admiſ- diſſidii inter
ſum non eſt; ſed etiam de veteri ejiciendo cives.
clam inter Catholicos conſultatum. Quum admonitus Alexander, ad quem hoſtium conſilia deferebantur omnia, extemplo mandat Altapennio, quem in Geldria adverſus tentamenta Comitis oppoſuerat, ut in eam curam ſedulo intendat. Is, inito Catholicis cum civibus conſilio, fidos ac ſtrenuos ſubinde viros in urbem occulte ſubmittendo Catholicorum factionem ſenſim auget. à quibus, ubi ſatis virium collectum eſt, patefacta urbis porta, ipſe cum præcipuo equitum robore ingreſſus, ſe Catholicis arma expedientibus adjungit. Inde territi improviſa aggreſſione præſidiarii, ultro dedidere ſe, ac ſtatim emiſſi. Tum Neomagenſes, allegatis ad Parmenſem civium præcipuis: impetratiſque, quas optabant, conditionibus, ad Regis obſequium rediere. Actæ propterea, Alexandri juſſu, Divinæ benignitati gratiæ, tanta per exercitum gratulatione, quanto Antverpiæ tumultu auditum eſt, modo amiſſam principem urbem, & Brabantinorum Principum Regiam: nunc deditam aliam, Caroli Magni olim ſedem, ac late per Geldriam, Vahalis opportunitate fluminis, dominantem. Vt profecto excitatam populi ſeditionem, male Aldegundius quantacumque eſſet eloquentia, compreſſiſſet, niſi eodem tempore Regiorum in Oſtendæ aggreſſione ſucceſſus irritus, & cruentus: ac ſimul Liefenſuchi, aliarumque munitionum recuperatio, depreſſos non parum Antverpienſium animos ſublevaſſent. Et Oſtendam quidem Valentinus Mottæ Dominus, eodem plane principio, proceſſuque, & exitu, aggreſſus eſt, quo Buſcoducum Holachius per eoſdem fere dies, uti memoravimus, attentaverat. Namque Mottæus, acceptis ex Italica legione Camilli Capiſucchi aliquot cohortibus, & è vicinis locis præſidiariorum

*Catholicorum partes clam adjuvat Altapennius: Com. Meurſ.*

*& ab iis prævalentibus armatus admittitur;*

*& urbe potitur:*

*magno Antverpiæ tumultu; Brux.*

*Neomagum*

*qui ſedatur, proſperis auditis.*

*OSTENDÆ aggreſſio Bolduc*



2009 Ministerio de Cultura

1585. *Baron de Beury* Intrat illam Mottæus, *paliſicata*

parte, cum Wallonum legione, quam Ludovicus Momorantius Beurii Dominus ducebat pro parente ſuo Berſeæ Dynaſta; primum Oſtendæ vigiles ad ſeptum maris improviſus oppreſſit: tum vetus oppidum ingreſſus (biſariam Oſtenda dividitur) cæſis qui armati accurrerant, locum quatuor ferme horas victor obtinuit. Sed illo digreſſo ad tormenta, queis aditum ſibi in novum oppidum aperiret, adducenda, pleroſque interea milites huc illucque

Sed milites ad prædas verſi,

diſtraxit aviditas prædæ. conſuetum nempe malum, quod infauſtis ſucceſſibus ſemper in militia damnabitur, ſemper avaritia prævalente retinebitur. Acceſſit, quod ex Centurionibus,

Centuriones cunctantes,

quibus certa ſingulis hora imperata erat ad aggrediendam urbem, aliqui ultra præſcriptum

victoriam impediunt:

cunctati ſunt. quo facilius vagos ſparſimque prædabundos oppidani, ac præſidiarii conjunctis viribus invaſere. Et quamquam Momorantius,

quam dum urget Momorantius,

contractis utcumque conglobatiſque ſuorum multis, nihil omiſit, quo pugnam animoſe reſtitueret; affluentes tamen hoſtes, ipſum prima in acie fortiter obſiſtentem, multis confodere vulneribus, & projecto in undas corpore,

pugnans occumbit. *Sex liberi*

ademere quidem qualecumque ſolatium liberis ejus: at paternæ virtutis memoriam, quæ aquis tumulari haud potuit, non ademere. Cæſi utrimque permulti, ex Regiis

Reliquorum clades,

longe plures: in quibus Centuriones quatuor, & amiſſa ex Italica legione ſigna duo.

*Imperialis Cinuzius l.3 de diſcipl. milit.*

quæ tamen, quod à ſigniferis diu ſtrenueque defenſa, non niſi eorum cum morte in hoſtium venere poteſtatem, alia viduis centuriis explicare ſigna, ex inſtituto militari permiſſum eſt.

& fuga:

Reliqui ex aggreſſoribus, poſt meliorum necem, fugam certamini prætulere. Tribus pro-

damnatis propterea Centurionibus.

pterea Centurionibus ab Alexandro capite damnatis; ſed ob unius ex his virtutem in bello ſæpe ſpectatam, poſt aliquot dierum cuſtodiam, abſolutis. Sed longe major Hiſpanorum

Zelandiæ claſſis.

caſtra metus invaſerat à Zelandiæ claſſe, quam in Midelburgi conventu clam deſignatam

2009 Ministerio de Cultura

tam nos ſupra retulimus, & rumor evulgaverat. Attamen Alexander in Treſlongi, ejus claſſis Præfecti, cunctatione multum adhuc ſpei retinebat. Hunc enim quum Ordinibus Zelandiæ non nihil offenſum, ob neſcio quas cum Adulpho Meetcherchio contentiones, inaudiſſet, ut erat in ejuſmodi occaſiones intentus, jampridem aggreſſus hominem fuerat, amicis litteris, nunciiſque, queis illum ad Principes ſui partes revocabat, magna offerens, & ſpem aurei velleris oſtendens. Et vero Treſlongus ſive ſuſpenſus animi, ſive non ſatis inſtructus ad invadendum, ſegnius videbatur bellicas naves adornare, ad commeatum Antverpiam inferendum, ac pontis opus interturbandum: ſiniſtro multorum rumore, liberaque Ordinum querela adverſus hujuſmodi non ſimplicem moram. Quod ille tanto intolerantius audiebat, quanto meritis tumidus, ob captam à ſe olim cum Lumeio Brilam, (caput originemque depreſſæ tunc primum Hiſpanorum potentiæ,) plura ſibi deberi à Belgarum Ordinibus ſentiebat. Itaque eadem Lumeii ferocia minitabundus, quum à probris in Zelandos non abſtineret; ſimili quoque Lumeii exitu, ex Senatus Zelandiæ conſulto, maris præfectura motus, mox & in vincula conjectus tamdiu hæſit, dum Anglæ Reginæ opera emiſſus, in Hollandiam ſe recepit. ubi ſuprema ejus provinciæ curia, cui ægre fuerat, ſe inſcia judicium in Zelandia peractum eſſe, propoſita iterum quæſtione, hominem abſolvit, ſive nullius perfidiæ compertum, ſed divitem, & infenſum, eoque damnatum: ſive metu, ne accenſus contumelia, relictis partibus, ad hoſtes concederet: ideoque honore inſuper auctum apud ſe Hollandi retinuere. Sed ante hunc exitum, Treſlongo adhuc cunctante, Zelandi collectis, quot undique potuere, navigiis, impoſitoque iis Iuſtino Naſſavio, notho Principis Orangii filio, Scaldim ex mari invehuntur; ac Liefenſucum aggreſſi, adjutique à Lilloi

1585. *Maris Zelandici Admiral.* Præfectus ejus in ea educenda cunctatur, *Alexand.* invitatus ab Alex. multis promiſſionibus. *Iſſelt in Hiſt.* Queruntur de mora Ordines. quos ille contemuit, *Guliel. Com. Lumeius à Marcha* 1572. *Vide in l. 7. Dec. 1.* & ut ingratis interminatur. Sed à Zelandis præfectura maris *Reidan. l. 4.* Abſolvitur ab Hollandis, honoraturque. Zelandiæ claſſis per Scaldim invecta Liefenſucum aggreditur.



2009 Ministerio de Cultura

1585. Lilloi oppoſiti Caſtelli navibus, tanta tormentorum vi munitionem quatiunt, ut jam cadente multis in locis propugnaculo, exſcenſione facta, poſt acrem magis quam conſtantem Regiorum defenſionem, cæſis aut fugatis Wallonibus præſidiariis, non modo Liefenſucho potiti ſint, ſed & Antonianum vicinum propugnaculum, Præfecto pugnam non auſo, & totam fere Delam inſulam recuperaverint: magna Alexandri Principis indignatione, à quo ſubmiſſum auxilium impulſaſque illuc, quæ non procul excubabant naves, ille præpropera ſuorum fuga, prævertiſſet. eoque implacabilius animadverſum eſt in caſtelli utriuſque Præfectos, illum exilio, hunc capite mulctatos. Hæc porro victoria ſicuti liberam præſtabat navigationem auxiliarium Fœderatorum à mari ad pontem uſque, inter ſua in utraque ripa propugnacula, procurrentium; ita eorum conſilia maturavit, quibus inter illos conventum erat, ut, quo tempore Antverpienſes deſtinato pridem artificio pontem invaderent, ſubruerentque; eodem auxiliares Zelandi, Hollandique, admota claſſe, per aperta pontis tranſveherent commeatum. Et ne his, quæ parabantur Antverpiæ, impedimento forent objecti ante pontem, ſtratique ſuper ratibus mali, quos flottas, uti diximus, appellabant; adhibita eſt nautarum opera, qui per tenebras citis lintribus illuc invecti, aut occulto ſub aquas meatu inobſervati, grandibus cultris falcibuſque incidebant anchorarios funes, maloſque in pontem, curſu fluminis obvertebant. Sed catenis, funium loco, ſubjectis à Barocio: accenſiſque, ejuſdem inventu, per ripas ignibus, ſufficiente integris noctibus materia, repreſſi ſunt.

*[Margin notes:]* expugnat: & caſtella alia multa capit. *Præf. Anton.* punitis ab Alex. eorum præfectis. *Præf. Liefen.* *Præf. Anton.* Conſilium Fœderatorum de invadendo ponte, prius de removendis flottis ante pontem, jamque removebant. Sed repreſſi.

At vero Antverpienſes perfecto jam navium opere, quod ipſi dudum ad certam Scaldici pontis perniciem moliebantur, ſociorum claſſem trans pontem agentium admonuere, *Egreſſuras urbe, quas paraverant naves, quarto Aprilis die,*

*[Margin note:]* NAVES Antverpienſes ſeptemdecim:

2009 Ministerio de Cultura

*die, appetente. nocte proinde prompta inſtructaque alimentis claſſe ſedulo intenderent, perque pontis haud dubiam ſtragem, hoſtium ſecuri tranſmitterent.* Earum ego navium machinamentum, effectumque, quoniam ab omni ſæculorum memoria nunquam portentoſius aliquid auditum; ex Alexandri ad Regem litteris, brevique ſuper hac re commentario Centurionis Tuccii, non incurioſe memorabo. Federicus Iambellus, mirus bellicorum operum faber, ab Italia profectus in Hiſpaniam, diu pertentaſſe dicebatur aditum ad Regem, ut ei operam ſuam in Belgio perutilem polliceretur. Sed admiſſione infinite dilata, poſtremo etiam ſpretus, ut non erat ab aula ſubactus ad patientiam, abſceſſit inde ferox, interminatuſque, effecturum profecto ſe, ut ſpreti hominis nomen aliquando cum lacrymis Hiſpanus audiret. perrexitque Antverpiam, nactus abunde per eam, quam dicere incœpi, occaſionem, expromendi hoſtilis animi opportunitatem. Naves ille quatuor, planis carinis, ac lateribus præaltis, ſed utriſque ultra ſolitum craſſis firmiſque fabricatus, cuniculos in aquis fodere, in hunc modum commentus eſt. Principio in navis alveo murum ex calce, ac lateribus, ceu ſolum, ac fundamentum poſuit, uno altum pede, quinque latum: eumque quantum navis in longum porrigebatur extendit: dein parietibus qua qua verſus pro fundamenti modo ſuperſtructis, atque opertis, cuniculum formavit, latum æque atque altum pedibus omnino tribus, indiditque prælarge bellicum pulverem, quæſitiſſima perfectum opera, ſibique unice nota. Operimentum ex lapidibus pleriſque ſepulcralibus, atque ex frumentariis molis, ſaxiſque immanibus fuit. Hoc ſuper operimento tectum extulit, concameravitque ex grandibus quoque lapidibus molaribuſque in culmen, acutumque in angulum proclinatis, ut ſtrages non recta tantum, ſed etiam ſparſim, & in utramque partem late funda-

1585.

*Io. Franc. Tuccius eq. S. Stephani* Inventor.

Structura earum quatuor.

cuniculi in eis fabricati.

2009 Ministerio de Cultura

1585. fundaretur: congeſtis conſtipatiſque intra tecti cameram globis ferreis marmoreiſque, catenis, uncis, clavis, cultris, & quidquid nocentius, homo dire ingenioſus adinvenit. Poſtremo quantum patebat inter latera navis, & parietes tectumque cuniculi, coagmentatis in quadrum lapidibus, & commiſſis ferro trabibus, explevit, atque arctavit. Hæc autem omnia poſtquam ſolidis aſſibus, ac lateritio tabulato contexit, occultavitque; in ejus medio compoſitam lignorum ſtruem igne ſuccendit, (ut immiſſæ ad comburendum pontem eo apparatu naves viderentur) ſubjecta lignis picea ſulphureaque materia non ante deſtitura, quam recepto igniario fomite cuniculus arderet. Bifariam enim incendendi cuniculi rationem iniit machinator. Nam in navium aliquibus incendiarium funem ſulphureo pulvere oblitum, qui clam per carinæ partem explicatus intra cuniculum porrigebatur, tanta longitudine definivit, quanta comburi poſſet eo temporis ſpatio, quo perventuras ad pontem naves, explorata dimenſione, compertum jam habuit. In aliis, eo genere horologiorum uſus eſt, quæ nocturni excubitoris loco lucernam accendentis, admirabili, lepidoque artificio adhiberi ſolent. Nam ita modulem attemperavit, ut tamdiu lenta rotarum converſione cunctaretur, dum ad pontem navis accederet: tunc feſtinato rapidoque rotæ, ac ſilicis occurſu, ſcintillas aliquot excuteret, quæ exceptæ inter ramenta nitri, pulveremque inibi diſſeminatum corriperet, emicante illico flamma, ſulphuream lineam: atque hæc, ut erat in os uſque cuniculi porrecta, ſerpentem celeri pabulo ignem illuc inferret, cuniculumque ſuccenderet. Compoſitis in hunc modum navibus quatuor, minores tredecim Iambellus adjunxit, nullo intus machinamento noxias, ſed multo igne per foros, ac tabulata conflagrantes. Nec latuerat Regios ille navium apparatus, artificium ignorabatur: credebaturque adorna-

Incendendi cuniculos modus duplex.

Adduntur ad has quatuor majores, minores tredecim.

09 Ministerio de Cultura

ornari in urbe claſſem, qua pons eodem tempore ſupra ab Antverpianis, quo infra ab Hollandis Zelandiſque impeteretur. Ideoque Alexander auctis per caſtella aggereſque præſidiis, atque ad pontem præcipuis militum evocatis, in hoſtium conſilia expeditus intendebat: tanto accipiendæ cladi propior, quanto avertendæ paratior videbatur. Quum ecce ab urbe naves primum tres, igne collucentes apparent, mox aliæ, aliæque. Tunc ad arma in caſtris conclamatum: & pons conferto milite inſeſſus. Ferebantur illæ ſecundo flumine binæ ternæque, ordine velut ad ſpeciem æquato; namque à nautis tunc regebantur: ardebantque ſingulæ tam luculentis flammis, ut non ferre ignem, ſed ipſæ comburi naves, atque adeo incendia navigare, & inter aquas ali viderentur. Et vero ea fuit noctis illius ſcena, quæ jucundiſſimum præbere ſpectaculum potuerit, ſi ſpectatores à metu & cura vacuos habuiſſet. Nam fluminis aggeres, impoſitaque aggeribus caſtella perpetuis ignibus collucebant: renidebant diſpoſitæ per ripas armatorum cohortes: igneæ per Scaldim naves, incendia impune vomitantes, incertum erat, ludos ne darent, an dolo gravidæ perditum venirent. Augebat ſpeciem conſpectus, ac pompa Ducum militumque, longo in ponte ſplendentibus armis, promptis telis, explicatis vexillis emicantium: omnia demum ad ancipitem novi theatri voluptatem compoſita, & horrorem incutiebant, & oblectabant: iidemque metuebant, & metus ſui materia fruebantur. Iamque navium claſſis duobus paſſuum millibus à ponte aberat, quum, qui eas agebant nautæ, clavos moderati, per medium Scaldis alveum direxere adverſus pontem cuniculis inſtructas naves, minore aliarum cura: ſtatimque accenſo fomite, in ſcaphas deſiliere, ſucceſſum procul obſervaturi. Et illæ quidem rectoribus deſtitutæ non eundem curſum tenuere omnes. Pleræque ex minoribus aut impegere in

1585. ſollicitis interea regiis: Apparent emiſſæ ab urbe naves. 8 April. mirum in nocte ſpectaculum ex earum incendio, & ex armatis per ripas, Naves propius accedunt, irrito ſucceſſu minorum,

2009 Ministerio de Cultura

1585.

*Flotte*

& trium ex majoribus.

Quarta à flottis retinetur. *Flotte.*

Inde Regiorum ſollicitudo in jocos verſa.

Sed flottis à quarta perruptis redit metus

Accurrit ad avertendam à ponte navem Alex.

*Steccata*

Ipſum removere à ponte conatur Hiſpanus ſignifer:

in objectas procul à ponte machinas cuſpidi-
bus præmunitas : aut ad terram appulſæ, ripis
adhæſere. Ex quatuor autem cladem utero ge-
rentibus, una medio in amne, accepta per ri-
mas aqua, emiſſo tantum fumo, ac fulgore, ab-
ſorpta eſt. alteram, ac tertiam, Calloum verſus
( nam illic altius rapidiuſque ferebatur amnis)
ſubcreſcens à Brabantia ventus ad Flandriæ ri-
pam adegit, ac fixit. Neque ſors melior quar-
tæ videbatur in eamdem propemodum Flan-
driæ oram obverſæ, inque extremam fluitan-
tium machinarum partem violenter impactæ.
Itaque Regii, excuſſo jam timore, præſertim
quod languebant in cimbarum multis, & ex-
tinguebantur ignes ; admirabantur hoſtium
conſilia, tamque magnum ſucceſſu nullo appa-
ratum militaribus jocis irridebant. Quin aus
nonnulli è Flandriæ ripa, navium unam illic
hærentem ſcandere, quid tandem lateret intus,
ſpiculis ſcrutabantur. Quum ea, quam dice-
bam poſtremo loco, navis ut erat aliis vaſtior,
ac validior, cuſpidatas facile machinas elucta-
ta perrupit obſtantem molem, ac minax in
pontem ferebatur. Tunc vero ſublatis clamo-
ribus, rediit militi ſollicitudo & cura. Et Ale-
xander, qui diviſo in partes animo, nunc ma-
ritimam à Lilloo claſſem reſpectabat, nunc in
Antverpienſium conatum propius intendebat,
ad eos clamores, illuc, quo tendere incendia-
ria navis videbatur, ſtatim convolat : impe-
ratque nautarum alios, ea conſcenſa, ligna
ſpargere, atque ignem extinguere : alios con-
tis haſtilibuſque perniciem procul avertere.
Stabat ipſe in ligneo caſtello, quod palationis è
Flandriæ ripa pars erat extrema, eique princi-
pium navalis pontis adnectebatur. erant cum
illo Rubaſius, Caëtanus, Billius, ac Vaſtius,
aliique ordinum ductores, præter loci præſi-
diarios. Inter quos Hiſpanus ſignifer, Farne-
ſianæ aulæ vetus, nec ignarus conſimilium
machinarum, ſaluti Alexandro fuit. Nam ſive is
exploratum haberet, quantum in ea arte præ-
ſtaret

© 2009 Ministerio de Cultura

ſtaret Iambellus, cui quid accidiſſet in Hiſpania, forte inaudierat: eoque molem illam ex irati hominis officina prodiiſſe ſuſpicaretur. ſive non humana id ageret ratiocinatione, ſed injecta à Deo mente, cui decretum jam eſſet, tam forti pioque Duce Antverpiam capi; Alexandro propior factus, enixe illum rogat, ut quando jam, quæ in rem præſentem uſui forent, opportune mandaſſet, ſubduceret inde ſe, neve loco minime tuto crederet vitam ſuam, ex qua miles omnis, ac militia ipſa vitam traheret. Sed rejectus, quum iterum, ac tertio inſtaret, nec audiretur; ad genua illius accidens, *Per ego*, inquit, *ſalutem tuam*, *Princeps*, *quam video periculo proximam*, *oro quaſoque*, *conſilium ſemel à ſervo cape*. ſimul hæc dicebat, ſimul arrepta reverenter ejus veſte, ut ſe ſequeretur, imperans obſecrabat. Alexander inſolitam hominis libertatem altius quam hominis imperium interpretatus, monenti demum paruit: ſequentibus illum Vaſtio, & Cajetano. Vixque in Marianam arcem ad Flandriæ ripam intulerat pedem, quum repente hora præmenſi temporis jam admota, ferale navigium horrendo uſque adeo fragore concrepuit, ut ruere cælum, miſceri ſuperis infera, ipſa quati terrarum moles videretur. Nam ejecto, inter fulgura tonitruaque, lapidum, catenarumque, & globorum nimbo, ea ſecuta eſt admirabilis ſtrages, quam non aliter evenire potuiſſe quis credat, niſi quia evenit. Caſtellum, cui tartarea navis incubuit, pontis ſepta Marianam verſus arcem, proximum caſtello navalem pontem, milites, nautas, Duces, tormenta ubique multa, arma, ac tela, uno omnia involuta impetu in ſublime violenta vis rapuit, diſperſitque quaſi ventus folia. Scaldis prodigioſe dehiſcens, fundi ima patefacere primum viſus, mox ſuper ripas effuſus, atque aggeribus æquatus, Marianam munitionem uno pede altior implevit. terræ ſubſultantis motus ad novem paſſuum millia vires, ac metum

1585.

rejectus inſtat:

ac pene cogit.

Recedit à ponte Alexander:

& ſimul erumpit è navali cuniculo peſtis.

Prodigioſa vis ejus.

tum

2009 Ministerio de Cultura

1585. tum extendit. lapides & quidem ſepulcrales, ac prægrandes, mille paſſus proculà flumine reperti, humo palmis alicubi quatuor infixi. Sed nulla, quam hominum miſerabilior clades fuit: quorum alios inferna vis ignium, aut illico peruſſit, aut ſecum ipſos furiali occurſu colliſuque commiſit: aut inter lapides, ac ligna ſublimes evibravit, mox projecit, atque afflixit ad terram, aut in aquis extinxit. alios peſtifer halitus, cætera incolumes exanimavit: non paucos ſublatus amnis ardentium aſperſione aquarum diu torſit: multos redeuntium ſaxorum tempeſtas oppreſſit, ac non neminem ſepulcrales ipſi lapides proſtraverunt ſimul, ac tumularunt. Nec tamen in tam luctuoſa tragœdia ludos facere omiſit dira hæc Erynnis. Vicecomitem Bruxellenſem ſubita vi è navi pulſum ejaculatumque, navis alia longe poſita, in quam tranſverſus offendit, innocenter excepit. Centurionem Tuccium armis gravem è Mariana munitione ſuſtulit avernalis hic turbo, ceu levem per aëra paleam: libratumque aliquantiſper, medio in amne depoſuit. quem ille, ut erat nandi haud ignarus, lorica exutus, ac patrocinio tectus magnæ Dei Matris, cujus ſpe multa imploravit opem, integer incolumiſque tranavit. Plus adhuc viæ confecit adoleſcens ex prætorianis Alexandri militibus: namque è ponte abreptus procul à Flandriæ ora, in alteram Brabantiæ ripam, magna fluminis parte tranſmiſſa, deportatus eſt, humero ſolum, quo terræ incubuit, ſauciato. narrabatque, cum fluvium ſupervolitans raperetur, viſum ſibi fuiſſe, globum ſe eſſe, à tormento excuſſum bellico: adeo à tergo propelli ſe incitatiſſime ſentiret. Sane ſuſpicio tenuit aliquos ex iis, qui inde ſuperſtites evaſere; quiſquis hominum furialis machinamenti faber fuerit, illum non ex noſtrate materia perniciem fabricaſſe, ſed ex inferorum fornacibus accendiſſe feralem ignem: tonitrua, ac fulgura haud dubie de cœlo

*Varia mortis genera.*

*eventus aliorum varii.*

*Ipſe ſcribis*

*Franciſcus Leodienſis*

*Aliquorum de hoc machinamento judicium,*

2009 Ministerio de Cultura

cœlo magicis carminibus evocaſſe: peſtilentem halitum non aliunde, quam ex avernali lacu attraxiſſe: & aquam ipſam præter morem modumque perurentem, è palude nempe ſtygia derivaſſe. Vſque adeo FAMILIARE eſt hominibus, ſupra vires humanas credere, quidquid ſupra captum illorum ſit. Iam mortuorum numerum ad octingentos aſcendiſſe, præter ſaucios, membriſque captos ſane perplurimos, ſcribit Vaſquius hiſpanæ legionis inſtructor: nec pauciores commemorat Tuccius, uterque cladi præſens. in quibus cum militum præcipui fuere, ordinumque ductores haud pauci, tum omnium jacturam mors Rubaſii, Billiique, quæ in eodem caſtello contigit, unde abierat Alexander, facile ſuperavit. Gubernaverat Friſiam Gaſpar Roblæus Luſitanus, ex Belgæ uxoris dote Billii dominus: tunc germanæ legionis præfectus, ac turmæ ductor. vetus, ſi quiſquam alius, experrectuſque miles, fidus conſilio, & carus in paucis Alexandro, qui collata uni filiorum legione, alteri turma, amorem patris extendit in liberis. At in Robertum Marchionem Rubaſium multa concurrebant. vetus illi à Melunia gente claritudo: opus per ſe amplæ, & acceſſu Principatus, quem proſcripto fratre, Alexander ei ab Rege impetraverat, amplificatæ. authoritas domi militiæque, ab Arteſiæ præfectura, & ab equitatus magiſterio permagna: quam & majorem ipſe ſucceſſoribus reliquit, primus inter equitum Magiſtros, cui annuente Alexandro, inclinari cœptæ ſunt lanceæ, honoraria equitum ſalutatione uni exercitus Imperatori ad eam diem reddi ſolita, id quod in morem ab eo primum tempore inductum eſt: impetratumque aliquot poſt annis, ut equitum Magiſtro equeſtria etiam vexilla ſubmitterentur. Porro militaris animus haud in alio confidentior, aut fortunatior: eoque ſæpius à Fœderatorum partibus, cum quibus adverſus Regem aliquando bellaverat, ad reditum invitatus: interim uti conſiliorum

virium-

1585.

Numerus mortuorum:

*Sergente mag.*

in quibus Billius,

& Rubaſius,

*Princ. Eſpinoi* ejus elogium:

2009 Ministerio de Cultura

1585. viriumque conſcius formidabatur. Cumulabat hæc Alexandri Principis in eum amor, quem debere ſe illi Alexander exiſtimabat ob Wallonum provincias, ejus in primis exemplo, ad obſequium revocatas: ob inſidias ſibi ab illo detectas, oppreſſaſque: atque ob incomparabile ſtudium, reverentiamque, qua homo cetera ſuperbus & contumax, Alexandri nomen cum perpetua devincti oppignoratique animi profeſſione, propemodum adorabat. Sed Rubaſii, aliorumque plurimorum neces non ab hac ſolum ad pontem navi, ſed etiam ab earum altera, quæ ad terram hæſerat, peſtemque non ſine clade multorum evomuit (nam tertia pariter ad ripam fruſtra fuit, corrupto aquis igniario) ſecutus dies miſerabiliter patefecit: ea nocte ſatis cuique, quod privatim lamentaretur, apud ſe fuit, in magno ubique ſauciorum gemitu, perculſis amentibuſque omnibus, ignaris vitæ ſociorum, ignaris & ſuæ. Auxitque terrorem credita Principis Alexandri mors. Quippe conſpectus poſtremum fuerat in caſtello, quod primum comprehendit flamma, conſumpſitque. recurſabant animo verba, quibus ille Antverpiano exploratori multis audientibus affirmaverat, Pontem ſibi futurum aut tumulum, aut gradum ad victoriam. videbaturque, nimium ex vero lethum ſibi, ac locum præſignaſſe. Et ſane Alexander quamquam procul à ponte, nunquam tamen propior morti fuit. Namque illum in aditu Marianæ arcis, moti aëris pulſu ceu turbine circumductum, ſimul ingruens in galeam humerumque trabalis ſudes afflixit ad terram. repertuſque ſtricto cum gladio, attonito ſimilis, juxtaque Vaſtius Alexandri genua complexus, nec procul Caetanus ictu lapidis capite ſauciatus. Mox redditus ſibi Farneſius, ubi tot circum ſe vidit proſtrata militum ſuorum corpora: ubi miſerabiles audiit lamentantium voces, queis alii pontis trabibus infixi pendenteſque, alii ſaxorum tumulo tecti, aut cippis ſemiſepulti, opem

& alii.

Immo & Alex. ipſe inter mortuos non temere computatus eſt.

Periculum ejus,

& dolor viſa ſuorum ſtrage,

2009 Ministerio de Cultura

1585.

opem ſociorum implorabant : ubi ſtragem pontis aſpexit, ſeptorum partem in fruſta comminutam, caſtelli molem funditus exciſam, treſque vicinas naves fluvio hauſtas : quique his inſtiterant, claſſiarios, ſtationarios, eorumque præfectos, omnes eadem clade oppreſſos accepit, percontantique anxie de Rubaſio, nihil certi reddebatur; dolore ille quidem alte perfoſſus, animo tamen nihil inde demiſſo, deſertus licet à caris fidiſque commilitonibus, in tanta operum jactura, in omnium deſperatione, unus ipſe erectus excelſuſque, ac toto illo infortunio major, adjunctis ſecum Mondragonio, Carolo Mansfeldio, Camillo Capiſucco, aliiſque, qui à tempeſtate integri ad Alexandri periculum advolaverant : mox ſupervenientibus Georgio Baſta, Cæſioque, expedita cum turma, ad tonitrua fulguraque è vicino accitis; circumire ſtationes, naves, caſtra : ſaucios in Beverenſe valetudinarium deportandos in primis curare : ferre, quam cuique tunc poſſet, opem : præſentia, alloquio, ſpe, ſolari : opinionem cladis extenuare, multos quidem perculſos haud diffiteri, ſed redire ſpiritum, animum, vires : nec hoſtes à metu, quem aliis incuſſerint, vacuos eſſe : unde nec auſos ultra tendere per eas tenebras, cladis ignaros, & ſui anxios. unum ſollicite curandum, ne interciſi pontis aditum, quem hoſtibus nox occultat, dies aperiat. Nimirum haud facile dictu eſt, quantum aſpectus Alexandri oppreſſos militum animos ſublevaverit, metumque à ſuperventuro hoſte repreſſerit. Iuvit opportunus Manriqui adventus cum Germanica legione, quam, poſt amiſſum Lieſenſucum, propere Alexander evocaverat è Geldria.

*Steccata*

animo tamen erectus,

ſtationes circumit,

ſauciis opem impendit,

omnes præſentia, & alloquio recreat;

& ad reparandum pontem animat;

Itaque mira omnium conſpiratione, præeunte Farneſio, atque adeo nullo militum, Ducumque diſcrimine, reparando ponti admotæ ſunt manus. Non quod ipſe paucis horis reſtituendam putaverit multorum menſium molitionem: ſed ut pontis hiatu, inſtaurata pala-

PONS reparatur,

tione

2009 Ministerio de Cultura

1585. tione ſubmiſſiſque navibus, utcumque clauſo speciem operis non interrupti hoſtibus mane exploraturis objiceret: haud ignarus, hujuſmodi oculorum ludibriis ſubjectam eſſe militiam, utpote ſuſpicionibus timoribuſque ſemper exercitam: eoque FACILE trepidare oculos, non ſtantibus animis. Et vero quam volebat, objecit ille ſpeciem: namque per ſummam in eo noctis reliquo feſtinationem, trabibus, quæ fluitabant, repoſitis, noviſque arrectariis palis, tranſverſariis longuriis, quæque alia ad ſubitum uſum aderant, in flumine adactis, ac navigiis interjectis, tanta molem opportunitate reparavit, diſpoſitis ſuper eam militibus, tympaniſque, ac tubis occinere perpetuo juſſis; ut hoſtium claſſem, quæ ſi è Lilloo properaſſet, haud dubie temporarium pontis ſupplementum perrupiſſet; vana illa imagine tunc quidem fefellerit, atque ab aggrediendi conſilio retardaverit: poſtea vero, firmato in dies opere, etiam à facultate deterruerit. Et ſane Farneſius majori ne inconcuſſi animi altitudine pontem refecerit, an prius ſtruxerit, incertum reliquit, Rex quidem, actis ei ob eam cauſam ampliſſime gratiis, manu adjungit ſua, *Deeſſe ſibi verba, quibus in eo rerum perditarum articulo, conſtantiam ejus, celeritatemque commendet*. Neque tunc defuere, qui molem in Tyri olim obſidione ſuper undas elatam, atque ab incendiaria hoſtium navi disjectam recordati, cum Macedone Alexandro Alexandrum Parmenſem non abſurde aut imperite componerent. Nam neque Antverpiam maritima gloria infra Tyrum differebant: neque Scaldim minore latitudine fluere, quam ſtare illic Tyrium quatuor ſtadiorum mare, & viam per aquas attollere, jactis promiſcue lapidum cumulis, congeſtiſque totis in fretum ſilvis fuiſſe quidem vaſtius, ac manuum denique multarum opus: at ponte inter undas arte contexto, flumen non minoris quam mare magnitudinis coërcere, ingenioſius enimvero & ac

in ſpeciem ad fallendos hoſtes:

& fefellit.

magna inde laude relata,

*Iun.* 6

præſertim à Rege.

*Curt. l.* 4

*Arian. lib.* 2

Comparatio Alex. Parmenſis cum Alex. Macedone in reparatione pontis

*Alex. Maced.*

*Alex. Parm.*

2009 Ministerio de Cultura

1585.

& accuratius videri. certe Tyriam navem bitumine ac ſulphure graſſatam, longe Antverpianæ poſthabendam, igne, halituque, ſaxiſque, & urentibus aquis, hoc eſt elementis omnibus pugnanti. Et tamen adverſus excidium hoc magnum, una minimum nocte reparatam fuiſſe à Parmenſi molem, continuatumque ad victoriam uſque conſtanter obſidium: quum alterum animi ægrum, diſceſſumque meditantem fortunatus, ut cetera, navium adventus è Cypro; in opere continuerit, ac victoriæ tandem admoverit. Vt proinde conficerent, collatum cum Macedone Parmenſem, in hujuſce ſtructura, ac reparatione molis videri non imparem: &, ſi par claritudo ſcriptoris accederet, fore ubique parem. Secuto die, quum nuſquam hoſtes apparerent: atque ab exploratoriis cimbis ea ipſa nocte Lilloum verſus ab Alexandro dimiſſis, certo referretur, hoſtium claſſem nihil movere, ignaram videlicet victoriæ ſuæ, ac mente divinitus averſa; viſum eſt, curam humandis corporibus impendi, renovata exercitus commiſeratione, dum alii propinquos aut amicos agnoſcunt, atque humo tegunt: alii inter ignotos ſecernunt ſuos, & materiam doloris quærunt: omnes autem è ferali illo, ac miſerando truncorum corporum, avulſorumque capitum aſpectu, aucta in hoſtem ferocia, mœrebant ſimul, & minabantur. Rubaſii cadaver è navi, unde pendebat, raro agnoſcente, demiſſum, Alexander ingeſto qualicunque tunc quidem tumulo, non ſine lacrymis ipſe compoſuit, grata per exercitum, & pietate in militem, & communione doloris. At Billii corpus diu conquiſitum, non niſi poſt aliquot menſes, quum pontis moles deponeretur, innexum tigno repertum, indicio aureæ catenæ, quotidiani ejus geſtaminis, agnitum eſt, atque Antverpiæ honorifice tumulatum.

*Al. Mac.*

Curam ad humanda ſuorum corpora vertit Alex.

Rubaſio tumulum ipſe componit;

Billii corpus ſero repertum.

Hoſtis interea, etſi minore jam ſpe aperiendi ſibi per pontem viam, nihil tamen animo aut conſilio deſtitutus, haud omittere cœpta, & ſimul

Adverſus novum Antverpienſium conſilium

P mul

2009 Ministerio de Cultura

1585. mul aliunde tentare aditum ſtatuit, maj
quam unquam vi: nempe Scaldi extra rip
ruptis aggeribus, effuſo, quæſitaque per ca
pos navigatione, ſi per fluminis alveum ne
batur. Nec apparatum bellicarum navium, q
magno artificum, atque operarum ſtrepitu
bricabantur Antverpiæ, quæque à mari in
apparebant, ignorabat Alexander, conſili
parat ſe Alex. interpretabatur. Itaque erecto ad novum pr
lium animo: ſuppletis primum, qui deſide
bantur, Centurionibus, ac Præfectis: hab
que ante alios ratione hiſpani ſigniferi libe
toris ſui, regium equitatum in magna Proc
Prius ſupplet militum præfectos, qui deſiderabantur; Artes. Heſd. rum contentione, Marchioni Vaſtio guberna
dum tradidit, donec Magiſter equitum dice
tur ab Rege, Rubaſii loco. cujus ob mort
quoniam & Arteſia provincia, & Heſdini pr
fectura rectoribus carebant, inter compet
res ſane complures, pro illa Comitem Hen
nium, pro hac Adrianum Gomicurtium e
Regi commendavit. Sed hæc aliquantum
Rege dilata ſunt, regimen equitatus ſtatim V
rum caſtella & aggeres amplius munit. ſtio confirmatum eſt. Præterea è vicinis op
dis parte præſidiorum evocata, ac tormen
aliquot inde traductis, augere munitiones c
ſtellorum aggerumque feſtinavit: impenſ
primis cura in Covenſtenium aggerem,
quem ferri hoſtium conſilia ſuſpicabatur. E
nim à Lilloo, ac paulo etiam ſupra, extendi
maxime ad ſeparandum Covenſtenium aggerem Antverpiam uſque, per Brabantiam camp
depreſſior, eoque ſtagnantibus aquis ac c
interdum invius, niſi hominum induſtria el
inter eas paludes aggeribus, factitiæ ſuſpen
rentur viæ, quas Contradiccos Belgæ voca
Vt enim fluminum aggeres, qui & aqua
vulgo Contradiccum, incumbit, obices, & viatorum itinera ſunt, Dicchi Be
gis dicuntur; ita quæ in hoſce flumenta
aggeres, tanquam in vias militares, fem
tranſverſariæ contratendunt, Contradicchi a
pellantur. Horum maximus à Covenſtenia
la, Covenſtenius agger vulgo dictus, à Stab
co pago ad Scaldim uſque, tribus circiter m
liari

2009 Ministerio de Cultura

1585.

liaribus protenditur. Hunc jam corruptum, atque interciſum reparaverat ante Farneſius, & altiorem latioremque labore ſane ſummo reſtituerat: nempe uſui futurum, ut pars exercitus, è Stabruchi ſtativis ad aggerem Scaldis tranſcenderet, atque inde ad navalem pontem accurreret, perq; pontem ad Beverenſem exercitum commearet, eoque continuato trajectu, Brabantiæ Flandriæque caſtra conjungerentur. Acceſſit alia tunc quoque muniendi hujus aggeris cauſa: nimirum ut, ſi hoſtes à Lillo per inundatos agros navigare Antverpiam cogitarent, Covenſtenii aggeris objectu retardarentur. Hoc vero ipſum, quoniam in præſentia auſuros hoſtes magnopere verebatur Alexander, relicta Carolo Comiti Mansfeldio Navalis pontis, quæ Rubaſii fuerat, præfectura, ipſe curam in Covēſtenium aggerem ſedulo intendit: cumque trabium fulcris, faſcibuſque, & congeſtitia humo firmatum, caſtellis aliquot dorſo impoſitis, communivit. Erat jam propugnaculum à Mondragonio cœptum in Scaldis aggere, in quem Covenſtenius limes incidebat, à Sancta Cruce, ob loci figuram, appellatum. Hoc abſolvendum, tuendumque ſibi Mondragonius ſepoſuit. Alexander tria in aggere deſignavit. Primum longe à Mondragonio mille omnino paſſibus, apud Covenſtenii, nobilis Antverpienſis, ædes, extrui defendique à Camillo à Monte imperavit, dictumque eſt à Divo Iacobo. Alterum, poſt tantundem fere ſpatii, Valentinus Pardiæus Mottæ dominus, Alexandri juſſu excitavit, ab ipſo Mottæum, ac plerumque Divi Georgii nuncupatum. Sed abſente poſtea Valentino, intravit illud Michaël Benittus, vetus Hiſpanorum Centurio, quinque & triginta continuis annis ſtipendia meritus. Tertium, quia palis extra aggerem porrigebatur, à Palata primum; poſtea à Victoria dictum, Ioanni Gamboæ attribuit. Apud Stabrucum vero, quo deſinebat agger, propugnaculum Mansfeldius extruxerat caſtris ſuis pro-

*duas ob cauſas.*

*caſtella eo in aggere mire ſuſtollit.*

*Contradic.*

*Petr. Erneſt.*



2009 Ministerio de Cultura

1585. ximum: eique Camillum Capiſuccum, cujus ſtativa non procul aberant, Alexander adjunxit. Fervebat mira hæc Covenſtenii collis munitio, caſtellis modica ex area, & pene nulla certatim exurgentibus, ac velut in aëre ſublimibus, & ſuſpenſis. quum ſciſſo Scaldis aggere ſupra ab Antverpianis prope urbem, infra ab auxiliari claſſe apud Lilloum, campiſque Brabantiam verſus ingenti aquarum copia, atque altero jam Scaldi, late inundatis; patuit hoſtis conſilium admovendi naves contra Covenſtenium aggerem, eoque obice foſſoribus aperto, atque adeo facta per novum alveum remis via, irrito irriſoque Farneſiano ponte, Antverpiam navigandi. Atque, ut hujuſce conſilii adhuc dubios, certe diſtractos, eoque impares haberent Hiſpanos, polliciti erant Hollandis Zelandiſque auxiliaribus ſuis obſeſſi Antverpiani, quo tempore Covenſtenium navibus illi à mari, ipſi ab urbe aggrederentur; ſe in Scaldicum pontem, novis machinamentis, impetum facturos: juratis Iambello, ejuſque ſulphuraria cohorte, Non ante deſituros, quam aſſidue pertentatam, concuſſamque pontis molem aliis aliiſque arietum impreſſionibus, plane proruerent. Ergo, ut inter eos convenerat, auxiliaris centum quinquaginta navium claſſis bifariam diſtributa, partim in agrum alluvione undantem, Holachio ductore, à Lilloo intulit ſe, proque loci arbuſtis, mali arboreſque navium apparuere, denſiore ſilva: partim ſub Iuſtino Naſſavio Scaldim percurrens, nunc exſcenſionem ad Brabantiæ, nunc ad Flandriæ ripas oſtentare: nunc adverſus pontem, recta in vehi. Nec aliis artibus Holachiani interdum adverſus Sanctæ Crucis propugnaculum tormenta dirigere: ſæpius in Covenſtenium aggerem aggreſſionem minari: denique partim in omnes, armorum ſtrepitum, metumque circumferre, intentis ad hæc, armatiſque ſemper Regiis: Alexandro ipſo modo ponti inſiſtente, modo ad Covenſtenium limine

con-

Et hoſtes apertis Scaldis aggeribus,

partem fluvii in vallem devolvunt per quam naves à mari Antverpiam devehantur

Simul claſſis à mari apparet. *Hollan. & Zelan.* pars ejus per inundatos campos fertur in Covenſtenium aggerem, pars per Scaldim in pontem. *7 Maji*

©2009 Ministerio de Cultura

convolante, nec unquam die noctuve ſomnum capiente. Id autem poſtquam diebus aliquot, præſertim Holachiani quaſi jam jam aggerem aggreſſuri continuaverant, animadvertentes à ſtationariis, ſeu toties oſtentata aggreſſione deluſis, ſeu longo vigiliarum labore fatigatis, ad arma ſegnius accurri; intempeſta nocte, viſo circa Antverpiam igne, quod utrinque invadendi ſignum erat, repente circiter quingenti ſilentio Covenſtenium aggerem ſcandunt inter Palatæ, ac Divi Georgii propugnacula interjectum, ubi Benittus ſtationem Hiſpanorum habebat: interfectiſque primis ſtationariis, quos ſemiſopitos repererunt, ipſo Centurione graviter ſauciato, interemptoque Centuriæ Inſtructore defenſionem auſis, reliquis ad tutiora utrinque caſtella confugientibus, aggeris jam partem obtinebant. ſuccedebantque è navibus alii, Holachio ſubmittente, (erant enim ſupra duo claſſiariorum millia) quum è proximis ſtationibus hiſpani Centuriones Ortizius, & Verdugus, mox è Palatæ caſtello Gamboa Tribunus, cum hiſpanorum promptiſſimis accurrentes, reſtituto prælio, non modo ex aggere dejecere hoſtes, ſed etiam naves aſcenſuros inſecuti, complures eorum aut ferro cominus, aut nantes pilarum grandine eminus confecere. Quin & tormenta è Divi Iacobi propugnaculo in aggreſſores converſa ſubmerſere naves quatuor propius admotas, omneſque injectus ex aliis munitionibus metus abſterruit: illata hoſtibus haud magna quidem clade, quippe eorum cæſis paulum ſupra trecentos, præter eos, quos in navibus demerſos ajebam, quoſque aut nandi rudes, aut armis graves flumen hauſit. Major clade querimonia Holachii fuit adverſus Antverpianos, qui ſignum ad invadendum prælatis ex turri facibus edidiſſent, & tamen ad perſequendam, quam ipſe victoriam inchoaſſet, ex compoſito non adfuiſſent. Sed illi, nullum ab ſe facibus editum eſſe pugnæ indicium:

1585.

Covenſtenius invaditur,

felici Holachianorum principio.
*Sergente*

*Greg. Ortiz.*
*Ioannes Verdugus*

Rejiciuntur,

non modica eorum clade:

& majori eorumdem querimonia adverſus Antverpienſes.
*Antverp.*

Horum reſponſio,



2009 Ministerio de Cultura

1585. Holachianos potius deceptos igne in Toloſana munitione forte ſuccenſo, prælium feſtinaſſe affirmabant. Quamquam Alexander ad Regem ſcribens, aliunde rem trahit: opinaturque, Antverpienſes aggreſſionis Holachianæ dubios, expeditionem poſt principia diſtuliſſe, & quem ſibi aditum ſucceſſus aperiret, conſulto expectaſſe.

*20 Maji.* non ſatis probata Alexandro.

Verum fuerint hæc prima leviaque, nec ſatis utrinque conſentientia Covenſtenii tentamenta. Sequitur jam, magna hoſtium conſpiratione certamen, mihi tanto accuratius dicendum, quanto raro alias in Belgio, audaciore loco, aut fallacioris alternatione victoriæ, aut nobilioribus audentium exemplis, aut præſentiore Cælitum ope, dimicatum eſt: expoſita, ex una parte, validiore, quam ad illud tempus, navium navaliumque ſociorum claſſe: ex promto quantum Antverpiæ, in eo non machinarum minus, quam mercium emporio, quantum apud Hollandos Zelandoſque foret virium potentiæque: extracto ex urbibus arcibuſque præſidiariorum robore, ad præliarem, ac decretorium publicæ libertatis diem, communi auxiliariorum, obſeſſorumque conſenſu, ſeptimo Kalendas Iunias indictum: quo die Covenſtenium obicem admota utrinque claſſe invaderent, perfoſſumque navigaturæ annonæ aperirent. Ex altera parte Alexander, certus in hunc denique tranſverſarium collem vim belli totam effundendam, novis tormentis in ejus caſtella comportatis: lorica ad utrumque aggeris latus, à S.Crucis caſtello deducta: ad caſtellum Mansfeldii in Stabruchi continenti ſitum (quæ duo erant collis extrema) palis longo ordine in aquam defixis, & tamquam vallo navibus utrinque acceſſuris objecto; nihil in munitione loci prætermiſit, quo conſiliis hoſtium ubique præſens occurreret: atque, ut navali ſuper Scaldim ponte toties eluſerat ad eum diem illorum conatus, ita altera hoc ponte ſuper alterum in agris Scaldim fabricato munitoque eorundem,

APPARATUS Fœderatorum longe maximus, *ex parte Fœderatorum,* ad invadendum Covenſtenium ab Antverpia ſimul & à mari. *26 Maii.*

Nec minor Alex. cura ad eum defendendum.

2009 Ministerio de Cultura

dem vires, Deo duce, fruſtraretur, ac navigationis ex hac quoque parte aditum intercluderet. Nec diſtulere, uti condixerant, Antverpienſes ad navalem pontem retentandum, Regios certe à Covenſtenio avertendos novis variiſque cum machinis apparere: quarum aliquæ denſa horrentiaque veruta, aut latas acutaſque ſecures prætendebant è proris: complures incendium foris alentes, intra cuniculos fulmina occultabant. Quod vero ejuſmodi machinas experti jam erant, ſive à flexu fluminis, ſive à vento facile ad ripas averti, ac ſiſti; repertus eſt ex Iambelli officina Germanus, qui rationem obtulit, qua navigium, non declinato uſquam medio, in pontem recta incitaretur. Eam ego rationem hic paucis aperire non gravabor. Aptavit ille ad proræ latera ſub aquis prægrande linteum, inſtar navalium velorum: quod expanſum pariter ſub aquas, velut explicatum rete ſeu naſſa, prætendebatur navi; tum ſubter carinam deductum paulatim contrahebatur, donec ſub medium puppis hinc atque hinc alligaretur. Sic velorum uſum Germanus invertit: conſideravitque, quemadmodum illa vento plena navem impellunt, ita poſſe ab iiſdem, ſi aqua implerentur, navem incitari, & (quod is maxime quærebat) recta deferri. Namque immiſſo in medium Scaldis alveum navigio, neceſſe erat, ut velum implente aqua extenſum ante navem, non ſolum eam pertraheret ſecum tanto violentius, quanto rapidius in medio fertur amnis, præſertim ab æſtu relabentis Oceani concitatus; ſed etiam eandem contineret, ne qua venti aſpiratione è medio curſu tranſverſa abriperetur. Quippe ventus, qui ſummo in amne ſpirans inflectere in partes navem ſolet, non eas utique vires habiturus erat in depreſſiorem aquam carbaſo incluſam, à qua, præter fluminis curſum, ac maris æſtum, navis ceu remulco, attrahebatur. Huic autem rapidiſſimæ incitationi ſperavit ille nullam omnino molem, quantalibet ſtan-

1585.

Antverpienſes ut hoſtem à Covenſtenio avertant,

novis navium machinis pontem aggredi parant:

inter eas una prorſus admirabilis.

navem



2009 Ministerio de Cultura

1585. tem firmitate, adeo ſuffecturam, ut non ad eju pulſum arietis quatefacta, momento collabe-retur. Et jam ſub mediam noctem Antverna emiſſæ prono amne rapiebantur, quas dicebam, naves numero quatuordecim: quarum ſex, majores & ex occulto noxiæ, reliquæ palam incendium minabantur. Præibant, ducebantque illas parvæ rates ſeptemdecim, vinctæ ſimul, innexæque. utque erant perforatis carinis, gravante aqua, pede vix uno extabant à flumine, doliis allevantibus, ne haurirentur. eo conſilio, ut ægre obſervabiles, præſertim inter tenebras, ad moles ante pontem fluitantes, ſecuræ ab earum cuſpidibus, quibus demiſſiores erant, accederent: perruptoque illo obice, ſequentibus ad invadendum pontem navibus viam panderent. Sed eventu res caruit. Etenim Alexandri juſſu, poſt acceptam ſuperiore menſe pontis cladem, conſueverant ſingulis noctibus, vigilum more, Scaldim percurrere biremes aliquæ, quas Anglus Centurio, oblata Alexandro opera in id ſua, harpagonibus, atque anchoris inſtruxerat. Harum ad aſpectum territæ præeuntes rates, diſtractæque, aliæ alio à rectoribus diſparantur: interim à biremibus in majores naves minorum ductu deſtitutas injectis celeriter uncis, ſingulæ attrahebantur ad ripas, ibique anchora firmatæ, poſtmodum innocuæ diſſiliebant. Verum quum occurri ſimul omnibus haud perinde poſſet, earum una ſecuribus armata in cuſpidatum incidens munimentum ponti præſtructum, poſtquam paulliſper mutuis vulneribus conflixit, ſecta demum objectarum trabium malorumque compage, molem aperuit: ſimul ipſam à ſpiculis apertam, ac laceram flumen hauſit. At quæ inverſis agebatur velis, nullis teneri harpagonibus, uncíſve potuit, quin prærapido in pontem curſu per apertam fractæ molis viam, recta inveheretur. Ac licet milites, remota illico è ponte navium una (nam ita diſpoſitæ poſtremo fuerant naves, ut ſubduci ex uſu poſſent) liberum iter

*Margin notes:* 20 *Maji* Adveniunt hoſtiles machinæ, — hoc apparatu, — 8 *April.* — Contra eas proviſum ab Alex. — Vna tamen flottas perrumpit, *Flotiæ* — & viam aperit linteatæ:

venienti

2009 Ministerio de Cultura

venienti recludere feſtinaſſent, ipſa tamen in proximam ei, quæ ſubducta erat, offendens, inevitabili illam concuſſu fregit, obruitque. Atque hactenus Antverpienſium machinamenta valuere. Namque in eas, quæ orto jam die ſecutæ ſunt, incendiarias, ſed minores naves, Anglorum æmulatione aliquot Itali, ductore Torello, per ſummam audaciam inſilientes deſilienteſque, ad terram pleraſque verterunt, ibique anchoris infrenarunt. tres aut quatuor elapſæ, ſed remotis à ponte navibus, apertaque patentem per amnem via emiſſæ, longius à ponte peſtem evomuere. utque ſingulæ, ruptis cuniculis, procul inde concrepabant, ita repetitis militum ſibilis, feſtaque armorum concuſſione, terrore jam in ludum verſo, explodebantur. Immo non defuit, qui interius artificium exploraturus, hoſtilem navem ingreſſus, felici temeritate, reperto fomite non procul à deſtinato incendii loco ignem deferente, eoque protinus extincto, cuniculorum arcana introſpexit ipſe, & aliis admirabundis commonſtravit: ex quorum maxime narrationibus, quæ nos ſupra memoravimus, accepta ſunt.

1585.

quæ non ſine aliqua pontis clade pertranſit.

*Itali n. 15 Alexand. Torell. Fanen.*

Aliæ idem tentant:

ſed ſine damno, & irriſæ.

& obſervatum in eis artificium,

Sed brevi nova inceſſit milites ſollicitudo ab ultimo obſeſſorum conatu. Adhuc enim ſupererat unum Antverpianis machinatoribus telum, in ſpem noviſſimam ſervatum. Id erat inuſitatæ magnitudinis, ac formæ navigium: cujus fundamentum pontonibus non abſimile, trabibus in modum cratis ita contexebatur, ut relicta inter eas trabes ſpatia à vacuis doliis complerentur, ſuſtineretur que facilius imponenda moles. porro trabes ac dolia craſſis piceatiſque tabulis ſuperne conſtrata planum carinæ ſolum æquabant: lateribus quaquaverſum communitis lorica impenetrabili, ac denſo ordine muralium tormentorum. Super hanc vero navim ſolido tabulato tectam, navis attollebatur altera in caſtelli ſpeciem, figuræ propemodum quadratæ: qua

Vltimus ab Antverpia conatus,

navigium immane.



2009 Ministerio de Cultura

1585. claſſiarii vehebantur circiter mille, ſclopis plerique majoribus armati, præter eos, qui aut in inferiore occultabantur navi, aut in ſublimium malorum corbibus plumbeam velut è nubibus grandinem emiſſuri viſebantur.

*Gabbie*

In hujus autem effectu navigii, quo nullum aut operoſius, aut impenſius Antverpiæ fabricatum eſt: ſiquidem menſes in eo ſeptem inſudatum, nec minus centum florenum millibus inſumptum ferunt; haud dici facile poteſt, quantum fiduciæ repoſuiſſe viſi ſint Antverpienſes: adeo, ut circum portentoſam illam mobilemque arcem admirabundi, deque ſucceſſu jam ſecuri, nomen ei, *Finem belli*, jactantius indiderint, & manare ad hoſtes confidentiam nominis conſulto voluerint.

cui nomen finis belli,

Et tamen nullum eo machinamentum inanius unquam fuit. Quippe Scaldi impoſitum, ac per flumentani aggeris ſciſſuram apud Oſtervelam in agros inundatos immiſſum, ægre nautæ moliebantur: & vix Ordamo, cujus munitionem invaſit, admotum eſt, quum viciniori terræ ita inhæſit inſeditque, nulla ut arte nautarum, nullo navalium ſociorum conatu avelli, aut allevari potuerit.

ſed à nullo fructu

Adeo QVÆ modum excedunt, ſpeciem magis, quam uſum habent. Idque ſatis experti ſunt & Antverpienſes ipſi, qui machinam illam ſuam veriore vocabulo, *Perditas expenſas*, exinde appellavere: & hiſpani milites, à quibus poſt primum aſpectum congreſſumque, militari joco, *Carantamaula*, quaſi ingens ſpectrum, terriculumque puerorum, nominari cœpta eſt.

poſtea appellatum eſt perditæ expenſæ,

& ſpectrum puerorum.

Sed hoc poſtmodum fuit, tunc autem quum illam è portu ſolviſſe auditum eſt, creditumque invehi adverſus pontem, (ſic enim Antverpienſes credi volebant ad diſtinendos in ponte milites) profecto alia mens eis fuit, vireſque omnes in novum illud, quod fama pertulerat, monſtrum ſollicite parabantur.

interim ſollicitos in ponte regios diſtiuebat.

Hæc autem tam multa, ac varia hoſtilium machinarum tentamenta dum in Scaldi Regios

ex

2009 Ministerio de Cultura

ex induſtria continebant, Covenſtenius agger ab utraque claſſe repente invaditur. Erat navium ſumma paulum ſupra ducentas. Ex quibus majores centum ferme ac ſexaginta, veterano milite, ac tormentis armatas ducebant, partim ab urbe Conſul Aldegundius, cum Iacobo Iacobio Antverpianæ oræ præfecto, & Morgano, & Balfurio, Anglorum, Scotorumque Tribunis: partim à mari Holachius, cui aderant Iuſtinus Naſſavius, Haulterius Valacriæ Gubernator, ac præcipui quique auxiliarium Zelandorum, Hollandorumque. Reliquas minores naves oneraverant pleraſque ſaccis terra, aut lana oppletis: multas faſcibus arborum, trabibuſque, & cratibus, & vallis, ad ſubitos aggeres excitandos, & loricas prætendendas: nonnullas plicatilibus ad exſcenſionem pontibus, ollis incendiariis, factitiis ignibus, ac fabris foſſoribuſque inſtruxerant: præter eas, quæ rem cibariam Antverpiæ deſtinatam abunde vehebant. Primus à Lilloo movit beneficio accedentis maris Holachius, præmiſſis quatuor navibus, pice, ſulphureque, ac bellico pulvere conſperſis, quæ ab occultatis naviculariis incenſæ, navalium cuniculorum ſpeciem referrent, &, velut primi in acie funditores, proturbarent è ſtatione Regios, ac deterrerent. Et deterruerant. Admotæ enim ad Covenſtenium aggerem inter Divi Georgii, & Palatæ caſtella, (ſectis antea ſubter aquas palis) ubi primum in flammas ingenti cum tonitru, ſed innoxio abiere, veriti qui illic curabant ſtationarii, ne feralis ſequeretur lapidum tempeſtas, dum ſe paulum inde ſubducunt; ſtrenui quique hoſtium è reliquis navibus, in aggerem momento emicant, vallum raro ea parte defenſore ſcindunt, apertaque jam illic porta, ſemihoræ ſpatio, inter aſſiduos è Georgiano caſtello tormentorum ictus, caſuſque multorum, Holachiani circiter octingenti toto illo aggeris tractu potiuntur. Et quamvis poſt ea principia, è proximis propugnaculis Tribunus ipſe Gamboa,

1585. COVENSTENIVM aggerem invadunt Foederatorum claſſes: 26 *Maji* Aldegundius ab Antverpia, à mari Holachius,

*à mari* Prius Holachiani præmiſſis incendiariis navibus,

ac abſterritis ſtationariis,

aggerem conſcendunt,

*S. Georg. & Palata.*



2009 Ministerio de Cultura

1585. boa, & Padillia Centurio, cum pleriſque ſtationariis, interturbandæ hoſtium munitioni procucurrerint; tamen quod eodem tempore Aldegundius, poſt impulſas in adverſam aggeris partem ſuas quoque incendiarias naves, admoverat illuc Antverpianam claſſem, ſubmittebatque ad ſociorum opem integros & feſtinantes; fruſtra conatus Hiſpanorum fuit. quippe cæſis Padillia, aliiſque intrepide decertantibus, ſaucius Gamboa, ac militum multi, recedere inde, & caſtella tueri ab effuſa hoſtium multitudine conſultius tunc quidem habuere. Et jam occupato, quantum inter utrumque Divi Georgii, & Palatæ propugnaculum intercedebat, ſpatio, munibant ſe ſe certatim hoſtes, fixiſque celerrime palis, atque intertextis ramorum faſcibus, ingeſtiſque ſaccis arena confertis, alte vallum extulerant, idque ſelectis è proxima quaque navi majoribus ſclopetariis ſollicite armabant, præfecto Morgano. ſimul infinito propemodum numero foſſores utrinque admoti ad radices, & clivum aggeris, tantum ex eo ſubduxerant, aperuerantque, ut per quam parum alicubi jam deeſſet, ne utraque pars inundantis fluvii jungeretur. Quin & Balfurius cum Scotorum cohorte, & Valacriæ Gubernator cum præcipuis auxiliariorum in Georgianum caſtellum, contento curſu, ferebantur, loco haud dubie potituri, quod à præſidiariis pleriſque ſauciis teneretur, ni obvius factus è ſuo Divi Iacobi propugnaculo Camillus à Monte, & cum eo Italorum, atque wallonum pugnaciſſimi arcuiſſent exultantem hoſtem: licet ipſi non intermiſſa è navibus denſa pilarum procella, à dextera ſiniſtraque peterentur, ſternerenturque complures. Sed multo atrocius conſligebatur apud foſſores. quos ut operis ſecuros aſſereret, circumſtabat auxiliaris miles. Ipſique in primis ex annonariis navibus mercatores, quorum intererat pandi viam mercibus Antverpiam, inſtantius urgebant operas, *ut feſtinarent, ac vires exererent, quando ex eorum manibus*

*Simon Padill.* & adjuti ab Aldegundianis ex altera parte ſcandentibus,

cæſis aut ſauciis hiſpanorum præcipuis,

magno aggeris tractu potiuntur:

eumque communiunt:

ſimul foſſores ad aggeris radices utrimque admoti illum aperiunt.

Alii caſtellum invadunt.

*Montiani* Sed rejiciuntur.

Pugna acerrima apud foſſores:

qui ad opus animantur.

2009 Ministerio de Cultura

*manibus pendebat unice victoria: neu permitterent, ut aggeſtitia paucorum palmorum gleba, ad quam videlicet Hiſpanorum redactæ ſpes demum forent, tot foſſorum millibus impenetrabilis, validam Hollandorum claſſem, ac libertatem Antverpiæ moraretur.* Sed Regii tanto pugnacius, ut foſſores ab opere averterent, irruebant. Atque ut ad ima aggeris plerumque res agebatur, ita inter aquas pectore tenus concurrentes, nunc haſtarum, gladiorumve mucronibus ictum raro fallentibus confoſſi confodienteſque, mutuo flumen cruore inficiebant: nunc contentius Hiſpani in ſciſſuras ipſas, & patefacti alicubi cavernas aggeris irrumpentes, ibi ferociter operas obtruncabant, aggeſtiſque earum corporibus hiatus obſtruebant, adeo ut iidem, qui aggerem vivi aperuerant, occluderent mortui. Verum abundanti præter modum operarum multitudini pluribus in locis aggerem fodientium, non ita occurri ubique potuit, quin pertinaci conatu tantum aditus alicubi apertum ſit, quantum, ſecuto apertionem fluvio, ratis una, cum aliqua alimentorum portione, utcunque penetraverit: qua Holachius ipſe conſcenſa, ductoque ſecum Ferrante Spinula, paulo ante capto, ac paucis poſt diebus extincto. Antverpiam lætis vocibus implevit, *In manu jam eſſe victoriam: perfoſſum Covenſtenium obicem, patere navibus aditum, ac ſecuturam mox annonam, cujus primitias in ea rate viderent, & in captivo illo argumentum victoriæ prægustarent.* Enimvero credita ſtatim victoria, tota urbe diſcurſum, alii properare ad portum, annonæ adventum opperientes: alii Holachium frequenti corona circumſtare, pugnam, cæſos, ſaucios, percontantes: multi publica lætitiæ ſigna edere, feſto tormentorum æriſque campani ſono geſtientes: ignari, quid ſerus veſper allaturus eſſet.

1585.

& quamvis multis eorum, & auxiliariorum militum cæſis,

prævalent tamen,

& ſciſſo alicubi apertoque aggere ratis una pertranſit,

& Antverpiam ceu partæ jam victoriæ nuncia exhilarat.

At Covenſtenio in aggere, auctis Fœderatorum militibus, quorum non pauciores bis mille, ac quingentis jam conſcenderant, res

Palatæ caſtellum periclitatur,



2009 Ministerio de Cultura

1585. Catholicorum in arcto erant: in primiſque Palatæ caſtellum, ſaucio Gubernatore, periclitabatur. Etenim partem ejus extra aggerem palatione ſuſtentatam tormenta è navibus decuſſerant: & hoſtium munitio inter ipſum, & Georgianum propugnaculum interjecta, tranſcenſum atque auxilium Georgianorum morabatur. Nec defuerat Mansfeldius (cujus imperio Brabantiæ ora regebatur) à Stabruco, quamvis nec inde ſatis liber acceſſus ad Palatam, milites illuc alios integroſque ſubmittere. Sed eorum multis ab aſſiduo è navibus conjectu pilarum, igniumque miſſilium proſtratis, aut abſterritis, hærebat animi dubius: progreſſuſque à caſtris ad ſuum in aggeris capite propugnaculum, quid in re præſenti opus foret, raptim anxieque cum aliquot militiæ primariis conſultabat. Ac multi quidem haud probabant, certam in perniciem dari milites collineantibus expoſitos, & amiſſo vallo improtectos, noctem potius expectandam, quo tempore parem jaculatoribus fortunam fore, & INTER tenebras etiam nudos tegi. Contra alii, nihil ceſſandum exiſtimabant, ſed enitendum, ut in Palatæ caſtellum quoquo modo inferrentur aliquot tormenta, atque inde milites continenti agmine in hoſtilem munitionem Palatæ proximam emitterentur. Non pauci, hoſtium audaciam, & Regiorum metum referentes in Alexandri Principis abſentiam, hunc ajebant feſtinatis nunciis accerſendum: neque dubitandum, quin eo præſente omnia in expedito forent. Sed, ut in hujuſmodi rebus evenire ſolet, MVLTI conſilium dabant, pauci periculum ſubibant. Erat inter eos Camillus Capiſuccus, Italicæ legionis Præfectus. hunc in illo conventu compertum habeo, ceteris animoſius dixiſſe, & fortia verba factis adæquaſſe. Nam damnata omni mora, *Quid aliud eſſe* ajebat, *aut noctem, aut Parmenſem Principem operiri, quam ſpatium ſcindendi aggeris, ac tranſmittendi commeatus hoſti præbere? quo tranſmiſſo, quid*

*Gamboa*

*P. Erneſt.*

De ejus auxilio propere conſultat Mansfeldius.

Varie diſſeritur.

Capiſuccus offert ſe, legionemque ſuam ad opem ferendam:

2009 Ministerio de Cultura

*quid ultra opus fore noſtris armis? At milites cæde ſociorum timidos ægre in hoſtem ire: & , vel ſi libenter eant, fruſtra, atque in exitium ituros. Profecto ſe non aliquid ſibi, ac legioni ſuæ ſupra ceteros tribuere: tamen Parmenſi obſtrictum, devotumque ſe ſupra cæteros non negare. Inde ſibi præ aliis audendi incitamentum. Itaque, quidquid cæteri aut dubitent, aut caveant; poſcere ſe, ac legionarios ſuos copiam exeundi in hoſtem, paratos aut in fronte agminis, ſi cæteri ſequi velint: aut ſi differant, & gloriam ſolis relinquant, ſolos in hoſtium munimenta inferre ſigna pariter, & victoriam. Notos ſibi militum ſuorum animos, notas & vires. ab his jactantiæ ſe, ac temeritatis abſolvi. ſperare autem fore, ut, quæ inter conſultandum magnifica dicuntur, in acie fortia probentur. Quod ſi ſecus belli ſors tulerit, ſibi quidem haud inglorium fore, militiæ ſuæ annis noviſſimum hunc diem impoſuiſſe. Sed meliora non dubie præſumenda iis, quibus jam toties adfuerit & manifeſti Numinis præſentia, & cauſæ ſanctitas, & Alexandri nomen.* Aderat hæc dicenti ejus legionis Centurio Inſtructorque Silvius Piccolomineus: cujus per hæc tempora Octavium filium Amalphitanum Ducem, auſtriaca per Germaniam, perque Belgium arma intrepide, fortunateque moderantem, crebro in præſentis ævi annalibus poſteritas leget. Hic, quoniam eadem, quæ Camillus, nec minori contentione adſeverabat: proque legione fidem ſuam audacter interponebat; Mansfeldius, cui gratum id acciderat, atque ex eorum aſpectu, quos ſecum duxerat Piccolomineus, bene de ſucceſſu conjecerat, jubet illum trecentos ex ea legione milites ſeligere, atque extemplo adeſſe. Agebant in vicinis Stabruchi contuberniis ex hac Italica legione centuriæ ſex: nam reliquæ Scaldicum pontem ſtationariæ defenſabant. Ex his apud Stabruchum centuriis Piccolomineus trecentos carptim delectos miſtoſque, ſub Centurionibus notæ fortitudinis Marco Magdalenio, Ioanne Baptiſta à Prano, ac Ludovico Gambaloita, peralacres, ac pugnæ cupidos Capiſucco

1585.

Idem confirmat inſtructor ejus Piccolomineus;

*Silvius*

qui ad hanc opem legionarios ſuos,

ſub tribus Centurionibus adducit ad Capiſuc. *Roman. Neapol. Mediolan.*

ſucco

2009 Ministerio de Cultura

1585.

Eandem opem offert Mansfeldio Aquila hiſpanorum Tribunus.

Contentionem de primo in ea aggreſſione loco Inter Italos & Hiſpanos

Tribuni generoſe componunt.

ſucco Tribuno ſiſtit: reperitque auctum novis copiis Mansfeldium. Duxerat eas Ioannes ab Aquila, hiſpanæ legionis, quæ Petri Pacii fuerat, invicti animi Præfectus. Hic audito procul à Covenſtenio ſex ſeptemve milliaribus, crebro tormentorum ſonitu, ratus id quod erat, aſſumptis ex ſua legione militibus ferme ducentis cum Bartholomæo Toralva, Michaële Cardona, & Gonzalo Caſtrio, veteranis impigriſque Centurionibus, obtulit intrepide ſe ſuoſque Mansfeldio: popoſcitque primum in ea aggreſſione locum. quem quum jam ſpe præſumpſiſſent Capiſuccus, & Piccolomineus, inſtabant, ne Italorum virtuti, qui decus illud primi efflagitaſſent, ſecuti poſt alii præhaberentur. contra Hiſpani, militiæ jus, & nationis in Belgio prærogativam obtendebant, in eos procliviore Mansfeldio. tum Aquila, non tempus illud, exclamans, inter ſe, ſed cum hoſte certandi, apprehenſa Capiſucchi dextera. *Eja*, inquit, *vir fortis, juncti miſtique in hoſtium munimenta contendamus: nationumque virtutem, perduellium exitio probemus.* Lætus ea militari lite, ac litis definitione Mansfeldius, aggreſſionem adornaturus jam erat: quum procul in altero aggeris capite clamores repente attolli, atque à Sanctæ Crucis propugnaculo concurſum propius fieri, magiſque ac magis crebreſcere tumultum admiratus, audiit adveniſſe in aggerem Alexandrum. Detinuerant illum in ponte naves Antverpienſium; nec inde, quamvis hoſtium claſſem adortam jam eſſe Covenſtenium conjeciſſet indicio reboantium tormentorum, abire ſtatim eum paſſa fuerat pontis cura. Donec, repreſſo jam remiſſoque Antverpienſium ad Scaldim conatu, aliquanto ſecurior, ſuorumque ad aggerem periculo anxius, jubet Carolum Mansfeldium pontem, atque oram Flandriæ curare: ipſe, tractis ſecum ducentis Hiſpanis haſta armatis, ſub Turrio Vivero priſcæ militiæ Centurione, iter ad Covenſtenium (quod non minus trium horarum ſpatio à ponte diſta-

Ad Palatæ periculum advolat Alexander,

à ponte jam defenſo

*Petri Ern. fil.*

*Franciſcus Turrius Viu.*

2009 Ministerio de Cultura

1585.

diſtabat) tanto celerius intendit, quanto triſtioribus per viam nunciis, aliis ſuper alios, evocabatur. At ubi jam præſens tam multos hoſtium, foſſorumque ſuper aggerem videt: ſuoſque, undarum ritu, modo inferre, modo navium tormentis obnoxios referre pedem: ſimulque audiit à Camillo à Monte tot primariorum cædem, Georgiani caſtelli diſcrimen, ac deſperatam propemodum Palatæ defenſionem; omiſſa vel modica verborum cunctatione, ubi celeritatę factorum opus eſſet, Montio mandat, quæ per viam tormenta ſubduxerat ex Divi Petri Divæque Barbaræ propugnaculis, illico transferat in ſuum Divi Iacobi caſtellum, atque inde in naves indeſinenter explodat: idem ut agat è Crucis munitione, præcipit Mondragonio: Viverum autem cum parte haſtatorum in foſſores, vicinum aggeris latus aperientes, immittit: tum ipſe oculis, ac vultu præferens, quam collegerat animo, irarum nubem, contenta voce, ceu tonitru, adſtantium aures menteſque perſtringens, *Non ſuus*, inquit, *curæ eſt honor*, *nec Dei Regiſque cauſa cordi eſt ei*, *qui me non ſequitur*. Nec plura elocutus, inter Hiſpanorum haſtas manipuloſque, qui aderant, ſe conjicit, aciemque componit. Enimvero ad eam vocem aſpectumque, tanquam ad belli claſſicum, vidiſſes non modo primarios quoſque, Ioannem Manriquum, Marchionem Bentivolum, Comites Bevilaquam, ac Sfortiam Alexandri Principis affinem, alioſque honorarios bellatores, circa Alexandrum ſtipare ſe ſe, ac primum in pugna diſcrimen expoſcere: ſed etiam reliquos ſparſim milites, confertos adeſſe, concuſſiſque ferociter armis, non tam prælii quam victoriæ expectare ſignum. Nec minus è Stabrucho Mansfeldius, quum jam obſervaſſet, movere ex altera parte Farneſium, ſatis hoc hortamenti ratus, *Bene eſt*, inquit, *commilitones. Omnia, Dei benignitate*, *conſpirant ad victoriam. Hinc Aquilæ auxilium tam opportunum*, *quam non expectatum, divinitus ad nos advolavit*: *inde Alexander, dum res*

ac multis in ſummo atque in imo aggere ordinatis, *Alex.*

ad ſe ſequendum ſuos invitat.

Sequuntur Imperatorem præcipui quique duces.

Ex altera parte Manſfeldius hortatur ſuos. *Petr. Ern. Mansfeld.* Io. ab *Aquila*

2009 Ministerio de Cultura

1585. *res noſtræ maxime implicitæ, arctaque forent, in tempore adfuit, nodum ferro inciſurus. hoſtis in medio tenetur, utrinque feriendus. Non ſuſtinebit ille Alexandri occurſum: ab eo fugatum, atque in nos obverſum noſtra excipient arma, conficientque: atque adeo abſoluti hujuſce belli gloria penes nos demum erit.* Sic redintegrata eſt utrinque pugna, ſi unquam alias, ferox, ac memorabilis. Super aggerem non ſane ſeptemdecim pedibus in ſummo latiorem, homines facile quinque millia dimicabant. In haſce breviſſimi limitis anguſtias conjecerat ſe Hiſpanorum, provinciarumque belgicarum potentia. atque hic delectus eſt campus, in quo robur vireſque partium ſe ſe colliderent, ac tum denique de Antverpiæ poſſeſſione decernerent. Et vero non ſolum locus neceſſitatem pugnandi tanquam concluſis caveа gladiatoribus, imponebat: ſed ipſi, animo truci deliberatoque, diem illum aut victoriæ primum, aut vitæ ſupremum deſtinaverant. Quin & jusjurandum addiderant Antverpienſes, quo publice ſolennique ritu voverant, Non ſe ab aggere, niſi perfoſſo, ac tranſmiſſo, receſſuros. Et ſtabat à principio par feroci conſilio pertinacia. Multis in locis tenebant aggerem Fœderati: ideoque non acie una, ſed ſectis per manipulos congreſſionibus, ceu pluribus ſeorſim præliis, concurrebant. Et tamen quum plerumque gladiis, aut haſtis, non irrito armorum pulſu, cæderent ſe ſe; adeo nullo aut fugæ, aut trepidationis indicio, ſinguli veſtigium, quod ſemel preſſerant, obtinebant, ut non niſi proſtrati calcatique, velut dejecta machinis mœnia, locum ultra tendendi victoribus præberent. Sed Alexandro cum hiſpana haſtatorum cohorte, interjectis aliquot ſclopetariis irruenti, vis nulla hoſtium ſatis fuit. recuperatoque, paucis ſuorum amiſſis, quantum à Crucis munitione ad Divi Iacobi caſtellum patebat, aggere, movebat inde ad Georgianum propugnaculum ita explicata acie, ut & planitiem, & clivum ex utraque parte comprehenderet. Ipſe

Pugnatur modico ſuper aggere à multis hominum millibus,

neceſſitate.

ac deliberatione vincendi aut moriendi.

Alex. partem aggeris recuperat:

2009 Ministerio de Cultura

Ipſe autem nunc in prærupti aggeris deſcenſu, 1585.
ægre conſiſtente veſtigio pendens, ſubeuntes è ac mira ubique manu,
navibus Antverpianos haſta propellere: nunc
aggere in medio, brevi cum parma, gladioque,
cujus vibrandi mirus artifex erat, in confer- & imperio gerens.
tos hoſtium cuneos irrumpere, atque adverſa
reſiſtentium ora concidere: ubique imperio,
manu, aſpectu ipſo, animum ſuis, terrorem hoſtibus incutere; donec aditu ad Georgianum propugnaculum patefacto, atque adeo aperta novis copiis via à Crucis munitione, aggredi eodem impetu hoſtium munimenta decrevit. Sed erant illa aggere, ac vallo egregie ſepta: ad invadendum hoſtile vallum properat.
nec minus ſelectis ex univerſo exercitu præſidiariis inſtructa: maxime autem à claſſiariis, qui utrinque ad ejus munitionis tutelam naves propius adegerant, aſſiduis pilarum emiſſionibus defenſa: itaque Alexander non eſt auſus ea munimenta prius invadere, quam ante *Inter S. Georg. & Palatæ caſtella*
Georgianum caſtellum juberet attolli loricam è ſacculis terra confertis, ex qua campeſtria *parapetto.*
aliquot tormenta ad libellam dirigerentur in vicinum vallum: ſimul inducto in caſtellum Hiſce in illud rebus ante diſpoſitis.
majorum ſclopetariorum manipulo, inde claſſiarios abſterreri curaret. Tum aggreſſionem adornaturo nunciatur, Palatæ munitionem, ſubmotis hoſtibus, teneri à Mansfeldianis: atque aggreſſionem in hoſtile vallum magna ſpe victoriæ feſtinari. Et vero non aliud generoſa illa Hiſpanorum, Italorumque contentio jam promiſerat. Namque egreſſi è Mansfeldiana munitione Capiſuccus, & Aquila Tribuni: quorum ad latus aderant, huic Piccolomineus, illi Toralva Centuriones, ſequentibus Italorum, atque Hiſpanorum centuriis, ex utraque natione compoſitis, poſtquam Hiſpani, horumque exemplo Itali, poſitis humi genibus, imploraverant divinam opem; in hoſtes Palatam obſidentes irruerunt: iiſque, poſt acre cruentumque prælium, qua cæſis, qua fugatis, caſtellum victores intrarunt: eique, ſuppreſſa in poſterum Palatæ appellatione, Victoriæ nomen

Eodem feruntur Mansfeldii juſſu Capiſuccus, & Aquila, cum ſuis centuriis invicem permiſtis.

& poſt cruentum prælium, Palatam intrant, Victoriam inde appellatam.

2009 Ministerio de Cultura

1585. men indiderunt. Quod ubi tormentis valide firmarunt, compoſiti rurſum, præeuntibus quoque Tribunis, & quos dicebam, Centurionibus, in hoſtium ſepimenta direxere gradum, excepti ferociter à propugnatoribus, munitionem illam, ut ſpei ultimum, retinentibus. Et quamvis eodem tempore ex altera parte Alexandri miles invaderet, exploſis jam ſatis in illud è caſtello Georgiano tormentis; tamen hic quidem ſemel, illi vero bis, nec ſine clade rejecti ſunt. aucta uſque adeo ab eo ſucceſſu Fœderatorum ſpe, ut jam ex utraque claſſe certatim in aggerem ſuccedentibus, & coëuntibus militibus, brevi multis in locis inſtaurata ſit pugna. At vero tertium renovatam à Mansfeldianis aggreſſionem ad extremum non ſuſtinuere hoſtes. apparuitque, quid ſtimulata ab dedecore virtus, quid amittendæ gloriæ metus, quid ultionis ſpes, quid deſperatio demum poſſent. Seſquihora dubio eventu certatum erat. quum novo repente impetu percita Italorum, Hiſpanorumque legio pugnam redintegrant, ac denſatis una ſpiculis, libratiſque ſecuribus, valli ſepem diſtrahunt, aperiuntque. alii humeris ſociorum innixi, aut ſuper clypeos ſcandentes objecta tranſcendunt: ſciſſoque jam multis in locis aggere, irrumpentibus ex altera quoque parte Alexandri militibus, munimenta confertim intrant, ac multa cæde inius edita, loco potiuntur. Primus, qui vallum inſcendit (namque hanc ſuæ quiſque nationi laudem aſſerere Hiſpani, Italique contendebant) Bartholomæus Toralva Centutio Hiſpanus fuit. Quamquam, quod eodem pene tempore in munimenta Tribunus ipſe Camillus Capiſuccus emicuerat, atque inde ſe ſe in hoſtem prior quam Toralva libraverat, parem Toralvæ prærogativam meruiſſe viſus eſt. Ob hanc certe cauſam militem, cujus humeris ſublatus valli ſumma apprehenderat, ex gregario ad Inſtructoris gradum poſt evexit. Ipſum autem Camillum multa cum laude complexus Alexander,

*Tum vallum aggrediuntur,*

*Alex. mil. Mansfeldiani bis rejecti,*

*tertium invadunt,*

*& valli ſepem tranſſcendunt,*

*urgentibuſque ex altera parte Alexandri militibus,*

*munimento potiuntur.*

*prima cum laude Toralvæ & Capiſucci.*

*Victorius Antonotius ab Aſiſio*

2009 Ministerio de Cultura

der, valli expugnationem virtuti ejus, concordique cum Aquila conſilio acceptam retulit. cique propterea & Aquilæ apud Regem pariter commendatis, patentes utrique litteras Tribunatus ſui, (nam legiones nondum accepto ab Hiſpania diplomate gubernaverant) cum honorifica regii in eos animi teſtificatione impetravit. At Toralva multis vulneribus ſaucius, Alexandri juſſu in Stabruchi prætorium, inque ipſius Alexandri lectum protinus illatus curatuſque, ac veſtimento, quod heſterno die Farneſius induerat, donatus, benignitatem Principis omni vallari corona potiorem duxit. Ferunt quo poſtremum tempore in hoſtium munimenta cum Italis movebant Hiſpani, Petrum Pacium hujus hiſpanæ legionis olim Tribunum, virum apprime pium, carumque militibus, qui aliquot ante menſes in Teneramundæ obſidione ceciderat, conſpectum hic fuiſſe armis, quibus conſueverat, indutum præire ſuis, commonſtrare ſubeundi locum, legionemque, qua ſolebat alacritate, in hoſtes animare. exterritos autem, qui primi viderant, indicaſſe pone ſequentibus, hos aliis atque aliis, omnes ſtupore ſuſpenſos addubitaſſe, ludibrione oculorum fallerentur, an Pacium ipſum viventem pugnantemque ſpectarent? Sed poſtquam error conſenſu excludebatur, accepto omine ſibi perſuaſiſſe, curæ eſſe Deo conatus ſuos, quibus cœleſti ope promovendis ſe Superi miſcerent, aſſociarentque. Sic complures eorum, qui hoc viderant, & quidem juratos enarraſſe, Delrius author perſane gravis, ac rerum Belgii ſui non ignarus affirmat. Quæ me viri ſapientia permovit, ut rem loco attexere non dubitarem. Nam ut dubia, & admiranda unde unde conquirere, ſcriptoris exiſtimo nimis fidenter abutentis credulitate legentium; ita ſerio traditis conſignatiſque fidem ſilentio adimere, profecto & priorum, qui prope damnantur, dum prætereuntur: & poſterorum, quibus rerum notitia ſubtrahitur, injuriam duco.

1585. cui, & Aquilæ litteras Tribunatus impetrat Alexand. à Rege.

Mirum de Pacio Trib. pridem mortuo.

*lib. 2 diſquiſit. magic. q. 26. ſect. 5.*

At

2009 Ministerio de Cultura

1585.

*Victoriam toto in aggere continuant Regii, Antverp. & Holland. regente & animante illos Alexandro.*

At intra expugnata munimenta non ſe tenebat Regiorum victoria, ſed toto pervagabatur aggere, ægre jam obſiſtentibus, qui paulo ante è navibus utriuſque claſſis recentes ſubierant, prælium que crebris coitionibus conglobati, variis in locis reparabant. Percurrebat agmina ſuorum Alexander, hos pugnæ componens, illis integros pro ſauciis adjungens, alios implicitos & confertos expediens, omnes manu, ac voce animans, *Vt ferirent, mactarentque concluſos intra ea aggeris ſepta perduellium greges: ulciſcerentur necem fortium commilitonum. Illum diem Antverpiani belli finem facerent. aggerem illum, Antverpiæ muros eſſe: excluſis inde hoſtibus, aditum in urbem ſaltu patere.* Hæc dictitans animadvertit, Lilloum verſus fluctuare, ac furtim recedere hoſtium naves, metu videlicet, ne, poſt receſſum relabentis Oceani, limo hærerent.

*Alexand.* Ejuſdem adhortatione,

Tum vero id ſuis commonſtrans, *Vicimus*, inquit, *ſocii. Deſerit impios deſertores ſuum mare. Præcidite, quæ fugitivis ſpes noviſſima ſupereſt, ad naves viam. neque ultra ſinite è manibus impune elabi in prælium redituros.*

ferocius feruntur. in nutantem hoſtem.

Novo hinc furore animis ſubdito, crudeſcere ubique pugna: & quamvis multi auxiliarium Hollandorum, Zelandorumque nutare viderentur, directis modo ad naves, modo ad hoſtem oculis, fluctuantibuſque non minus animis, quam navigiis; non tamen Antverpienſes,

Reſiſtunt diutius Antverpienſes: *Iuramentum conceptum*

quorum res propius agebatur, quidquam à principio remittere, aut loco propelli. Perſtitit illis patriæ cura, & promiſſorum fides, quamdiu FIDVCIA multitudinis, & mutuus reſpectus in pugna vel timidos attinebat.

mox ipſi ac reliqui ad naves confugiunt.

At ubi ab uno auxiliarium Hollandorum manipulo, in quem Auguſtinus Romanus, hiſpanus Centurio ferebatur, cœpta eſt fuga, tum vero quaſi pudore omnes exſoluti, effuſo curſu naves petere, inſequentibus Regiis, ac tanto plures à tergo fodientibus, quanto ipſa ſibi turba præſentior peſtis erat, dum intercurſu feſtinantium præpediti, affluente multitudine, velut cæci, alii ſuper alios incidebant: &, quod in

talibus

2009 Ministerio de Cultura

talibus accidit, MORA erat omnium, feſtinatio ſingulorum. Sed nuſquam major, quam apud auxiliares naves pernicies fugientium: quorum alii ad eas jam appliciti, ac ſubituri, occurſu validiorum deturbabantur: alii navigia catervatim ingreſſi, prægravanteſque, carinis fatiſcentibus, hauriebantur: alii occupatis effugiis excluſi, evitandiſque tantummodo Hiſpanorum gladiis intenti, ſe ſe in flumen, graves licet armis, fatigatique prælio, præcipites dabant; ac minore metu ab aquarum, quam ab hoſtium periculo, certius periclitabantur. Adeo NIHIL æque ex omnibus timetur, atque id, quod primum omnium timeri cœptum eſt. Nec minore clade ad alteram aggeris partem conflictabantur Antverpienſium naves. quarum multæ ſicuti propius ad aggerem acceſſerant, ac pertinaci ſpe receſſum diſtulerant ultimæ, ita à reciprocante mari deſtitutæ immobileſque, certis pilarum emiſſionibus vicino ex aggere laceſſebantur, magna utique claſſiariorum ſtrage: quam ut evitarent eorum complures, in flumen ſe demittebant, quaſi nando aſſecuturi præeuntes naves, nec ideo plerumque fatum evitabant. quin etiam Hiſpanorum aliqui non minore ſui fiducia, quam hoſtium contemptu, nantes gladiis ore arreptis, in fugientes rates impellebant ſe ſe, captaſque cum iis, qui remanſerant, nauticis illo audaciæ oſtento perculſis, ad aggerem avehebant. hoſtium denique non pauci ad aggeris radices, ut ſe ictibus tormentorum ſubducerent, adhuc propius adnavigabant: ibique ab repertis, quos cæci fugiebant, hoſtibus (quippe non judicii modo, ſed etiam oculorum uſum abſtulerat timor) promptis haſtatum ſpiculis figebantur. Non defuere tamen ex his aliqui, qui decori exitus cura, facie iraque in hoſtem verſa, non inulti cadebant. Deſiderati dicuntur in hac Covenſteniana pugna, horis ferme ſeptem agitata, ex Antverpianis quidem, auxiliaribuſque, atque ex illis maxi-

1585.
*Holland. & Zeland.* Hic ſtrages maxima.

magno hiſpanorum auſu.

Numerus occiſorum ex Fœderatis. *Holland. & Zeland.*

2009 Ministerio de Cultura

1585. maxime, tria circiter millia, præter eos, quos flumen hauſit. majore utique, quam pro numero jactura, amiſſo robore veteranorum, ac militiæ præcipuis. captæ naves magnæ viginti octo, depreſſæ quatuor: reperta in iis ænea tormenta ſexaginta quinque, ferrea & minora omnino nonaginta, & copia bellici apparatus, commeatuſque ſane quamplurima. Ex regiis vero cæſos fuiſſe non pauciores ſeptingentis, & ex his Hiſpanos ſupra quadringentos: ſaucios autem quingentorum numerum exceſſiſſe compertum eſt. Recuperato in hunc modum fatali aggere, Alexander actis primum victori Deo gratiis, eaſdem voluit à ſacro ordine inter ſacrificandum poſtridie ubique perſolvi: ſimul pro iis, qui in pugna ceciderant, peragi (uti mos illi erat) exercitu præſente, emortuale Sacrum. Proxima, poſt ſauciorum curam, cura non minus ſaucii Covenſtenii aggeris fuit: quem tredecim omnino locis apertum ac lacerum, ut repararent, præter ceteram materiam, & faſcium terræque complementa, aggeſtis cadaveribus hoſtium milites irati, ac feſtinantes obſtruxere.

Præda.

Cæſi ex Regiis.

Gratiæ Deo redditæ.

cura interemptorum ſalutis. & ſauciorum & Covenſtenii aggeris.

DE

2009 Ministerio de Cultura

# DE BELLO BELGICO DECADIS SECUNDÆ

## LIBER SEPTIMUS.

1585.
PORTENTOSI navigii reductio.

ALEXANDER, ne quid ſpatii perculſis hoſtibus relinqueret, audito perſtare adhuc portentoſum navigium ad Ordamum, multaſque in eum locum conveniſſe Antverpienſium naves; illuc Carolum Mansfeldium cum biremibus quinque, celocibus ſeptem, ac viginti minoribus navigiis, tormentis, ac milite inſtructis, immittit. Mansfeldius è navali ponte ſolvens, per ſciſſuram Scaldici aggeris, apud propugnaculum S. Petri, in campos alluvione undantes illico tranſgreſſus, tanta hoſtes celeritate circumvenit, ut facile nulla videretur evaſura navis, niſi inopinatum in ipſa rei molitione infortunium interceſſiſſet.

contra illud & alias naves Mansfeldius feſtinat,

Namque in Mansfeldiana biremi, qua vehebantur Comes Arembergius, Marchio Bentivolus, Comes Bevilacqua, & complures viri primarii, cupidine adducti navale illud prodigium, ac Noëticam, uti appellabant, arcam, oculis uſurpandi, forte incenſo bellico pulvere, qui doliolo ſervabatur, flagravit repente navis: Bevilacqua doliolo propior in flumen expulſus, nando Ordami ad ripas ſemivivus applicuit: aliqui in undas projecere ſe: nonnulli combuſti periere: Mansfeldius, ac reliqui, ore ac manibus diu prætulere flammæ veſtigia.

Qui incenſa ejus navi paulum retardatus:

Per hanc autem moram (nam multi ad opem undique accurrerant) pleræque Antverpienſium naves

mox hoſtem aggreſſus

Q ſe ſe

2009 Ministerio de Cultura

1585. *Finis belli* Naves aliquot capit. ſe ſe in urbem recepere, præter novem à Manſfeldianis inſequentibus captas. Qua cum præda reverſi victores, circum ingens navigium conſiſtere, mirati, nullum inde propugnatorem, ex navali turba nullum, nullum ceu deſerta in urbe habitatorem apparere. Et deſertum plane illud reliquerant Antverpiani. Nam pridie pleriſque tormentorum exoneratum, quum ne ſic quidem amoliri inde potuiſſent, abiiſſentque; redierant eo die cum claſſe, extracturi è navigio milites, nauticumque inſtrumentum, ac ſubjectis flammis, eam lignorum ſilvam hoſtibus prærepturi. Et claſſiarios quidem, navaleſque ſocios, ac ſupellectilis partem in naves jam abduxerant, cetera repentinus Mansfeldii adventus intercluſerat. Hæc autem licet à captivis, uti ſe habuerant, relata eſſent, haud tamen iis fidem habuere Mansfeldiani: quantoque pacatiora omnia, nec hoſtile quidquam obſervabant, tanto occultiores in ea lignea mole, velut in altero Equo Trojano, dolos pertimeſcebant. Placuit, exploſa in illam ex æneo tormento pila, tanquam igneo tentamento excitare machinæ torporem. Sed pila intra lateris tomentum ſurdo ictu accepta, non magis inde motum eſt navigium, quam ſi vaſtus in mari ſcopulus leni undarum attactu lamberetur. Poſtremo ex audacioribus unus, quaſi muralem coronam primus adepturus: mox alii, ne minus auderent: tum præeuntium exemplo complures, captivis obſidum loco ſecum ductis, ſociis nempe diſcriminis, eodemque, ſi quod lateret, periculo involvendis, molem ſubeunt: tabulata, foros, ſtatumina infra ſupraque perluſtrant, ac rimantur omnia. Nec ullis fraudum veſtigiis uſquam repertis, à metu jam ſecuri, de amovenda loco machina, Scaldicumque ad pontem Parmenſi Principi ſiſtenda, cum navarchis conſilium capiunt. Igitur avulſo quidquid compactile, ac ſolutile fuit, mutilatum ea ratione navigium allevatumque, per inundatos Ordami campos in al-

veum

*Tum ad navigium maximum accedit.*

*Quod, uti inutile deſeruerāt Antverpiani.*

*Timent in eo inſidias aggreſſores.*

*Tentant illud.*

*Aliqui ſubeunt:*

*ac ſecuri inſidiarum,*

2009 Ministerio de Cultura

veum fluminis trahunt, admonitoque Parmenſi, pontem verſus impellunt. Nec ſine pompa id factum. Præibant captivæ naves, remulco tractæ: ſequebatur Mansfeldiana claſſis, ipſo, inſtar claſſis, navigio in medium accepto. Addidere plauſum obviæ à ponte rates, exploſaque, ubi in Alexandri conſpectum venere, tormenta: tam effuſo exercitus gaudio, ut per eam capti navigii ſpeciem, ipſa jam victa captaque in triumphum duci Antverpia videretur. Et vero non ſolum militum vulgus, qui, ut in omnem partem nimius, quantum antea ad machinæ famam extimuerat, tantum ejus tunc præſentiam irriſit, atque uti formidandum pueris ludibrium contemptim habuit: ſed etiam militum primores, atque Alexander ipſe, demirati irritum tam vaſtæ artificium molis, qua hoſtes belli finem minati eſſent; vere adveniſſe, malo utique eorum omine finem belli, exhauſta jam obſeſſorum potentia, interpretati ſunt. Nec ſane falſo.

1585. in flumen detrahunt: & militari pompa, *Naves 9.*

Ad Alex. deducunt:

magna ſpe finis laborum.

Nam ubi Antverpienſium populus ſuper cladem Covenſtenianam, captum navigium illud ſuum, atque adeo ſe ſpei ubique irritos viderunt, non ultra ab Holachio decipiendos ſe, aut ab Aldegundio ſuſtentandos, vano externæ opis acceſſu, conclamarunt. Apparebatque, ſciſſa in partes civitate, multitudinem non diutius obſidionis mala toleraturam. Nec animadverſio in audaciores aliquot è plebe quidquam profuerat: quippe in carcerem conjectos vi populus extraxerat: nihil auſo in poſterum Magiſtratu. cujus neque conſilium de Catholicis urbe pellendis, quo allevaretur urbs, Aldegundius probaverat, veritus longe acriorem, inevitabilemque multitudinis tumultum. Adde, quod repens ab urbe prædivitum aliquot mercatorum fuga: & Hanſiaticarum civitatum legatio flagitantium, ut niſi pax iniretur, Hanſiaticis mercatoribus liber egreſſus ab eo emporio ſuis cum opibus pateret; terruerant Antverpiæ

Antverpienſium populus non toleraturus amplius obſidionis mala, fruſtra coercetur à Magiſtratu.

Pacem quoque flagitant mercatores,

 Magi-

2009 Ministerio de Cultura

1585. Magiſtratum, & multo audaciorem effecerant plebem. Sed Aldegundius non conſumptis adhuc, quas apprime callebat, artibus tractandæ multitudinis, ſpargit in vulgus, ſcripturum ſe Parmenſi Principi, mox & iturum ſe in caſtra: &, ſi quidem æqua ab Hiſpano proponantur, nihil omiſſurum, quo pax brevi componatur. Scripſitque, ut admitteretur: atque admiſſo, ubi Alexander à Richardotto, cum quo Aldegundius primum egit, audivit, veniſſe illum, ut Antverpiæ, Hollandiæque, ac Zelandiæ reconciliationem una miſceret: intellexit, ea plurium conjunctione provinciarum, lento nimirum, implicatoque dierum multorum negotio, ſperatis Anglorum auxiliis moram, ac ſpatium quæri. ideoque hominem cetera humaniter habitum, Antverpiam remiſit, pollicitum, ſe accepta à Magiſtratu populoque facultate, de Antverpiæ ſeorſim cauſa tranſigendi, illico rediturum. Sed cunctante, ſuſpicatus Alexander, rem callide produci, ut ex agro circum Antverpiæ, Mecliniæque ſuburbia, qualiſcunque meſſis, quæ jam matureſcebat, ab obſeſſis colligeretur; occupavit hanc quoque ſpem illis adimere. juſſitque Ambroſium Landrianum cum Vilvordiano ſuæ præfecturæ præſidio, ruſticorumque caterva; & Vaſtium cum parte equitatus: hunc per Antverpiæ, illum per Mechliniæ ſuburbia, eodem tempore populabundos excurrere: ſegeteſque, oleraque, & quidquid uſui eſſe poterat, auferre in caſtra. Tum ipſe cum expedita equitum peditumque manu in Antverpienſem agrum illatus, Burgerhoutum, munitam Antverpianorum militum ſtationem, Berchemium, aliaſque circa arces, ac propugnacula eodem impetu expugnat: atque Antverpiam reliqua agri parte, qua demum ſola extra pomerium fruebatur, exſpoliat: civeſque, ac famem intra urbem claudit. Enimvero eruptura erat populi ſeditio: neque enim aliud diſſonis per urbem queſtibus audiebatur,

Aldegundius pro ea ad Alex. contendit. 9 Iunii

qui intellectis artibus illum remittit.

ſimul ſegetes per hoſtilem agrum adveni jubet in caſtra:

Ipſe arces circa Antverpiam expugnat, 400 *equit.* 700 *pedit.*

& urbem ſuburbiis ſuis exſpoliat.

Fames ad ſeditionem cives impellit

batur,

2009 Ministerio de Cultura

batur, præter panem, & pacem. Quum à Magiſtratu ſubmiſſi, qui ſe per compita circulis inſererent, ſpargerentque, Recens acceptas è Gallia litteras, quibus adventare tandem auxilium certo nunciabatur. Addebant aliqui civium, nempe ex Aldegundii cohorte, ſibi exploratum eſſe, Parmenſem Principem oblaturum quidem conditiones haud ſpernendas, clam tamen ſtipendiorum loco cum Hiſpanis pactum eſſe populationem urbis. proinde viderent, ne brevis moræ intolerantia, & ſuſtentatæ ad eum diem obſidionis decus, & rem omnem domeſticam, & uxorum filiarumque pudicitiam, & patriam & vitam ſimul amitterent. Sed minus hæc, latrante intus fame, audiebantur foris: & plerique gallicas litteras Antverpiæ natas in Aldegundiano conclavi ſuſpectabant. Nam de Parmenſi Principe dignior fama occupaverat vulgi animos. Acciditque interim parva quidem res, ſed OPPORTVNITAS rebus etiam minimis pretium addit. Matronæ nobili ad curationem morbi, quo periculoſe laborabat Antverpiæ, opus erat aſinino lacte, quod in urbe haberi quum nuſquam poſſet, obtulit ſe juvenis, intrepide auſurus ex agro ſuburbano, quamvis ab hoſtibus teneretur, jumentum adducere, ducebatque, quum captus ab Hiſpanis ad Alexandrum Burgerhouti adhuc agentem deportatus eſt. Alexander, re uti erat audita, poſtquam juvenem præter opinionem benigne habuit, ac pietatem ejus ultro laudavit; juſſit illico jumentum perdicibus, capiſque Brugenſibus, atque id genus avibus onerari. tum ea juveni tradens ad ægrotam perferenda, mandavit, multam ei ſalutem officioſe ſuo nomine diceret: teſtareturque, ſe non modo illi ſanitatis, ac virium recuperationem, ſed Senatui, populoque univerſo proſpera omnia, & ſalutaria ex animo cupere, ac precari. Profecto inſperata hæc Alexandri comitas, cui ſtatim Antverpienſes, miſſo præſtanti equo cum aliquot bellariis,

1585.

Sed ſuſtentantur ſpe auxilii, & metu populationis quam pactus eſſet cum Hiſpanis Alexander.

Sed Alexandri benignitas per occaſionem exhibita, opinionem infregit.



2009 Ministerio de Cultura

1585\. ac primæ notæ vino, publico nomine gratias egere; incredibilem ei civium benevolentiam, accedente præſertim juvenis prædicatione, conciliavit. Nimirum IN MILITARI armamentario, etiam benignitatis telum repoſitum habent prudentes belli Duces.

*MECHLINIÆ deditio.*

*cives fame laborant, & à præſidiariis ſuis timentes:*

At Mechliniæ deditio rem confecit. In ea urbe, poſt auditam in Covenſtenio aggere ſociorum cladem, ortum erat inter præſidiarios, civeſque diſſidium: eodemque aucto poſt ademptam vicinæ ſegetis ſpem, magnopere timebatur à civibus, ne miles, direpta relictaque urbe, in Blochuſiam arcem, quam Mechliniæ proximam tormentis, ac re cibaria communierant, ſe ſe inferret. Quod ubi Alexandro exploratum, occaſio viſa eſt Mechliniam invadendi: ſtatimque expeditioni impoſito Marchioni

*unde poſt amiſſas vicinas munitiones,*

Renthiaco, cum Licquio, ac Mottæo, mandat, recta Blochuſium feſtinantes, hoſtium conſiliis antevertant, Renthiacus raptis illuc copiis, ſecutiſque tormentis, non modo Blochuſium nondum ingreſſis eo præſidiariis, ſed etiam Necherſpoliam, aliaſque Mechliniæ circumdatas munitiones in poteſtatem redegit, ipſaque ab urbe, circumpoſitis caſtris, deditionem ex-

*19 Iulii*

*ſe dedunt Parmenſis arbitrio,*

preſſit. Vrbs, paciſcente Famauſio Gubernatore, Parmenſis arbitrio clementiæque dedita eſt. præſidiarii abſque ſignis educti, ſigna ad Alexandrum miſſa: qui habita civitatis ratione magnam partem catholicæ, mitiores multo conditiones Mechlinienſibus edixit. Nam pro ſeptingentis præſidiariis urbe egreſ-

*gratioſis ab eo conditionibus acceptis.*

*Carolus Giſtelius Prou. Domin.*

ſis, non niſi ducentos Wallones Proveno duce ſubſtituit, juſſis civibus una cum præſidio urbem ſuam tueri: & nulla impoſita mulcta, veniam civitati, Regis nomine, liberaliter impertivit: lætus ipſe, quod paucos intra dies, nulla ſuorum jactura, & Mechlinienſem Archiepiſcopum poſt longum exilium in ſuam ſedem (qua non alia inter ſacras per Belgium præfecturas inſignior) repoſuiſſet: & urbem urbium Belgicarum florem, & cum

ea Me-

2009 Ministerio de Cultura

ea Mechlinienſe dominium, ex ſeptemdecim provinciis unam, Principi ſuo redonaſſet: eo maxime tempore, quo acceptis ab Rege litteris de Placentinæ arcis, quæ hiſpano præſidio tenebatur, reſtitutione, agere poſſet regiæ liberalitati grates, cum victoriæ nuntio gratiores.

1585. Ipſe pro reſtitura placentina arce, Regi Mechliniam rependit.

Sed nuncium multo acceptiorem brevi tranſmiſit ad Regem, ſubacta demum Antverpia. Etenim Conſul Aldegundius, ubi rem deſperatam publicam vidit, ſibi privatim conſulturus, legationem à Magiſtratu, ac civitate deſtinatam ad Parmenſem feſtinavit. legati unus & viginti fuere: inter quos eminebant Gulielmus Merodius Dufflæ dominus, Ioannes Sconhovius, Andreas Heſſelius, & ipſe Conſul urbis Philippus Marnixius Aldegundius. Quibus Beveræ ab Alexandro exceptis, Aldegundium præſente regio, bellicoque ſenatu, omnium nomine in hæc verba prolocutum accepi. *Non hic adſumus, invicte Princeps, ut annuam moram, qua adverſum te noſtra defendimus, anxia legatione deprecemur. Quis enim urbi toto Belgio potentiſſima à modicis adeo obſidentium copiis timuiſſet? Tuque ipſe, ut* NEMO *fortium ſegnes amat, facilitatem noſtram metumque voluiſſes, opinor, magis, quam probaſſes. Compertus erat nobis militum veſtrorum numerus: explorata caſtrorum neceſſitates, contempta navium raritas, audita per exercitum querela: & ſeditiones in dies expectabantur. An tu cum decem, aut undecim hominum millibus (neque enim cum pluribus tantum operis incœptaſti) in obſidione duraturus eſſes, qua ſimul urbem à terra, & ab undis cingeres: Brabantiam equitatu percurreres: vicinarum urbium auxiliis obſiſteres? ſimul vaſtum adeo flumen, & ſupra contra Gandavenſium vires, & infra adverſum Zelandiæ, Hollandiæque potentiam clauderes? tam multa per Scaldicum aggerem propugnacula invaderes, claſſi claſſem, qua tibi nulla tunc eſſet, opponeres: annonam, ac ſubvectiones in caſtra defenderes: omnia caſtellis, præſidiis, ſtationibus inſtrueres? Profecto nec ſi tu quinquaginta bellatorum millibus abundaſſes: nec ſi tibi*

21 *Iunii* DE ANTVERPIÆ deditione legati agunt cum Alex.

*A monte S. Aldegund.* Aldegundii Antverpiam dedentis oratio.



2009 Ministerio de Cultura

1585. *ſi tibi milites centimani fuiſſent, credi poteras, rebus tam multis, tam loco diſtractis, effectu arduis, operis diuturnis, neceſſitate inſtantibus, ſuffecturus. Et tamen cum iſta militum paucitate, Antverpiam à terra, ab aquis, obſediſti: Flandriam, ac Brabantiam, ſparſis ubique ſtativis occupaſti: annonam, quæque alia obſidentibus neceſſaria, novum molitus alveum, in caſtra perduxiſti: arces, ac munimenta ſuper aggeres, perque campos alluvione ſubmerſos, proſeminaſti: & , quod fieri potuiſſe ſolum credidimus, quia factum eſſe conſpeximus, cum flumine maris auxilium trahente congreſſus es, atque adverſus æſtuantis Oceani furias, adverſus acuta glaciei verbera, inter aſſidua claſſium certamina, Scaldim, aut verius mare, ſub pontem miſiſti. At nos pontem, non ſine tuorum clade, perfregimus. Tu à clade animoſior molem extemplo repoſuiſti. Nos Scaldim in campos avertimus, & navigationem alibi quæſivimus. Tu hic quoque Scaldim inſecutus, novo illum ponte ſecuiſti, & tranſverſarium aggerem navigaturis objectaſti. Nos aggerem invaſimus, perfodimus, viam illic navibus aperuimus. Tu victores inde pepuliſti, ſciſſa apertaque reparaſti, ſpem tranſmiſſionis omnem intercluſiſti. Quid uſquam machinarum eſt, quod non admovimus? quas vires claſſium, quæ miracula ignium, quæ natantium moles arcium, non exprompſimus? Quantum ab ingenio, quantum ab arte peti potuit, cælum, mare, ac tantum non tartara in ſocietatem auxiliumque devocavimus. Et his tamen omnibus, non modo à mœnibus noſtris te non abſtraximus, non abſterruimus, ſed etiam in aliarum clades urbium circumferentem arma & victorias, irritavimus. Rem perfeciſti, Princeps, qua veterum, recentiumque temporum annales, majus utique non habent. Sæpe nos legimus, interdum & vidimus, aſſidenti hoſtilem ad urbem Imperatori, dum unam premit & capit, aliam procul amiſſam. Tu, dum Antverpiam toto belli conatu obſides, ceu noſtri ſecurus, ſimul in Flandria Teneramundam expugnas, & Gandavum fame ſubigis: ſimul in Geldria nobis Neomagum eripis: ſimul in Brabantia Bruxellas, & Mechliniam ad deditionem cogis. ſicque ad tres ſimul provincias,*

dum

2009 Ministerio de Cultura

*dum uni inſiſtis urbi, victorias ex victoriis tibi naſcentes extendis. Adeo committi uno cum hoſte, magnitudini mentis tuæ parum eſt. Hac porro diuturnæ contentioni inter oppugnantes atque obſiſtentes commemoratio eo denique pertinuit, ut planum facerem, defenſionem à virium ſuarum conſciis non temere ſuſceptām, & ab iiſdem fortunam tuam experti non timide omiſſam. Gloriam devictæ Antverpiæ Superi & virtus tua tibi dedere, Alexander: & nobis aliquid gloriæ poſteri dabunt, quod à te non cito victi ſumus. Vnum non noſtra tantum, ſed & tua & Regis avunculi tui cauſa rogamus obſecramuſque; ut, ſicut quantam urbem ipſe viceris, vincendo intellexiſti, ita illam capiendo, ac potiundo, nihil de vi, majeſtateque ejus, nihil de victoria tua monumento, nihil de regiæ poſſeſſionis amplitudine, ac cenſu, imminutum velis. Imminues autem, ſi aut civium animis certa religione præſcripta, aut eorumdem corporibus, ac fortunis, præſidio externorum impoſito, civitatis ſtatum immutaveris. Floret in præſens, ſi qua urbs alia per Europam, Antverpia. Civium numerum, convenarum frequentiam, ægre ineas. Naves omnium regnorum onerarias, per arma dum licet, quam amplus eſt Scaldis haud capit. poſtremo nullum uſquam terrarum gentiumque emporium eſt, quod plures una provincias, & provinciarum opes, negotiorum communione jungat, ac miſceat. Durabit loco celebritas, quamdiu Religionis ſolitudo, arcium minæ, præſidiorum terrores, non obſtruent hoc aſylum.* COMMERCIA *ſecuritas alit. Quanta autem ſperanda ſit inermi negotiantium populo ſecuritas inter armatos, & præda aſſuetos, hujus profecto urbis populationes, incendia, excidia, luctuoſo atrocique documento ſatis erunt. Quæ ſane mala, ne rurſum Antverpiæ pertimeſcenda ſint, per hodiernæ deditionis leges, quas tecum inituri huc acceſſimus, ſapientia, Princeps, tua præcavebit.* Ad hæc Alexander brevi reſponſo, Accipere ſe dixit animo perlibenti Antverpiæ legationem. atque ut ipſe fortia militum ſuorum facta in Dei benignitatem, inque Dei Matris opem referebat; ita æquum eſſe, Antverpienſes agnoſcere, vires ſuas,

Q 5 aut

*Margin notes:* 1585. — *an.* 1576. *Vide lib.* 8 *dec.* 1. — Reſpondet legatis Alexander.

2009 Ministerio de Cultura

1585. aut civitatum provinciarumque fœdera, aut externorum Principum auxilia, contra legitimi Belgarum Domini potentiam, æquitatemque fruſtra eſſe. In conditionibus ſtatuendis non ea ſe cogitaturum, quæ peccaverint Antverpienſes, armis adverſus Religionem,ac Regem motis: aliiſque per Belgium populis, tanquam ſigno Antverpiana ex arce ad defectionem convocatis; ſed habiturum ſe in conſilio clementiam Regis, ad ejuſque reſpectum, conditionum præcipua moderaturum. Interim eſſe ab ſe deſignatos, cum quibus ipſi liberius congrederentur, viros prudentia claros, & partibus haud infenſos. Irent ad eos, capitaque conferrent. tum ſe mentem Regis, non ingrata illis interpretatione, ſignificaturum. Delegerat ad eam rem Alexander Pamelium, Richardottum, & Vandenburgium, privati, Arteſiæ, & Mechliniæ conſiliorum Præſides: omniaque eorum ſapientiæ, arbitrioque tradiderat: exceptis ſolum capitibus ad obedientiam Regi debitam, Religionemque ſpectantibus: quæ ſolito attentius ſepoſuerat ſibi, uti facere juſſus erat à Rege. Nam quum multo ante Alexander, ut promptiores haberet ad deditionem Antverpienſes, ab Rege exquiſiviſſet, An videretur, non ſemper definiendum eſſe tempus hæreticis ad res ſuas captis in urbibus expediendas: ſed eos tamdiu tolerandos, dum ſpes ſanioris mentis, ac reductionis affulgeret; reſcripſerat ad ea Rex, hujuſmodi ſpatium indefiniti temporis haud indulgendum, quacumque ſpe, aut perſuaſione ſecuturæ reconciliationis. In quam ſententiam quoniam ſæpe alias ille differuit; libet ex noviſſimis ab Hiſpania litteris, quamquam poſteriores fuere, partem manu Regis exaratam hic opponere. *In omni colloquio, conventuque cum civitatibus, arcibuſque, quæ in noſtram poteſtatem venient, hoc primum, hoc ſupremum eſto: ut hiſce in locis, Religio catholica recipiatur, nulla ſectarum profeſſione exercitiove, ſive urbano, ſive Forenſi hæreticis uſquam permiſſo; niſi ad*

eoſque ad tres Præſides remittit,

quorum arbitrio omnia tradiderat: exceptis capitibus, de obedientia erga Regem, & religione erga Deum.

1 *Maji*

17 *Auguſt.*

De Religione ſententiam ſuam ſic aperuit Rex,

2009 Ministerio de Cultura

1585.

*ad res eorum domeſticas componendas mora temporis aliqua, eaque certa & circumſcripta concedenda ſit. Qua ſuper re, ne quis interpretationi, aut moderationi locus relinquatur, plane edico, Sibi ut perſuadeant, qui in noſtris Belgii provinciis victuri ſunt, alterutrum eligendum, aut nihil de veteris Romanæque cultu Religionis immutandum, aut poſt definitum tempus illico ſedem alibi quærendam. Quæ ſi fiant, divino equidem Numini confido, cujus honori obſequioque in hoc bellum tanto cruoris, tanto opum impendio, tot jam annis inſiſtitur, omnia in melius proceſſura: ejuſque Majeſtatem, pro ea qua ſolet providentia, ita res noſtras perpetuo temperaturam, ut ex earum felici eventu intellecturi ſint homines, quanti demum referat, Divinæ bonitati ſe credere, debitumque illi ſervitium rebus omnibus præhabere. Quod ſi aliter Deo, noſtra ob delicta viſum fuerit, ego ſatius duxero, mea omnia pro ejus cauſa profundere, quam ab hac ſi forte minus fortunata, pia certe conſtantia, vel minimum cujuſquam humani conſilii reſpectu aliquando deflectere.* Hoc autem Regis Catholici propoſitum Deo cordi fuiſſe vel ex eo viſum eſt; quod, quo die illa ſcribebantur à Rege, erat autem decimus ſextus ante Kalendas Septembres, eodem die, in Beverano colloquio, acceptis conditionibus dedidere urbem Antverpienſium legati. quum tamen hi à principio agere cum regiis Præſidibus aggreſſi ſatis oſtendiſſent, implicitum, tardumque reconciliationis negotium fore. Nam tribus illi capitibus, inter alia, immobiles inſiſtebant: Vt Religio, qualis tunc erat, libere exerceretur: ut ſemiruta non repararetur arx: ut nullum urbi præſidium, cujuſcumque nationis eſſet, imponeretur. Quin, ubi negatam Præſidibus facultatem audivere de Religione diſceptandi, Parmenſem adeunt non ultra progreſſuri, niſi ea libertate impetrata. Et Aldegundius quidem, inter alias cum Alexandro congreſſiones, ſemel ſeorſim à collegis, ſuper eo capite quatuor continenter horas immoratus, affirmare auſus eſt, Ea libertatis conditione Zelandiam, Hol-

*17 Aug.*

Agunt legati cum Præſidibus.

Tribus in rebus diſſentiunt.

Magna Aldegundius promittit ſi libertas Religionis concedatur.



2009 Ministerio de Cultura

1585. Hollandiamque, atque adeo fœderatum omne Belgium ad Regis obſequium attrahi poſſe, idque in ſe recipere: ſperareque, pro ea qua eſſet apud provincias authoritate, magnum ſe utriſque partibus beneficium brevi collaturum. Sed præciſa protinus ab Alexandro omni ſpe hujuſmodi arbitrariæ, ac promiſcuæ religionis, ex qua civitates, ut ajebat, ac provinciæ in ſectas ſtudiaque diſtractæ, neque inter ſe, neque cum Deo, aut cum Principibus Dei adminiſtris ſervare pacem queant; illum comiter admonuit, Reputarent apud ſe declinantium in dies rerum ſuarum ſtatum, inſperabile à Gallorum turbis auxilium, callidam Angliæ cunctationem, invictam, nec ſumptu exhauriendam, nec bello fatigandam Regis Catholici potentiam: addens oblique aliqua, quæ ad privatum ejus commodum pertinerent, quæque ſpem gratiæ ab Regis clementia præmonſtrarent. Hæc autem adeo facunde, ſpirituque tanto, ac verbis, ut ipſe ad Regem ſcripſit, ſibi à Deo plane immiſſis, ante Aldegundii oculos repræſentavit, ut demiratus ille inſolitam dicendi vim, egreſſus inde confeſſus ſit, Multis ſe cum viris eloquentibus ſæpe congreſſum, nullum Parmenſi Principe efficaciorem, affabilioremque comperiſſe: uſurparique poſſe à ſe illud Aſdrubalis de Scipione judicium, Mirabiliorem ſibi coram viſum eſſe Farneſium; quam auditum rebus bello geſtis. Et profecto is ſive alloquio Parmenſis, comitateque captus, ſive ſuſtinendæ obſidionis ſpe dejectus, mutati argumentum animi paulatim oſtendit, dum deditionis exinde capita pronior agitavit. Quin etiam edito poſtea libello, quum res ab Alexandro patratas, clementiam ejus in victos, in ſervanda fide ſanctimoniam, ceteraſque Imperatorias virtutes, liberali præconio celebraſſet; adjecit inter alia, *Sumi adverſus Philippum Regem arma à ſubditu populis, integra conſcientia, nequaquam poſſe.* Quæ ſane confeſſio non temere inter loquendum prompta, ſed

contra Alexander cum eo ſermonem habet,

10 *Aug.* eoque ſermone is mirifice capitur:

*T. Liv. l.* 28.

& pronior ad deditionem conſiciendam redditur. Immo edito poſt libro laudat virtutes Alexandri, & Regis cauſam.

2009 Ministerio de Cultura

ſed litteris ad memoriam conteſtata, ut erat hominis authoritate inter ſuos, & Calviniana ſapientia longe clariſſimi, Fœderatorum cauſæ momenti plurimum abrogavit, ipſe ſuis offenſus inviſuſque, regendam ad Rempublicam poſtea non acceſſit. Tunc vero legatis, Regiiſque, quos dicebam, Præſidibus, ſæpe congreſſis, denique poſt aliquam diſceptationem, præſente Alexandro, *Primum de Religione conditio firmata eſt: Vna, eaque vetus, & catholica Antverpienſibus præſcripta. Iuſſi itidem templa, quæ diruerant, opportune reponere: ſimul & ejectas religioſorum ordinum familias in urbem, inque ſua loca, & bona recipere.* Quam de ſacris ordinibus conditionem quum legati in hujuſmodi verba concipi curaſſent, *ut ea in urbem religioſa familiæ revocarentur, quæ Carolo V Imperatore domicilium Antverpiæ habuiſſent*; Alexander, intellecto, per eam nempe fraudem excludi Patres Societatis Ieſu, quorum ipſe militiam adverſus hæreticos paratam maxime adhibebat; conditionem protinus rejecit, comprehendique omnes æque voluit. Indulgentior aliquando fuit in arce non reſtituenda: & in præſidio ex Hiſpanis, Italiſque, à quibus ſibi cives cautum volebant, in urbe haud collocando. In hunc tamen modum conditio lata eſt, *Vt Parmenſis Princeps præſidium ex amicis nationibus in urbem ſecum adduceret: &, ſi quidem Hollandi, Zelandique Regi ſuo reconciliarentur, urbs ab arce, atque a præſidio libera in poſterum foret: ſin minus, Antverpiæ ſecuritati contra finitimos Zelandos, alioſque conſuleretur.* In reliquis conditionibus liberalis per omnia Parmenſis, præterita etiam læſæ Majeſtatis crimina Antverpienſibus, Regis nomine, condonavit: priſca urbi privilegia reſtituit: quadriennii moram permiſit hæreticis ad res ſuas componendas. &, quamvis ob graviſſimas in obſidione impenſas, magnam earum partem petere, mulctæ loco, non abſurde poſſet, non niſi quater centena florenum millia, nec ſemel omnia, ad ſtipendia militum

1585.

inviſus propterea Fœderatis:

Conditiones impoſitæ urbi in deditione.

Dolus in iis detectus.



2009 Ministerio de Cultura

1585. *centum & ſexaginta aureorum millia*

imperavit. Captivos, qui apud regios, quam apud hoſtes, plures erant, liberos utrinque dimitti placuit, ſi non ante pro redemptione pretium ſpopondiſſent: Tilinio excepto, cujus tamen cauſam Regi ſepoſitam, eidem ſe commendaturum pollicitus eſt: effecturumque, ut ſicut Lanuam paucis ante diebus cum Comite Egmontio commutatum, in Galliam remiſerat, ſic patrem quamprimum Tilinius ſequeretur.

Recitantur in urbe conditiones.

Hæc, atque alia deditionis capita (fuere illa ſeptem & viginti) dum à legatis Antverpiam reverſis coram Magiſtratu populoque, magna omnium aviditate, recitantur; ingens repente tormentorum fragor, qui è Scaldico ponte, viciniſque aggeribus erumpebat, audiri cœptus eſt: creſcebatque, quum egreſſi urbe complures, atque è tumulis, ac turribus ſpeculati, referunt miſceri Farneſianum ad pontem, perque ripas fluminis aggereſque, atrocem profecto pugnam. haud dubie adveniſſe Gallorum, Anglorumve ſubſidium: ab his urgeri inopinata aggreſſione Hiſpanos, atque ut imparatos non diu adverſum recentem, firmatumque militem duraturos. Igitur credita re, popularium multi, ut ferme SPES, & cupido credulos homines facit, novis jam conſiliis arma capeſſunt, hortantibuſque, qui deditionem abnuebant, legatos circumſiſtunt, ſpatiumque ad deliberandum ſuper conditionibus amplius expoſcunt. donec ab nunciis, aliis ſuper alios, certiores fiunt, nullas Gallorum copias, claſſem Anglorum nullam apparuiſſe: ſed feſtum illud ludicrumque militum certamen eſſe. Fuitque ex iis ſalſior, qui re propius explorata, affirmavit, compertum ſibi, non adventaſſe quidem ſubſidiarias ex Anglia naves, ſed Argonautarum claſſem è Colchis auream Parmenſi pecudem attuliſſe. At illi in eum modum illuſi, atque hortatoribus irati, ad audiendas iterum deditionis leges, eadem, qua modo abierant, levitate, rediere. Eorum tamen non paucos ad inſpectandam ejuſmodi militarem pompam clam

Sparſoque rumore adveniſſe Anglorum auxilium, & Regios aggreſſum eſſe,

dubitant Antverpienſes de conditionibus admittendis.

*Toſon d'oro* Illuſi redeunt ad eas audiendas. Illuſionis occaſio.

2009 Ministerio de Cultura

clam traxit aviditas. Agebatur illa in Farneſiano exercitu gratulatio ob aurei Velleris ſolennia: cujus torquem ab Rege antea miſſum diſtulerat Alexander in hoc tempus accipere, quo Antverpianæ victoriæ jam ſecurus, eo honeſtamento inſignior urbem intraret. Et milites pro ſtudio, amoreque in Imperatorem ſuum, in majus omnia cumulabant. Namque à Beveranis caſtris, ubi Prætorium erat Principis, ad Calloum uſque, atque hinc ad Scaldim, & pontem, cohortes per ſtationes diſpoſitæ protendebantur. pontem belli primores inſederant: Scaldis ripæ, caſtella, aggeres, naves, armatis omnia legionibus collucebant. arx Divi Philippi in pontis capite ad Brabantiæ oram, augendæ celebritati delecta erat. Ad hanc Alexander è Bevera in equo movens, Nobilitatis flore comitatus, exceptuſque per viam novis identidem nunc equeſtris, nunc pedeſtris pugnæ imitamentis; ubi pontem attigit læto tubarum tibiarumque cantu reſultantem, ingenti tormentorum fragore è caſtris, è propugnaculis, è navigiis infinite reboantium, ſalutatus eſt. Emenſus pontem, ac ſacellum Philippææ arcis ingreſſus, poſt ſolenne Sacrum ab Archiepiſcopo Cameracenſi, Ludovico Barlamontio peractum, aurei Velleris collare induit è manibus acceptum Mansfeldii Comitis, qui in eo munere perſonam referre ſe dixit Octavii Parmæ Placentiæque Ducis, cum quo ante annos undequadraginta in eum ordinem à Carolo V relatus fuerat. Inde egreſſus, renovata ubique per ripas, aggereſque reſonantium lætitia machinarum, inter fauſtas militum voces, proſpera quæque Imperatori ſuo comprecantium, Beverana in caſtra revectus eſt. Conſtititque inter omnes, à nullo unquam Principum virorum ſumptum id muneris fuiſſe magnificentiore pompa: quippe in medio veteranarum, ac toties victricium legionum: ſuper admirandam Scaldici pontis molem: poſt memorabilem omnium, quæ aliquando fuere obſidio-

1585.

celebritas aurei Velleris ab Alex. ſuſcepti.

Ejus pompæ narratio.

*Altapennii frater*

Petr. Ern. Mansfel.

39

1585. ſidionem, in poteſtatem redacta Belgicarum urbium potentiſſima.

17 Aug. Legatos deditionem offerentes excipit Alex.

Nondum Alexander in caſtra pervenerat, quum obvios Antverpiæ legatos habuit, deditionem civitatis, acceptis jam conditionibus, offerentes. Quos comiter amplexus apud ſe retinuit, præmiſſis in urbem Præſidibus, Richardotto, & Vandemburgio, cum regio feciali: quibus additi ſunt Centuriones Petrus à Caſtro, armare gladio ſolitus Alexandrum, Didacus Eſcovarius Mondragoniæ legionis Inſtructor, & Propertius Baroccius machinationibus præfectus. ut illi firmata jam deditionis capita conſtabilirent, & admiſſam deditionem promulgarent: hi extra intraque luſtrarent urbem, venturoque Principi ſecuritatem affererent. Et Antverpiæ audito reconciliationis exitu, regiis præcurſoribus magna populi gratulatione acceptis, illico per urbem diſcurſum eſt. Inſignia, imagineſque Alenconii Ducis ad terram dejecta, hiſpani Regis ubique repoſita: in Parmenſis adventum quæſitiſſima quæque apparari cœpta: omnia ex diuturno mærore metuque in hilaritatem, ac ludorum curas repente converſa. Decem adhuc dies ſuperſedit urbem ingredi Alexander. Quo tempore verbis exequi non eſt, quam multi mortales ex omni Belgio, finitimiſque locis illuc confluerent. alii ut triumpho victoris inituri mox urbem, intereſſent: complures ut munimenta caſtrorum, & auditam Farneſiani pontis molitionem contemplarentur: nonnulli ut operum formas, quæ brevi deponenda rumor increbuerat, certa dimenſione delinearent. Sed nulli hæc avidius circumſpectabant; quam legati Antverpienſes, quique ex urbe, laxatis jam non minus animis quam portis erumpebant. nunc impoſita aggeribus caſtella ſuſpiciebant, nunc alveum Parmam, portumque Perlam admirabantur: ad ſtructuram autem pontis, attoniti hærebant, operiſque miraculum & oderant, & commendabant. at in Covenſtenio aggere, recenti adhuc cruo-

*miſſis in urbem qui rem conſtabiliant, Sergent major.*

*In magna populi lætitia, ſigna Alenconii dejecta, Regis repoſita, & expectatus Alexandri adventus.*

*Concurſus externorum ad ejus triumphum, & ad pontem inſpiciendum, maxime Antverpienſium urbe prodeuntium ad opera Alex. contemplanda:*

2009 Ministerio de Cultura

cruore, ſparſiſque artubus, ac truncorum corporum reliquiis horrido, noviſſimam ſuorum cladem agnoſcentes tacite ingemiſcebant: juvabatque ſubjicere oculis, quod animi averſabantur. 1585.

At vero Alexander Antverpiam ingreſſurus, ante alia amovit à portu urbi oppoſito in Flandriæ capite, atque à Tiliano propugnaculo, mox & ab ipſa Antverpia, milites præſidiarios, omneſque inermes Zelandiam verſus emiſit. Tum catholico exercitui apud Stabruchum convenire juſſo Vaſtium impoſuit, pro Mansfeldio, qui Lucemburgum, ad præfecturam ſuam, curationis cauſa ſe receperat. Ex univerſis autem copiis bis mille pedites ſelegit, in Centurias Germanorum octo, in Wallonum duodecim diſtributos, haſtis armatos, aut ſclopis majoribus minoribuſve: ac turmas equitum tres, loricatorum unam, lanceariorum duas: hoſque omnes ſubſiſtere ad Berchemium Brabantiæ pagum voluit. ſimul Georgio Baſtæ imperavit, ut cum trecentis equitibus è Burgerhouto, tractum illum, qua ſibi tranſeundum erat, excurreret. Poſtero die è Beveranis caſtris cum aula profectus, trajectoque Scaldi, peditum partem èBerchemio in urbem præmittit, ductore Licquio, qui eorum aliquos Georgianæ portæ, quam & Cæſaream vocant, imponeret: alios præcipua per urbis loca diſtribueret, ac veluti totidem ſtationibus mutua ſibi ope manum porrigentibus Antverpiam complecterentur. Adeo non victam modo urbem, ſed victoriam ipſam in poteſtate habere voluit Alexander. Rebus ita compoſitis, refertis infinita hominum multitudine intra extraque urbem, viis tectiſque, proceſſit reliquus Alexandri comitatus, peditibus, equitibuſque non tam ornatu veſtium armorumque, quam, (ut erant veterani omnes, ſelectique) ipſo martiali aſpectu, ac militari ferocia plane viſendis. Sed viſum ad ſe trahebat omnium Alexander, captarum urbium provinciarumque clarus titu-

TRIUMPHALIS ingreſſus ejus

*Petr. Ern. Mansf.*

Coraxe

Præmiſſi, qui vias ad urbem, 27 *Aug.*

quique urbis portas ac fora cuſtodirent.

militum aſpectus.

2009 Ministerio de Cultura

1585.

*Ipſe ſuper omnes ſpectabilis,*

titulis, quos pro imaginibus, ſimulacriſque ſolitis præferri priſcis triumphatoribus, fama ei circumdabat, & ſpectantium cogitationibus ſuggerebat: auditarumque magnitudo rerum quanto illum homine majorem prius admoverat animis, tanto tunc avidius quærendum oculis, fruendumque inſatiabiliter exponebat. Circa ipſum vehebantur primores quique, Dux Areſchotus, Caetanus Sermonetæ Dux, Princeps Chimacius, Comes Egmontius, Marchiones Renthiacus, ac Varambonius, Comites Arembergius, Mansfeldius, Altapennius, aliique, potiſſimum Belgæ. nam ex Hiſpanis, Italiſque, quo gratius foret Antverpianis, tunc quidem raros admittere viſum eſt. Cum hoc comitatu, & poſtremis prætorianis turmis, ductoribus Leone Lazaro Haller, & Nicellio, Cæſioque Comitibus, Georgianæ portæ ſucceſſit Alexander: ibique præſto ei Virgo fuit, gentis more, Antverpiam habitu ſymboliſque referens. quæ triumphali è curru cum nobilium puellarum choro deſcendens, Parmenſem Principem venerabunda ſalutavit: traditaque illi aurea clave, Qualem ipſa precata olim fuerat ingreſſum Carolo V Imperatori, cui porta illa primum patuit, talem ejus nepoti per eadem victoriarum veſtigia gradienti magnifice vovit. Alexander accepto comiter dono, atque ad aurei velleris monile ante pectus addito, habuit ſane tota urbe complura, quæ ſubitaria miraretur argumenta publicæ gratulationis. Nam & Merano in ponte roſtratam columnam vidit miræ altitudinis tunc erectam, ſuperpoſitis Alexandri Macedonis, & Romani Alexandri ſignis: & alibi alias pegmatum ſpecies, & arcuum moles, & ignium hilaria: in quas ſpectaculorum pompas illi iidem toties noxii machinatores ingenium manuſque nunc verterant: atque ipſa machinarum fragmenta paulo ante in uſum belli deſtinata, nunc in triumphi ſolennia concinnaverant, victorem mutato in obſequium artificio placaturi. His

*Carol. Mansf.*

*ante urbis portam à Virgine excipitur;*

*& per urbem variis lætitiæ argumentis conſalutatur.*

Ale-

2009 Ministerio de Cultura

Alexander, aliiſque operum apparatibus, grato, brevique aſpectu æſtimatis, in principem Dei Genitricis Baſilicam, cum omni comitatu, feſtinavit. Ibique cum ſacro Gratiarum carmine ad muſicos modos dicto miſcuit ille ſuas privatim preces grateſque, quas, ſecundum Deum, Magnæ Dei Matri perſolvere ſe palam teſtatus eſt, QVOD EIVS INSTINCTV SVSCEPTA, EIVS DVCTV ABSOLVTA FELICITER EXPEDITIONE, DOMINAM SVAM IN SEDEM, EX QVA SACRILEGE DEIECTA PRIDEM FVERAT, PIIS AC FORTIBVS ARMIS CATHOLICI REGIS, ALIQVANDO RESTITVTAM VIDERET, ATQVE ADORARET. Inde in ædes ſemirutæ, deſertæque arcis recta contendit: incedenſque per agmen ante arcem ſubito compoſitum ex militibus, qui præceſſerant, quique ex urbe illuc juſſi convenerant, paulum in limite arcis ſubſtitit: accitoſque ad ſe propius Tribunos, ac Centuriones, antequam per urbem diſpararet, paucis in hunc modum allocutus eſt. *Dei benignitate, ac virtute veſtra, Commilitones, Antverpiam tenemus. ut autem ſecuri teneamus, ego vos ex omni exercitu ſelegi, quorum militari diſciplinæ, in primiſque modeſtiæ, atque inoffenſæ cum civibus converſationi tutelam urbis commendarem, tanto quidem impenſius, quanto fixum magis firmumque huic Antverpienſi populo fuerat, in urbem præſidiarios non admittere: quod ab iis videlicet pertimeſcerent ſi non publicam direptionem, ac prædas, quamquam, & hoc illis perſuaſum erat; perpetuas certe rixas offenſioneſque, quas fortunarum ſuarum objectu quotidie redimerent, quotidie alerent. Eam ut evellerem ex illorum animis perſuaſionem, fidem ipſe meam obligavi. ne futurum me promiſſi, ac ſpei vanum credidi, hoc delectu militum, habito, quibus præeſſe viros decoris ſui memores, & de mea fide ſollicitos non ignorem. Proinde veſtrum erit, curam omnem intendere continendi in ſua cujuſque ſede, officioque præſidiariis: eo-*

*rumque*

1585. In templum deſcendit

& grates Virgini perſolvit.

Tum arcem ingreſſurus milites ſic alloquitur.

2009 Ministerio de Cultura

1585. *rumque in cives injuriis, ſi qua forte contigerint, haud impune tranſmittendis, ſed protinus vindicandis: ut prius audiant militum animadverſionem cives, quam civium querimonias militum præfecti. Sic ſancietur in civitate concordia, & longum obſequium. Mementote, degere vos in aditu Zelandiæ, Hollandiæque, quarum arces aſpiciantur ex Antverpiæ mœnibus, & voces propemodum exaudiantur. Reſpicient illuc Antverpienſes, ſi ſe ſuperbius haberi ſentiant domi ſuæ ab externo milite:* QUI *quum ſemper civitatibus eſſe gravis ſolet, tum recens victor, tanquam fortunam ſuam è proximo reſpectantibus, graviſſimus eſt. Itaque & intolerantius ferent injurias à victoribus: & quaſi depoſita nondum ira bellum adhuc ſecum geratur, reſument & ipſi non ægre hoſtiles animos. Nimirum* FACILE *ignem concipiunt, quæ paulo ante extinctæ ſunt faces. Ego, quod ad me attinet, ne glorioſos Catholici exercitus labores, cujuſquam licentia fruſtretur, præſente cura invigilabo.*

Poſtea in ſtationes per urbem diſtribuit.

Ita præmonitos in deſtinata jam urbis loca ſeparavit: juſſitque per aliquot dies arma è manibus, velut in acie, nunquam deponere; donec habitis comitiis novos Magiſtratus, remotis hæreticis, urbi daret.

Pompa hiſpanorum, italorumq; , ſuper pontem exhibita honori Imperatoris ſui:

Hæc dum Antverpiæ, triduum continuata gratulatione, agitabantur, Hiſpani, Italique, quando urbe non admittebantur, ſaltem ne communis gaudii, cujus ipſi in primis authores fuerant, exortes forent, apud Scaldim, lætum Imperatori ſuo triumphum, ſubitario apparatu, meditati ſunt. Noverant, pontem tres intra dies diſſolvendum. placuit per ſtantem adhuc machinam, pompam ducere: & in pontis capite, Marianam arcem pro arce Capitolina interim habere. Ergo alacritate mirabili, cæſis quotquot circa erant fruticibus, arboribuſque, feſtas in ponte moles atque arcus attollunt: pontis latera, & loricas ramis conveſtiunt: ſolum foliis integunt: poſtremo ſymbola, & carmina in Alexandri laudem, qualia inter armatos eſſe poterant, ramis arborum paſſim appendunt. tum ipſi frondibus redimiti, com-

2009 Ministerio de Cultura

compoſito gradu ponte incedentes, renovata ad ſingulos arcus ſcloporum ſtrepentium lætitiâ, in Marianam arcem inferuntur. Crederes mutuatos exemplum à Macedonis Alexandri militibus, qui poſt Nyſæ victoriam, in colle captæ urbis proximo, neſcio quo inſtinctu in hilaritatem ſoluti, decerptis è nemore frondibus hederarum, vitiumque coronati, admirante primum Alexandro novam illam ſuorum pompam, mox & probante, lætis ſummo in colle diſcurſibus Orgia celebrarunt præſidi nemoris Deo. Quin etiam Dux ipſe tripudiantibus immiſtus, apparatis large epulis bacchabundum agmen ad extremum excepit. Et iſta quoque epularis appendix in hac, quam dicebam, Hiſpanorum, Italorumque gratulatione non defuit. Namque dum feſto tibiarum, vocumque concentu, magnæ Dei exercituum Matri in ejus arce gratias perſolvunt, audiunt improviſo adventare ab altera pontis parte cum globo Nobilium Alexandrum. Is enim comperto, quid ſibi honoris ultro haberetur à milite, delectatus præter modum ingenioſa illa ſuorum benevolentia; non diſtulit homo militaris, & commodare tunc illis præſentiam ſuam, & ſequenti die exhibita cæna gaudium cumulare. Et vero jucunda oculis ſpecies erat, intueri cænantem ſuper Scaldim exercitum, menſis, quantum à Brabantia in Flandriam patebat pons, laute diſpoſitis: intueri inferentes epulas Areſchoti Ducem, Marchiones Renthiacum, Vaſtium, Varambonium: pocula miniſtrantes Comitem Mansfeldium, Chimaci Principem, Manriquum, Caetanum, Levam, magnates omnes, ac primarios belli duces. Quum interim fauſtis cuncta vocibus militum perſonarent, Alexandro Imperatori vitam, & victorias, acclamantium. Sic pontis machina, altero poſt triumphale epulum die, ut erat virentibus arcubus, & coronamentis, ſymboliſque perornata, inter plaudentium, ac tripudiantium voces, depoſita eſt. Decuitque, victricem hoſtium molem

*Q. Curt. l. 8.*

haud abſimilis pompæ militum Alex. Macedonis.

*Alex. Macedo*

Farneſius ex Antverpia illuc ſe transfert:

& cænam in ſequentem diem illis deſignat.

Cæna ſuper pontem.

*Carol. Mansf.*

Pontis depoſitio.

2009 Ministerio de Cultura

1585. molem non niſi triumphantem claudere ſupremum diem. Lignorum, ac ferri ſtrues pleraque Baroccio, ac Plato, machinæ architectis, ex Alexandri dono tributa eſt. At vero in Hiſpania, neque enim intra Belgium tenuit ſe rei geſtæ gaudium, magna civitatum gratulatione exceptus eſt victoriæ nuncius. Rex certe, uti ſcribit Granvellanus, tantis lætitiis inceſſit, ut veteres aulici, quique lateri ejus à principio aderant, affirmarent, Nunquam profecto Regem ſive ex Sancti Quintini, ſive ex navali ad Echinadas, ſive ex Tertiarum victoriis, æque gaudio perfuſum, ut in præſentia ad captæ Antverpiæ litteras geſtientem viderunt. Et mihi narratum eſt à viro aulæ intimo, Regem, qua nocte Alexandri litteras accepit, non tenuiſſe ſe lecto, ſed clam Iſabellæ filiæ unice dilectæ adiiſſe cubiculum, pulſatiſque foribus, duo hæc protuliſſe verba, *Antverpia noſtra eſt*, ac receſſiſſe. Et vero ex iis, quas ego inſpexi, litteris manu Regis, quæſitiſſimis præter morem verbis, ad conteſtandas Alexandro gratias exaratis, ſingularem fuiſſe regiæ lætitiæ ſenſum liquido apparet. Nempe invaluerat opinio, exemplum fatumque Antverpiæ ſecuturas demum eſſe Zelandiam, Hollandiamque: atque adeo Belgium omne ad Principis obſequium ſui rediturum. Sane quum Carolum Colomam, clarum militia virum, profectionem in Belgium adornantem litteris inſtrueret Idiaqueſius rerum Belgicarum in Hiſpania moderator, dixiſſe ei fertur; *Iret, tanquam brevi rediturus: quippe à Parmenſi Principe bellum Belgicum cito profligatum iri.*

*[Margin notes: ejus materia Plato ac Baroccio conceſſa. — 20 Septemb. Regis ob captam Antverpiam lætitia, — Iſole terziere — filiæ ſignificata, — 8 Septemb. — & multorum opinio, Belgium ad Regis obedientiam rediturum.]*

At ipſe interea componendis Antverpiæ rebus animum intendebat. creatoque novo magiſtratu, Campinium, & werpium, illum urbi, hunc urbano præſidio præfecit. ſimul Mechlinienſem Archiepiſcopum ad ſacra procuranda: & Societatis Ieſu Patres ad inſtituendam litteris, ac religione juventutem, clauſis hæreticorum gymnaſiis, evocavit. Tum rebus aliis ad civitatis regimen ordinatis; ad remunerandos mili-

*[Margin notes: Ordinat Alexander regimen civitatis civile, — & ſacrum,]*

© 2009 Ministerio de Cultura

militum labores operam convertit. aditoque Stabrucho, ac luſtrato ibi exercitu, ſtipendia, quæ multis multa debebantur, in milites diſtribuit. At ordinum ductores, inſtructoreſque, & ſi qui ex gregariis egregii quid fecerant, mercede ſcilicet ampliore dignos reputans, compoſitis in Hiſpaniam litteris, inſertoque ſingulorum indice, regiæ liberalitati cohoneſtandos admovit. Horum nomina, quorum Alexander fortia ad Regem facta & palmas expoſuit: & annos militiæ recenſuit: & vulnera ipſa numeravit; ſi hoc loco hiſtoriæ attexerem, promptum mihi utique foret, militari nationi rem gratiſſimam facere. Et profecto, niſi operis infiniti hoc eſſet, merebantur egregiæ, ac præliares animæ, virtutem ſuam, & Alexandri de ſe judicium ad poſteros propagari. Illud compendio abſolvam, neminem unum è primariis militum ductoribus fuiſſe, quem Rex aut inter aurei Velleris equites, aliumve in ordinem hiſpanorum equitum non adſcripſerit: aut honeſtiore militiæ gradu non extulerit: aut alicui per Italiam arci non præfecerit: aut opulentiore cenſu non donaverit. eo progreſſus ad Alexandri poſtulata, ut quum in donativi catalogo in Belgium miſſo, obſervaſſet Alexander, infra merita videri, quæ Tribuno Camillo à Monte, & Nicolao Baſtæ equitum ductori dabantur: ideoque Regi repræſentaſſet diuturnam, ac fidelem utriuſque militiam: quæque pro altero avunculus Chiapinus Vitellius, pro altero Demetrius parens quadraginta annos navata Auſtriacis in bellis opera, meruiſſent; Rex novis, atque ex Alexandri voto liberalioribus litteris, utrique pro dignitate conſuluerit. Tanti eſt, exercitus Ducem eſſe, qui militum labores æſtimet, ſocietate laborum: & ipſe æſtimetur à Principe, opinione virtutis.

Hæc autem militum luſtratio apud Stabruchum non ſine aliquo fuit ſeditionis tentamento, in altera Scaldis ripa. Occaſio ab æris militaris partitione capta eſt, adeo PECVNIA ſive

1585. ſtipendia diſtribuit,

& militum præcipuis mercedem ab Rege nominatim poſtulat,

& impetrat,

nec patitur aliquos infra merita ab Rege donari,

TVMVLTVANTVR Wallones,

2009 Ministerio de Cultura

1585. ſive deſit, ſive ſuppetat, ſeditioſa res eſt. Qui
28 Octob. ad Calloum in Flandriæ ore propugnaculis a-
gitabant milites, plerique Wallones, audito
*ob ſtipendia non æque nec tota perſoluta,* ex pecunia in caſtra recens allata, ſtipendia diſ-
tribui apud Stabruchum in Hiſpanos, Italoſ-
que; ſibi perſuaſerant mercedem pro omni, quo
militaſſent tempore, perſolutum iri. At ubi
bina ære ſtipendia, bina pannis viritim pro-
poni vident, mærere primum, mox vile pre-
*& uno ex ipſis incentore,* tium coaſpernari. Nec defuit, qui turbidos in-
cenderet. *Et quando paria laboribus præmia efflagi-*
*tarent, ſi in opulentiſſima urbis victoria, pro denis*
*viceniſque ſtipendiis, bina taciti reciperent? An mi-*
*litibus ætate in caſtris attrita, corpore vulneribus inva-*
*lido, aliam ſupereſſe victoriam, in quam ſpes ſuas no-*
*viſſimas extendant? Si arcendo militem à præda ho-*
*ſtilis urbis, & populationem promeritæ, ſpecies mode-*
*ſtiæ quæritur; cur juſtitiæ debitum, & jus belli aliun-*
*de non ſuppleatur? At profecto cum Hiſpanis ſup-*
*pletum eſſe, qui ære abunde accepto, fructum victoriæ*
*ſoli ſentiant. Nempe jam invaluiſſe, ut pugnetur à*
*Belga, vincatur ab Hiſpano: & quocumque ſors belli*
*Irritantur magis,* *ceciderit, Belga ſemper pro victo ſit.* Irritata hujuſ-
modi vocibus ſeditio apud Calloum, per reli-
quas Scaldico in aggere ſtationes impetu per-
vaſit: non ultra tamen, quam ut regios Quæſto-
res, &, ſi qui ex Præfectis facinus averſabantur,
extruderent. Nam nec ſibi Ducem delegere,
*fideles tamen Duci, ac Regi,* communi per ſingulas centurias conſilio Præfe-
ctorum, audaciorumque, contenti: & immiſſos
à propinquo Hollandorum præſidio, qui ad
transfugium invitarent, offenſi, minaciter eje-
cere; profeſſi, Stare ſibi fidem erga Parmen-
ſem Principem, & Catholicum nomen: ſtatu-
ramque adverſus hoſtem, dum vita, & arma
ſuppeterent, bellicam virtutem ſatis jam con-
*ex quo placatior Alexander* certatoribus expertam. Movit ea reſponſio A-
lexandrum rei gnarum. Quumque audita pri-
mum ſeditione, fame illos domare decreviſſet:
eoque mandaſſet, ſigna aliquot peditum e-
quitumque Hiſpanorum, Italorumque, obſide-
re Waſienſem agrum, ne inde in Wallonum
ſtatio-

2009 Ministerio de Cultura

ſtationes alimenta perferrentur; diſſimulari tamen uno alterove die placuit. ac mollioribus remediis uſurus, Marchionem Renthiacum, veterem Wallonum Ducem, Calloum miſit: qui falſos eos argueret, nec plura Hiſpanis, quam aliis nationibus ſoluta ſtipendia perdoceret. quamquam ſi plura ſolverentur, reputare eos debere, pecuniam ab Hiſpania provenire: & externo militi deeſſe in alienis terris multa, quæ incolis & popularibus domi ſuæ præſto ſunt. Verum & Renthiacus à furentibus, variantibuſque ſine Duce militibus minus auditus eſt: & nunciatur Alexandro, ab Werpio Antverpiani præſidii Præfecto, Compertum ſibi, ſubmiſſos à Calloo Antverpiam, qui conſilia cum wallonibus præſidiariis occulte communicarent: jamque auditos aliquos, qui ſtipendia non accepturos ſe, niſi ſimul omnia, comminentur. pleroſque tamen à contagione intactos eſſe. Id vero ſollicitum in primis habuit Alexandrum, veritum, ſi quid Antverpiæ turbaretur à milite, ne fraudem Ducis ante compoſitam, quam ſemper ipſi ſuſpectaverant, nunc pro certo crederent Antverpienſes. Itaque quam celerrime germanica legione Comitis Arembergii è Burgerhouto Antverpiam translata, quaſi Calloum emittenda: atque ante urbis mœnia cohortibus aliquot Hiſpanorum apparere juſſis; ipſe cum turma Epirotarum Antverpiam intrat. imperatque, Vallones, qui ea nocte contubernium habere in arcis area deberent, alibi ſtationem agere. (timebatur enim, ne in eum locum convenientes è tota urbe milites ſigna miſcerent: arciſque, ac tormentorum opportunitate præſidentes, ſeditionem incœptarent.) tum Arembergianis, Wallonum loco ante arcem locatis, occaſionem conveniendi, atque adeo turbandi iis, qui conſcii erant, præſidiariis, erant autem haud multi, opportune præripuit. Ac mane nulla interpoſita mora, experturus eorum animos, decreta jam ſtipendia offerri voluit.

1585.

mittit, qui eos deceptos fuiſſe perſuadeat:

ſed non audiunt.

Alex. veritus ne illi cum Wallonibus Antverpiæ degentibus conſpirent,

variis artibus ſecuritati urbis conſuluit.



2009 Ministerio de Cultura

1585. quæ illi partim diſſimulantes, plerique ignari, omnes mire compoſiti accepere. Nec alius fuit eorum finis, qui in Flandriæ ora tumultuabantur. intercluſo enim ex Waſia cibatu, ac dirempto cum Antverpienſibus commercio, decimum poſt diem ad obſequium modeſtiamque rediere, orata prius venia, & tunc quidem impetrata: poſtea vero quatuor è primariis ſeditionis incentoribus, aliam ob cauſam, quæ non defuit quærenti, enecati ſunt. Ex Antverpiæ autem præſidiariis, quibuſcum de venia nihil actum erat, Centuriones duo, ac duo, qui à Calloenſibus miſſi per ſtationes ſeditionem proſeminaverant: hi quidem Antverpiæ ſuſpenſi, illi autem, quia totum crimen haud liqueret, exuti centuriæ præfectura, in Friſia, ære ſuo militare juſſi ſunt.

& tumultuantes ad obedientiam redire cogit.

nonnullis eorum aut vita,

aut gradu exutis.

Hæc autem Alexandri in tumultu præcavendo feſtinatio meruit ei ab Antverpiæ Magiſtratu magnam pariter benevolentiam, & pronius ad id, quod agitabatur, obſequium. Nam præſidiarii per Antverpienſium domos diſpertiti, jam graves hoſpitibus habebantur: cœperantque cives, inſolito ut oneri domos ſuas ſubtraherent, inſtaurationem arcis exoptare. ſed Magiſtratus, cui major publici cura, & nullum hoſpitii privatum incommodum, contra erat. Hunc tamen opportune aggreſſi Campinius urbis Gubernator, & Coſmus Comes Maſius intimus Alexandri aulicus, à ſecretis, ſermone per occaſionem injecto de civium votis, quæ ſi ſpernerentur, verendum eſſet, ne in turbas erumperent: ſimul operam ſuam apud Principem pro arcis reparatione civibus pollicentes, flectere non parum viſi ſunt animos Magiſtratus. Donec is quoque partim recenti beneficio Alexandri delinitus, partim horum, quos dicebam, congreſſibus, ac dexteritate permotus; Alexandrum adiit, atque inter gratias, quas egit ob ſervatam à tumultu civitatem, haud omiſit de reſtituenda arce mentionem facere. Quo illius arbitrio rem integram permittens. Quo qui-

ARCIS Antverp. reparatio.

optat illam populus,

non Magiſtratus: Magiſtratus

qui perſuaſus ab Alexandri miniſtris,

& ejuſdem beneficio adſtrictus Magiſtratus

rem ejus arbitrio permittit:

2009 Ministerio de Cultura

quidem quanto gratius Alexandro fuit, tanto diſſimulantius id ipſe præteriens inopiam ærarii non ad eam modo ædificationem, ſed etiam ad Scaldis aggeres ſciſſuraſque riparum, admonente jam hieme, reparandas, non falſo obtendebat. Poſtremo diviſis impenſis, civitate, proximiſque pagis ad ripas, aggereſque reficiendos opem pollicentibus: ac Parmenſe partem mulctatitiæ pecuniæ in arcis inſtaurationem ſeparante; arx quinto idus Novembris, octavo poſt ejus excidium anno, reſtitui cœpta eſt: accipiente frenum Antverpia, tantoque Bucephalo, Alexandri demum viribus, ac dexteritate ſubacto. Et quidem inter initia crevit opus celeritate mirabili. Nam & vetera fundamenta uſui fuere, & magna pars lapidum, dirutis vicinis domibus, quæ ex materia depoſitæ arcis extructæ fuerant, operi rurſus inſervit. In eam, quum primum habitari utcumque potuit, præſidiarios non Wallones, uti putabant, ſed Germanos Alexander induxit, ſpecie quidem quaſi Wallonibus offenſus ob recentem ſeditionem: re vera ut Hiſpanos aliquando inducturus, promptius Germanos quippe externos, quam Belgas, emitteret. Quo etiam ſpectavit, dum, ne aliquem Belgarum Procerum loco præficeret, ſe novæ arcis Gubernatorem nominavit, deſtinato jam tum apud ſe ad eam præfecturam Mondragonio. quem idcirco voluit abſolvendo operi præeſſe: mox eidem, abiens Antverpia, ſuas Gubernatoris vices demandavit: poſtremo eundem ſatis jam per intervalla, ac partite muneri admotum, atque adeo declinata ſurdo illo ac pæne inobſervabili progreſſu, magna offenſionis parte, arcis Gubernatorem palam dixit: in eamque tranſlatis alio Germanis, Hiſpanos introduxit, civitate nihil adverſum auſa, & in Alexandrum prona. Atque in hunc modum arx Antverpiæ deſignata primum à Margarita Auſtriaca Parmenſi Duce, mox à Duce Albano extructa, poſt ab Orangio Principe diruta,

1585.

arx reponitur 9 *Novemb.*

Germanorum præſidium in eam inducitur;

Gubernatoris nomen ſibi reſervat Alex.

poſtea ſenſim ſine ſenſu in Mondragonium transfert.

& hiſpanos demum introducit.

Arcis hujus deſignatio,



2009 Ministerio de Cultura

1585. ruta, demum ab Alexandro Margaritæ filio, ſe-
ptuaginta aureorum millium impenſa reſtituta
eſt. Sed antequam hæc abſolveretur, ( nam
menſes aliquot interceſſere, ) jam Alexander
Bruxellas, veterem Brabantinorum Principum
Belgicorumque Præfectorum ſedem, cum aula
conceſſerat, mutato ter domicilio: namque
Namurco egreſſus primum montes in Hanno-
niam, exinde Tornacum in Flandriam, poſtre-
mo Bruxellas in Brabantiam, aulam ſenatum-
que tranſtulit, nova ſemper ſede, novis ſibi vi-
ctoriis comparata.

*constructio, ruina, reſtitutio.*

*Alex. Bruxellas cum aula contendit.*

*PVGNA inter Meurſium & Taſſium: Nimega 10 Obt.*

*ſed ante Meurſius victus fuerat ad Neomagum:*

*Alphonſ. Vaſq. in comm. & Franc. Verdug. lib. 5 Com.*

*Schenchius deſertis regiis partibus ob has cauſas,*

*adjungit ſe Meurſio: Vtrecht*

Interim Alexander, audito Adolphum Meurſæ
Comitem, Geldriæ pro Ordinibus Præfectum,
recuperando Neomago obſidionem adornare,
Altapennium eo immiſit. Tentaverat id Meur-
ſius tribus ante menſibus: arcemque ab Alta-
pennio non procul à Gravia ad Neomagi præ-
ſidium excitatam tormentis quatere jam cœ-
perat. quum è Friſia illuc advolans Verdugus
provinciæ Gubernator, junctis cum Altapen-
nio copiis, inde Meurſium expulit, fugavitque
ac munitionem ad Rhenum extructam, in de-
ditionem accepit. Sed acrius multo geſta re
eſt ad Armerongam Geldriæ pagum. Martinus
Schenchius rurſum deſeruerat regis partes
cauſa iteratæ defectionis ferebatur, quod
Geldriæ præfectura poſthabitum ſe Altapen-
vidiſſet. quotque petenti poſthæc militum re-
gimen Anholtii Dynaſtæ, negatum eſſet ab A-
lexandro, qui non ſatis fidebat hominis incon-
ſtantiæ, temeritatique. Ex quo is damnata ſpe
honeſtioris loci in Regis militia, multa Catho-
licis interminatus repetiit Fœderatorum par-
tes: adhæſitque Meurſæ Comiti, eo fere tem-
pore, quo Comes, & Villerius Vltrajecti Præ-
fectus, paulum ſupra mille pedites, & equites
ſeptingentos, habito delectu, contraxerat
obviam ituri Ioanni Baptiſtæ Taſſio, è Zutph-
nia cum totidem fere militibus Vltrajecti-
agrum pervaſtanti. Et auxit ad pugnam a-
mum, Schenchii acceſſus. Iamque in conſp-

2009 Ministerio de Cultura

ſtam venerant equites utriuſque exercitus, 1585.
pedites ſequebantur: quum pari utrinque certandi cupidine, quatuor in turmas partitur Meurſius equitatum. ipſe ſiniſtra ala retenta, dexteram Villerio, medias turmas Schenchio reliquit: ſimulque omnes in Taſſianos movere.

*qui copias ſuas inſtruit ad pugnam.*

Taſſius, qui diſtributos ſimiliter ſuos, partim Comitis Bergenſis filiis, Hermanno, Friderico, & Oſwaldo: partim veteranis equitum ductoribus attribuerat, excepit primo irruentes hoſtes, contentus ſuſtinere utcumque impetum, quaſi cedenti propior, donec peditatus, cujus pars magna à proxima ſilva occultabatur, erumperet.

*& Taſſius ſuas: Guilielmus Com. Bergen.*

quo præter hoſtium opinionem auctus, reſtitutis, qui laxati pauliſper erant, ordinibus; tanta vi Meurſianas primum turmas impetiit, diſperſitque: mox in ſuccedentes ſtrenue quidem pedites, ſed equitum auxilio deſtitutos incubuit, ut ſeſquihoræ ſpatio victoriam non ſane contemnendam reportaverit, cæſis hoſtibus mille, ac quadringentis, pleriſque peditibus, abductis equis omnino trecentis, relatis ſex pedeſtribus ſignis, equeſtribus tribus.

*pugnatur,*

*Vincuntur Meurſiani. hora cum dimidia*

*Numerus occiſorum,*

E ducibus Villerius in manus Taſſii militum venit: ex quibus emptus à Verdugo, poſtea duodecim florenum millibus à ſuis redemptus eſt.

*præda. Verdug. l. 5 comm.*

Schenchium, & Meurſium in acie interemptos primum fama retulit. fuitque, qui Schenchii gladium, equumque à ſe viſum Arnhemii affirmaret. Dein tamen utrumque incolumem Vltrajecti à fuga receptum res aperuit.

*Vtrecht.*

Apud Taſſianos præter Centurionem Martinengum graviter vulneratum, minima interfectorum, ſauciorumque jactura fuit.

*Marius Martinengus*

Obſervatum eſt, Schenchium, & Bergenſes fratres, quorum ut ille ab Rege ad Ordines, ita hi ab Ordinibus ad Regem paulo ante tranſierant, ceteris ferocius, ac validius in acie concurriſſe: quaſi eo primum facinore oſtenſuros, quanti momenti partibus accreviſſet acceſſione ſui; an ut juſtiorem cauſam, quam ipſi ſecuti

*Schenchius & Bergenſes fratres ceteris pugnaciores,*

*ob has cauſas:*



2009 Ministerio de Cultura

1585. erant, vincendo probarent? Nec ideo ſibi Meurſius defuit, retentato Neomago, ac munitione ibidem valide objecta. Sed citis, ac victricibus Altapennii copiis nunc quoque ceſſit, damnata ad extremum expeditione toties improſpere ſuſcepta.

Bobadilliarum legionum maximum diſcrimen. At non ita Carolo Mansfeldio adverſus Holachium obvenit. Rem ipſe haud indiligenter exponam: namque Hiſpano inextricabiles inter anguſtias deprehenſo nunquam ſuperbius inſultavit hoſtis. Poſt captam Antverpiam, diſtributo in hiberna exercitu, Mansfeldius traditas ſibi Germanicas legiones quatuor, inter

Legiones aliæ alibi hibernant. Raveſtenium, & Buſcoducenſem agros explicavit: ipſe in Graviam intentus, apud Herpenam cum paucis wallonum cohortibus conſedit. Ante Buſcoducum Ioannes Aquila cum ſua Hiſpanorum legione locum cepit. Bommeliam

Bobadillæ in inſula Bommelia. inſulam, quam Moſa, & Vahalis efficiunt, cum tribus veteranis legionibus ejuſdem nationis intravit Franciſcus Bobadilla, clarus genere, factiſque Tribunus. Id vero viſum Holachio

Contra has Holachius ex Hollandia ſolvit, peropportunum, memorabili clade, catholici robur exercitus ulciſcendi. Comparataque claſſe centum circiter navium, quarum pleræque planis carinis ferebantur, Dordrechto per Moſam Bommeliam acceſſit. apertiſque, aliquot in locis, aggeribus, revoluto amne inſulam pene contexit: tanta quidem celeritate, vix

& ruptis obicibus inſulam inundat. ut ſpatium Bobadillæ fuerit trans Moſam in Empleum caſtrum, ac vicina loca deportandi copias, tormenta, cibatumque. Sed neque hic ab increſcente amne perfugium omnino fuit.

Confugiunt ad loca ſublimiora hiſpani. Quamvis enim ſublimiora inſediſſent Hiſpani loca, quia tamen ager à Bommelia inſula ad Buſcoducum aliquanto depreſſior jacebat, derivatas in ſe facile attraxit aquas: ac præter tumulos aliquot, in quos evaſerant milites, reliquus circa flumen campus in ſpeciem maris intumuit.

Hic quoque aquis obſidentur. Vbi autem Hiſpani (erant paulum infra quinque millia, in ſexaginta & unum vexilla diſtributi) circumſpexere ſe undi-

2009 Ministerio de Cultura

undique aquis ſeptos in tres velut inſulas diſtractos, & volitantibus circa hoſtium navibus obſeſſos; enimvero ad aſpectum enati repente maris, atque obtinentis late omnia hoſtilis claſſis, ſtupor omnium mentes, & membra torpor invaſit. Sed inſtabat acer animi Bobadilla: nec eos ſolum, qui Emplæ ſecum erant, ſupra tria Hiſpanorum millia: ſed etiam qui proximos aggeres, ac tumulos occupaverant, per nuncios ſcaphis occulte trajicientes animabat. Ergo ad defenſionem verſi domos, ac templa communiunt, loricas marginibus aggerum prætexunt: rates hoſtium, ſi quæ propius adnavigarent, tormentis abſterrent: nihil, quod timoris, aut periculi confeſſionem exprimeret, præ ſe ferunt. Quum interim hujuſmodi conatus munientium, ſimulationemque ferociæ irriderent hoſtes, certi concluſam aquis multitudinem, conſumptis brevi alimentis, in manus quieſcentium, ſedentiumque venturam. Miſſoque propterea ad Bobadillam, Hiſpanoſque tubicine, deditionem imperavit Holachius, ſuperbe admonens, ut quando inter caudinas plane furcas deprehenſos ſe viderent, exemplo Romanorum & ipſi demitterent animos: ne demitterent autem ſub jugum corpora, illis ſe gratiam non gravate facturum. Ceterum, dimicationis, aut honeſtæ mortis copiam ne expectarent, intra ea latibula fame, ac frigore, pecorum more, perituri. Quæ ſane denunciatio, etſi pari audacia contemptuque rejecta eſt, tanto tamen altius deſcendit in animos fortium virorum, quanto ſe magis non ab ope ſolum, ſed etiam à ſpe deſtitui quotidie videbant. Nam & cimbas cum litteris ad Parmenſem Principem ire auſas interceperat hoſtis: & Mansfeldius ex una parte, ex altera cum Buſcoducenſibus Aquila, tentato ad Hiſpanos acceſſu, repulſi bis fuerant. Et jam quintus erat dies, quum langueſcentibus præ ciborum inopia paſſim viribus: &, quod magis torquebat, frigore ſe intolerabiliter intendente,

1585.

Ab Holachio ad deditionem ſuperbe invitantur.

Rejiciunt invitantes,

ſed adjuvari à ſociis nequeunt.

frigore, ac fame torquentur.



2009 Ministerio de Cultura

1585. expoſitoſque ſub dio, ac male veſtitos eorum multos exanimante; non una inter obſeſſos audiebatur conſultantium, frementiumque ſententia. Alii eundum vel per aquas contendebant: ac modo ad hoſtem toties victum perveniretur, non deſperandam aut victoriam, aut, quod in re præſenti proximum eſſet, mortem non inultam. Alii, per eas aquarum voragines quo tranſmiſſuri eſſent modo? interrogabant. an non gurgitibus hauriendos, antequam venirent in hoſtium conſpectum? aut ſi venirent, nonne deſtinatis ictibus, velut aquaticas animantes, ludibrio figendos? Multi quid conſulerent ignari, ſolum illam exitus infelicitatem, totque annorum militiam, adempto armorum uſu, ignave finiendam lamentabantur. Et quoniam una adhuc ſpes in Parmenſis adventu reliqua erat, illum votis acceſſebant, illum vocibus inclamabant. *Adeſſet amantiſſimus Imperator: inſpiceret indignam Alexandri militibus ſortem: atque inde ſuos, illa fortitudine, cui ad eam diem inſuperabile nihil fuiſſet, extraheret. Certe perſuaſum ſibi eſſe, præſente Alexandro vinci ſe nuſquam poſſe.* Acceſſere ad reliqua mala effuſæ ubertim pluviæ, quarum auctu intumeſcentes aquæ jam jam ſupergreſſuræ aggerum ſumma, atque obruturæ omnia, minabantur. ut nihil propius quam deditionem expectarent hoſtes ab hominibus morti jam deditis. Reperioque, Holachium victoriæ ſecurum cum Bommelianis conſultaſſe de captivis hiſpanis apud eos deponendis: ſed Bommelianis tantam veteranorum militum multitudinem ſolis accipere metuentibus, illum miſiſſe Gorcomum, & Dordrechtum expeditos nuncios, qui de captivis per ea loca diſtribuendis agitarent. Neque inania moliebatur, niſi aliquid prorſus admirabile interceſſiſſet. Miles hiſpanus dum ante contubernium, quod Emplenſi templo adſitum erat, terram ad munimentum fodit; primos inter ictus, tabulam detegit: extracta, videt in ea coloribus expreſ-

Miſere conſultant.

& Alexandrum inclamant.

Interim ingruentibus pluviis pene obruuntur.

*Reidan. l. 5.* lætis Holachianis & de captivis diſtribuendis agitantibus.

*Goricom, Dordrecht, urbes Hollandiæ*

Miles hiſpanus inter fodiendum, *quartier*

2009 Ministerio de Cultura

1585.

effigiem B. V. reperit pictam in tabula
Accurrunt:

expreſſam, conceptæ Dei Genitricis effigiem. Accurritur à contubernalibus, velut ad effoſſum theſaurum. Advolat Tribunus ipſe Bobadilla. mirantur operis novitatem, & tanquam recens inductos colores omnes ſibi certo perſuadent, non ſine Dei numine, eo loci, eo temporis, namque inſtabat pervigilium Marianæ Conceptionis, cæleſtem imaginem inter extrema laborantibus apparuiſſe. Igitur ſupplicantium ritu illam in templum inferunt, atque inter legionum ſigna collocatam proni omnes adorant: precanturque exercituum Matrem, Vti volens milites ſuos ex iis elementorum, hoſtiumque inſidiis, ipſa, quæ una poſſet, eriperet: tenere jam ſe vicinæ liberationis pignus, imaginem ejus, tam non opinantibus quam egentibus clementer oblatam. pergeret, abſolveretque beneficium ſuum. ſpondere interim ſe, quos in libertatem aſſeruiſſet, ejus ſe nomini mancipatos in perpetuum fore. Nec fruſtra imploratum eſt auxilium, uti mox ſubjiciam: nec in immemores collatum eſſe ipſi commonſtrarunt. Nam paucis poſt acceptum beneficium diebus, præeunte Bobadilla, conflata horum ſocietas eſt, qui ſe Milites Virginis immaculate Conceptæ appellari voluere. Ac ſuſcepto per Belgium, tranſlatoque poſtea in Hiſpaniam exemplo, cultam fuiſſe Dei Matrem à præſidiariis militibus per hujuſmodi ſodalitates à prima Bommeliana derivatas ſcribit, qui tunc in Belgio militabat, Alphonſus Vaſquius. à quo in ſua legione inſtitutam in Hiſpania unam ex his, ob memoriam liberati apud Bommeliam hiſpani exercitus, ipſe commemorat. Et vero digna res fuit, quam non ſine aliqua gratæ in Virginem ſignificatione pietatis audirent poſteri. Nam quum maxime obſeſſos fames conſumeret, ſimul hiemis rigor extingueret, ſimul eluvionum incrementa ſubmergerent: quum in omnium deſperatione rerum, una Dei Matris ſpes miſeros non deſereret: ceterum ubique mors, atque hoſtis

Adorant:

vota pro liberatione concipiunt:

quæ poſtea ſolverunt, inſtituto ſodalitio militum B. V.

in Belgio, & in Hiſpania.

*legionis inſtructor*

Audiuntur vota.



2009 Ministerio de Cultura

1585.

occurreret; nocte, quæ ſacrum Virginei Con-
ceptus anteceſſit diem, ventus adeo vehemens,
ac præter modum frigidus invaluit, ut aquas,
quæ per campos alte ſtagnaverant, partim diſ-
pulerit, partim glacie acutiſſime adſtrinxerit.
Vnde Holachiani, aliique è vicinis Hollandiæ
locis exultantius advecti ad trahendum, ut
ajebant, rete, quo incluſos Hiſpanos fama vul-
gaverat; metu, ne gelu comprehenſis, imple-
xiſque navigiis, ipſi inter eos campos hære-
re velut obſeſſi cogerentur, ſollicitatis in Moſam
remis, periculo ſe ſe imminenti ſubtraxere:
magno utique dolore iraque Holachii ſine fine
lamentantis, ereptam ſibi è manibus victoriam,
nulla Hiſpanorum virtute, ſed ſolum Dei, ni-
mis eo quidem die ſe Hiſpanum profeſſi, pa-
trocinio. Quin & abſceſſus ipſe clade non ca-
ruit. Namque Hiſpani quum mane conglacia-
ta circa ſe omnia, atque abeuntem claſſem vi-
derunt, adorata Dei Matre, cujus præſentem
opem experiebantur, haud ſe munitionibus te-
nentes, alii ſuper Emplenſem aggerem armati,
ſi quæ per eaſdem aggerum ſciſſuras ſe in Mo-
ſam tarde referebant hoſtium naves, continuis
emiſſionibus fatigabant. alii ſtimulante, vi-
reſque ſuggerente, quam diu collegerant, ira,
ex aggeribus proſilientes, per inundatos dura-
toſque gelu campos, quoquomodo poſſent,
invadebant hoſtem: ac vivere nempe ſe, atque
ultioni pares oſtendebant. donec digreſſa jam
claſſe ſecuri liberique, tanto præſentius agno-
vere Dei Numen, quanto poſt diem ab hoſtium
diſceſſu alterum, cælo mollem in temperiem
verſo, gelu quaſi munere perfunctum ſuo re-
pente defluxit, evanuitque. Id, quod Manſ-
feldio, ac Buſcoducenſibus opportunitati fuit
accedendi, magnoque cimbarum numero Hiſ-
panos, cum Virginis tutelaris effigie, Buſco-
ducum deportandi. Qua quidem in urbe mirum
profecto, quanta cives commiſeratione ægrum
illud agmen exceperint: quamque ex animo
alios veſte, fomentis alios, omnes cibo recrea-
verint.

Campi aquis inundati noctu conglaciant.
Holachiani ne gelu comprehenſi hæreant,
in Moſam naves convertunt.
& Hiſpani in abeuntes collineant:
iiſque jam digreſſis, ſtatim gelu liqueſcente
ratibus Buſcoducum aſportantur: *Bolduc.*

2009 Ministerio de Cultura

1585.

verint. Quamquam non ita in omnes caritas evaluit, quin eorum aliquos in ipſa curatione vita deſeruerit: ac non pauci præmortuis gelu pedibus deſtituti ſint. At vero Alexander magno interea plauſu Bruxellis exceptus, triumphum læti, ut vocant, introitus celebrabat; quum triſti nuncio de legionum obſidione perculſus, intermiſſa lætitia, nec aliis, quam ſua equitum prætorianorum turma comitatus, Bommeliam curſum intendit. continuavitque die noctuque iter, conſilii certus, vel cum capitis diſcrimine humana pertentare omnia, quo caros commilitones, tantumque catholici exercitus robur ex hoſtium manibus in libertatem vindicaret. Sed in itinere certior factus à Baſſignii Domino, quem Herentaliæ obvium habuit, de hoſtium diſceſſu, deque Hiſpanis Buſcoduci jam exceptis; ingenti perfuſus gaudio, Didacum Excovarium pro ſe ad eos gratulatum miſit. Et Bruxellas reverſus, compoſitis ad Tribunum Bobadillam, ejuſque milites, & ad Buſcoducenſem civitatem litteris, utriſque gratias, nomine & Regis, & ſuo, egit: illis quidem, quod mori magis, quam dedi hoſtibus parati, decus fidemque, ut Hiſpanos decuit, ante vitam habuerint: huic autem, quod fortiſſimarum legionum neceſſitatibus fraterna plane caritate ultro ſubvenerint; devinctis illa beneficii opportunitate univerſis per Belgium regiis copiis, & copiarum Duce. Neque his contentus, miſſis bobus octoginta in pauperes Buſcoducenſium familias diſtrahendis: ac civitati Cratere aureo donato, benevolentiæ in illam ſuæ argumento; ſatis oſtendit, quam ſerio ſibi ſalus ſuorum militum cordi eſſet.

atque à civibus benigne reficiuntur: nonnullis eorum inter fomenta morientibus. Alex. ad eos liberandos advolans, audit in via jam liberos, ſcriptiſque litteris gratias agit militibus pro conſtantia: Buſcod. civitati. civibus pro benignitate: addito his donativo.

Nec minus ceſſabatur in Friſia: interque Gulielmum Naſſavium, & Franciſcum Verdugum, illum pro fœderatis provinciis, hunc pro Rege præfecturam Friſiæ ſibi vindicantes, varie certabatur. Slichenburgum inter alia, & Holdemarcam haud procul Stenovicho, in aditu

PVGNA inter Naſſavium, & Verdugum, variis ſucceſſibus.



2009 Ministerio de Cultura

1585. *Naſſavius* Friſiæ, Naſſavius expugnaverat: cui tamen apud Groningam male ceſſerat. Sed clades ad Boxumum prope Leovardiam accepta, altius illum perculit. Etenim Verdugus, audito hoſtium ad Stavriam adventu, conſiſtere circum ea loca Taſſio Vicario mandaverat. Eodem Danus Naſſavii & ipſe Vicarius contendebat, juncturus cum illo Friſios ſuos, quos paulum ſupra duo millia, pleroſque ejus provinciæ veteranos, in quibus ſpes Friſiæ ſita erat, enumerabat. Sed Taſſius intercurrens cum victore per eos dies exercitu, pugnandi aleam Dano obtulit. Nec ille, quamquam Boxumum retrahere copias maluiſſet, pugnam abnuit. Certatumque ab utroque Duce, qui Præfectorum ſuorum vicarios non minus animos, quam partes referebant, conatu primum acri validoque, ſed non pari utrinque conſtantia. Intra horam tanta Dano clades illata eſt, vix ut decem ex duobus Friſiorum millibus ſuperfuerint, qui aut in acie, aut in fuga cæſi, captivi non ſint. inter quos Dux ipſe Danus auxit numerum captivorum. Quamquam hunc Verdugus paulo poſt Daniæ Regi captivum repetenti donum miſit. At vero Taſſianis non incruentam victoriam mors Oſwaldi Bergenſis effecit. Pugnabat hic prima in acie perquam ſtrenue, congreſſuſque cum Friſio ſignifero, atque interempto ſignum abſtulerat: idque manu elatum dum hoſtium tergis inſiſtens juveniliter expandit agitatque, velo caput involutus, à ſupervenientibus Taſſianis errore ſigni pro hoſte habitus, ut erat fugientibus immiſtus, glande transfigitur, conciditque: fruſtra accurrente Hermanno fratre, in eadem pugna ſauciato. Ex hac porro victoria incredibile videtur, quantum & Taſſio nominis claritudo, & Verdugo imperii fines accreverint. Siquidem nimio inde terrore concuſſis late per provinciam oppidis pagiſque, ac multis eorum deditis; ab omni propemodum Friſia tributum Hiſpano pendi cœptum eſt. Vſque adeo

Sed apud Stavriam inter Danum & Taſſium eorum Vicarios, *Steno Danus*

*ſic Alex. ad Regem poſtea ſcripſit* 28 *Feb.* 1586. magna Naſſaviorum cæde, & capto Dano

*Gulielmi Com. Bergenſis filius* ex Taſſianis vero, caſu à ſuis interempto Bergenſi.

Victoriæ fructus.

*Reidan. lib.* 4.

VNA

2009 Ministerio de Cultura



ELISABETHA, D. G.

*Angliæ, Franciæ. et Hiberniæ, Regina.*

©2009 Ministerio de Cultura

2009 Ministerio de Cultura

VNA interdum clade, amiſſis fortibus viris, 1585.
tanquam ſuccifis nervis, reliquum corpus exercitus, vigore inde omni, viribuſque deſtituitur.

Antequam hæc fierent, Ordines fœderatarum provinciarum, quando irrita legatione in Galliam, ſola jam reſtabat, ad quam ſe verterent, Anglorum inſula; illuc duodecim primarios viros deſtinaverant, qui Reginæ in manus traderent Fœderatorum nomine Belgium, præſentemque adverſus Hiſpanos opem, & Gubernatorem acciperent. Et Angla quidem à principio haud ſe magnopere legatis honorificam, aut poſtulatis eorum facilem præbuit. ſive ut BENEFICIO ſuo commendationem à difficultate captaret: ſive re vera offenſa, quod Belgæ rejecti è Gallia, ad ſe poſtremo confugerent: ſeque poſteriorem Gallo duxerint, poſteriore confugio. Nec deerant, qui Reginam deterrerent à fovendis palam alienis diſſidiis, exemplo non utique Principibus probando, & in authorem quandoque retorquendo. NEQVE enim hæc fieri, quin ſimul fieri doceantur. Et fortaſſe ad hoc reſpexiſſe Galliæ Regem, non admiſſis, quæ ab hujuſmodi legatione offerebantur. Denique conſiderandum, idem eſſe Anglorum ſigna contra Hiſpaniæ Regem in Belgium transferre, ac, indicto bello, arma Hiſpanorum in Angliam evocare. Contra alii, quibus utilitatis lance expenduntur omnia, amplificationem, firmamentumque Regni memorabant. *Quippe portus*, ajebant, *in littorali Belgio ſi juris Anglici fiant, arces ac munimenta futuros, quibus inſula, præter maris vallum, pluribus in continenti propugnaculis defendatur. Nam quod legati rejecti à Gallis fuerint, non id metu ſequioris famæ, aut exempli cura, ſed domeſtica neceſſitate factum. certe Belgas quanto magis excluſos aliunde, atque aliorum adminiculo deſtitutos, tanto pronius adhæſuros porrigenti manum Angliæ, atque adeo accipiendis conditionibus promptiores fore. Neque magnopere laborandum, ne palam provocentur Hiſpanorum arma, ſatis jam ſubmiſſis*

PRINCIPATVM belgicum offerunt Angliæ Reginæ legati provinciarum.

Illa abnuere videtur:

Et ſui eam dehortantur ab hujuſmodi patrocinio.

Alii hortantur.



2009 Ministerio de Cultura

1585. *hinc toties in Belgium clam auxiliis provocata. Nimirum conſtare inter Principes, hujuſmodi occulta ſubſidia, tentamenta belli eſſe: nec in alio differre ab armis palam illatis, niſi quod ibi perſonatum bellum geritur, aperto hic marte confligitur. Tanto autem minus timenda eſſe arma hiſpani Regis in Anglia, quanto ſe ille validius in Belgio attineri premique ſentiet à geminis hoſtibus, quorum vel ab uno adhuc ſe ſe tot annis explicare non potuerit.* Talia dum apud Reginam varie jactabantur, ambiguis illa reſponſis, menſem unum, tenuit Belgarum legatos. Donec audita Antverpienſium clade ad Couenſtenium aggerem, verita, ne capta (quod fore prævidebat) Antverpia, Zelandi Hollandique, deſperatis externis auxiliis, cum Philippo Rege in gratiam redirent, ſimulationem aliquando exuit: feſtinatiſque nunciis ad fœderatas provincias, opem illis prælarge pollicita, cum legatis illico tranſegit: Belgii principatum, qui offerebatur, illis remiſit: auxiliares copias, & earum Ducem ſpopondit: copias definiri in hunc modum placuit, Vt pedites quinque millia, equites mille à Regina mitterentur, quibus belli tempore ſtipendium ipſa perſolveret, eidem pace compoſita rependendum. interim in Zelandia Fliſſingam, & Rammecham, in Hollandia Brilam, qui præcipui ſunt earum provinciarum portus, pignoris loco in Reginæ manus Belgæ traderent. Additæ ad hæc ſunt aliæ aliæque conditiones, quas hic memorare longum ſit, nam fuere una & triginta. Quibus confectis, auxiliarium copiarum Ducem, cum ſummo armorum imperio, Robertum Leiceſtriæ Comitem, deſignavit, virum, quo non alium aliquando in Anglia ſecundior ſpei aura ſuſtulerit: aut mutata repente ſors, diſcrimine infeliciore depreſſerit: aut rurſus ampliorem in gradum fortuna repoſuerit: donec eadem, quæ attollebat ambitio, ad terram alliſerit. Pater illi fuit (juvat enim de hoc quoque ſupremo armorum Duce, quod in aliis præſtitimus, pauca hæc noſſe)

Regina principatum quidem non admittit,

ſed milites promittit, & Ducem,

certis conditionibus: *Ramichino*

Ducem nominat Leiceſtriæ Comitem.

Patris ejus potentia,

2009 Ministerio de Cultura

noſſe ) Ioannes Dudlæus Northumbriæ Dux, 1585.
eo potentiæ provectus in aula Edovardi Sexti Angliæ Regis, ut Edovardo extincto, in ſpem venerit, in filium Guilfordum, cui deſponderat Ianam Greiam Henrici Octavi proneptem, Angliæ regnum transferendi. Tranſtulitque: & excluſis Maria, & Eliſabetha Henrici liberis, Angliæ Regina præconis voce Iana publicata eſt. Quo tempore Robertus & ſe Regis fratrem vidit, & regni ſucceſſionem ſoboli ſuæ aliquando deſtinavit. Sed intra dies non amplius viginti, delato ad Mariam Henrici filiam Angliæ regno, Iana & marito capite obtruncatis, Ioanne Northumbriæ Duce eodem ſupplicio affecto: ( ſicut Edmundum Ioannis patrem Henricus Octavus capitis pœna ante mulctaverat ) Robertus ejuſdem cum patre, ac fratribus, conjurationis manifeſtus, publico judicio damnatus eſt. Expectabatque in horas carnificis manum, quum Maria, præter omnium opinionem, placata Roberti patris, fratriſque nece; non vita modo, ac libertate illum donavit, ſed etiam in gratiam receptum ad regni negotia liberaliter adhibuit. Quin ( orbe converti jam cœpto ) Eliſabetha, poſt Mariæ obitum, in intimam familiarium cohortem admiſſum, brevi aliis omnibus antehabuit. Et vero adjumenta illi arteſque ad promerendam gratiam abunde aderant. Forma oris elegans, ac pervenuſta, quæ primum videlicet aditum ei aperuit apud Eliſabetham tali hamo capi ſolitam. Accedebat lepos orationis, atque feſtivitas, qua novis ſubinde illecebris, atque avocamentis à curarum mæſtitia, Reginæ animo lenocinabatur. Super hæc, ſimilitudo conſentientium voluntatum, conſiliorumque intercedebat omnino tanta, ut hinc apparuiſſe, quid cæli vis poſſet, quantumque unum alteri attemperarent aſtra, ſcripſerint aliqui. Quum tamen tam longe petitis e cœlo cauſis non egerent & mulieris conditio in amores adulatoreſque pronæ, & verſatilis viri ſolertia, qua ut erat hi-

& infelicitas,

*Leiceſtrii pater, avus.*

Par Leiceſtrii fortuna.

Reſurgit hic ad ſummam Reginæ gratiam,

hiſce conciliatoribus.

Aſpectus elegantia;

lepore,

morum cum Reginæ moribus ſimilitudine,

vel ſimilitudinis ſimulatione.

2009 Ministerio de Cultura

1585.

hiſtrio multarum partium, facile ad aliorum mores ac vota, factitium ingenium circumflectebat. Poſtremo accendebat amorem veneratio, principio quidem in aulicum ſervitium demiſſa, poſtea in ipſo ſervitio ſuperba, quaſi oſtenderet ſe obſequio dignum, dum obſequeretur: inoffenſa ab his Regina, quæ jam illum extra famuli ſortem aſpiciebat, ac maritum animo deſignabat. Hinc congeſtis, ac feſtinatis honorum inſignibus, illum Georgianum equitem, illum ſupremum Regiæ Oeconomum, illum ſilvarum ſaltuumque Præfectum, ſimul Denbighiæ Dominum, mox & Leiceſtriæ Comitem creat, ſibique, ac faſtigio ſuo admovet: &, quo ipſa minus deſcendat, alterum attollit. Immo & iis, qui Eliſabethæ ſenſum introſpiciebant, non alio ſpectaſſe ipſa credita eſt, dum Leiceſtrium cum Maria Stuarta Scotorum Regina matrimonio conjungere tantopere ſtuduit, niſi ut, ſi Scota in eas ſemel nuptias conſentiret, minus puderet Angliæ Reginam in virum aſſumpſiſſe illum, quem alia quoque regiæ poteſtatis femina connubio ſuo dedignata non eſſet. Et ſane hanc ſemper hæſiſſe in Eliſabethæ animo dubitationem, oſtendebant illæ ejuſdem voces identidem aliquos interrogantis, Quid cenſerent dicturos Principes, atque in primis Hiſpanum, ſi aulico ſuo ſuæque ditioni ſubdito nuberet Angliæ Regina? Quarum vocum haud ignarum Leiceſtrium egiſſe cum hiſpano legato Guerrao Deſpæo, eique promiſiſſe, Si eas ipſe nuptias, Regis ſui nomine, Reginæ approbaret, ſe compotem voti Religionem Catholicam Angliæ redditurum. Ac Deſpæum per occaſionem ſerio cum Eliſabetha id præſtitiſſe, exemplisque Reginarum, etiam hiſpanarum, idem confirmaſſe; ego ex epiſtolis Deſpæi, reſponſiſque Philippi Regis, à noto mihi homine inſpectis exploratum habeo. Adeo in Leiceſtrii cum Regina conjugio proceſſum eſt. Verum quum illa nunquam ſatis, ut famuli ſui uxor eſſet, acquieſceret; ac novi ſubinde mariti, alius alium tru-

reverentia erga Dominam.

quæ illum ad ſumma quæque provehit: *Camdenus parte 1 & 3 hiſt.*

& ſpem conjugii ſui facit.

rem adjuvante Catholici Regis legato.

Ad nuptias tamen non pervenit.

2009 Ministerio de Cultura

1585.

truderent, atque Alenconius in primis ceteros poſthaberet; Leiceſtrius longa nuptiarum ſpe paulatim excuſſus eſt. Potentiam tamen apud Reginam, atque in Angliæ regno, quod ille regnum triginta fere annos in poteſtate habuit, nunquam niſi cum vita depoſuit.

*Sed potentiam in regno maximam retinuit.*

Namque poſt hæc, Reginæ deſignatione ſupremus Anglarum copiarum ductor, ſummum in fœderatas Belgarum provincias imperium Gubernator exercuit: & Britannicæ claſſi à Regina præfectus contra Hiſpanos, victor in Anglia triumphum egit: & poſtremo in novam potentiæ ſpem erectus, Reginæ Vicarium in Angliæ, Hiberniæque regnis renunciari ſe flagrantiſſime contendit, impetraveratque: quum Regina ab Hattono Cancellario periculi admonita, ob nimiam uno in homine potentiam, intellexit quantum ex regno peteretur.

*Vna tantum re non impetrata,*

*Camdenus parte 3 hiſt. & Philopater in reſpon. ad edictum*

Atque, ut illum timere jam cœperat, more videlicet Principum, qui VBI omnia in unum congeſſere, beneficia ſua in eo reformidant; non auſa palam mutare, cum Leiceſtrio Cancellarium commiſit, quo intrepide abnuente ad ſcriptum jam diploma adjicere ſignatorium annulum; homo repulſæ ad eum diem inſuetus, ex ira & furore contabuit.

*ex ira poſtea deceſſit.*

Sed his, quæ Leiceſtrio ſuprema fuerunt, omiſſis; deſignatum copiarum Ducem legatis Belgarum obtulit Eliſabetha: laudavitque prudentiam ejus, animumque quanticumque regiminis capacem, nec tacuit militarem ſcientiam. *Præfuiſſe illum prima adhuc juventa bellicis tormentis in auxiliari exercitu à Maria Regina ad S. Quintinum miſſo, Pembrochio ductore. Tunc penes Angliæ militem ſtetiſſe laudem reportatæ pro Hiſpano victoriæ: primumque, qui in oppidi mœnia vexillum Regis intulerit, Henricum Leiceſtrii fratrem fuiſſe. Sperare nunc ſe, parem Anglorum virtutem, ac felicitatem fœderatas provincias experturas. Certe meliori eorum cauſæ deberi exitum non diſſimilem.*

*Nunc illum legatis offert copiarum Ducem, laudatque.*

*I. Staus in Ann. & Herfordienſis in vita*

Excepere gratulabundi Leiceſtrium legati, quod, præter hominis odium in Catholicam Religionem, ma-

*Grata ea deſignatio legatis,*

2009 Ministerio de Cultura

1585. magnum utique vinculum ſocietatis; non ignorabant, illum omnium acerrime eam expeditionem nutanti Reginæ perſuaſiſſe: ac proinde eidem ſupra omnes cordi futuram, tanquam conſilii ſui prolem, facile ſperabant. Et mota inde quoque Regina credebatur: præſertim quod committendo provinciam miniſtro perquam opulento, regni ærario parceretur. Accedebant ad eam deſignationem commendandam conſuetæ aſſentationes aulicorum, qui nimirum læti, aliquando ſibi ad Reginam aperiri aditum ab uno omnibus obſtructum, confertim Leiceſtrium circumſtantes, obſequium ejus, & Reginæ conſilium extollebant, fauſtiſque precationibus pugnanti victorias, redeunti plauſum & triumphum augurabantur. Quorum ille votorum haud ignarus, quippe in eodem ludo edoctus, aulam tamen non gravate deſeruit, gratiæ ſecurus, & novo interim imperio lætus.

*commoda Reginæ,*

*Aulicis optata,*

*ipſi læta.*

Ineunte anno octogeſimo ſexto, ſupra milleſimum quingenteſimum, Leiceſtrius longo agmine nobilium comitatus (quingentos exceſſiſſe ajunt) in Belgium venit: præmiſſis Ioanne Norritio cum valida Anglorum legione, & Philippo Sidneio conſanguineo, qui portus, atque arces Reginæ attributas intraret. Ipſe à fœderatis Proceribus ubique locorum feſto apparatu exceptus, Agæ in principe Comitum Hollandiæ ſede, pompa, quantam nemo Præfectis Belgarum exhibitam recordabatur, ſupremus fœderatarum provinciarum Gubernator, contra quam inter Belgas & Reginam convenerat, inauguratus eſt. Nempe in rem ſuam Belgis viſum, ampliare homini potentiam, quo Reginam ad opem ferendam eo inſuper nexu obligarent. Nec Leiceſtrius delatum reipublicæ regimen recuſavit, imperii avidus, & Reginæ ſecurus. Quamquam ubi in Anglia reſcitum eſt, ſplendido illum ſatellitio cinctum, Gubernatoris inſignia induiſſe, peroffenſa Regina dicebatur: quod, qui auxiliarium tantummodo

*1586 INGRESSVS Leiceſtrii in Belgium.*

*excipitur uti ſupremus Belgii Gubernator:*

*offenſa Regina ob eum titulum;*

© 2009 Ministerio de Cultura



ROBERTVS DVDLEVS,
*Comes Leiceſtriæ, Baro Denbig. Gubernator Belgarum.*

2009 Ministerio de Cultura

2009 Ministerio de Cultura

modo copiarum ductor miſſus eſſet, ſupremam provinciarum præfecturam, quem illa titulum diſerte abnuerat, admiſiſſet. Sed Anglæ offenſio, acceptis à Leiceſtrio, atque à Fœderatis ea ſuper re litteris, brevi evanuit. Scilicet acceſſionem potentiæ ut recuſare ad moderationis ſpeciem illa retulerat, ita nunc eandem admittere, aliena utcumque culpa, peroptabat. Apparuitque, non ſerio Reginam antea noluiſſe, quando mox ut vellet, tam cito flexerit. Porro Leiceſtrii adventus, ac frequens Anglorum militum in Belgio conſpectus, quantum fiduciæ depreſſis ad eam diem Fœderatorum animis, tantum ſollicitudinis addidere Alexandro Principi: qui diuturno gravique perfunctus bello, atque in ſpem erectus, reliquas brevi provincias ad Regis obſequium redituras; novam jam videret naſci operis molem, novos recenteſque poſt Archiducem Matthiam, & tractas è Germania copias: poſt Ducem Alenconium, & adductas è Gallia vires; parari ſibi hoſtes ab Anglia: atque adeo magnis ex integro viribus conſurgere Fœderatorum conſilia, eorumque imperium nova potentia, ærarioque firmari.

1585. ſed in ſpeciem;

& Alexandro non in ſpeciem ſollicito, ob novas vires Fœderatis adjunctas

Decreverat ille, poſt captam Antverpiam, Moſam amnem, qui Brabantiam univerſam circumvallat, in poteſtatem redigere: ſpe inde in Rhenum projecta. Iamque obſidionem Graviæ Carolo Comiti Mansfeldio mandaverat. Eam ne in præſentia, Leiceſtrii ob metum Comes intermitteret, quippe ad famam pertinere ſentiebat, novis illum auxiliis inſtruxit. Sedet ad ſiniſtram Moſæ ripam Gravia, validum per ſe oppidum, & trajicientibus in Geldriam opportunum: ideoque cum cura à Fœderatis habitum, præfecto Hemertio nobili Geldro, cum præſidiariis ferme quingentis, præter armatos oppidanos. Qua parte oppidum Brabantiæ jungitur, novis operibus munierant, minus ſolliciti Moſam verſus, ubi flumen ad loci munimentum undas applicat. Ergo Mansfeldius rem aggreſſurus, ut auxilia Gravienſibus à Venlona,

GRAVIÆ obſidium.

ſitus ejus,

& munitio,

Geldriæ

2009 Ministerio de Cultura

1586.

à Mansfeldio missus Centurio Corvera

Veterverdam occupat;

Schenchius locum recuperaturus, ter aggreditur

frustra

ignem immittit.

Egressi Hispani pugnant

numero longe impares,

re longe superiores.

ad extremum vincuntur,

admirabili hostium clade,

Geldriæ oppido ad dextrum Moſæ latus, inter cluderet; Veterverdam cœnobium, inter Venlonam & Arſenum, miſſo illuc Petro Corvera cum Hiſpanis centum, ex vetere Mondragonæ legione ſelectis, occupavit. Captum cœnobium Centurio Corvera communire aggreſſus, cito ſenſit, nimis ſe prope Venlonam conſtitiſſe. Namque Martinus Schenchius, intellecto Mansfeldii conſilio, & Graviæ diſcrimine, è Venlona ſtatim advolavit, tractis ſecum ſexcentis peditibus, equitibus trecentis: ac cœnobium corona circumplexus, excidiumque loci interminatus, deditionem expoſcit. Sed à Corvera intrepide rejectus, admotis propere machinis aggreſſionem adornat, tanto utrinque conatu, quaſi jam tum fortuna Graviæ in unius cœnobii expugnatione verteretur. Ter cœnobium, magna aggredientium vi, Schenchius invaſit; ter majori repugnantium ferocia repulſus eſt. Poſtremo ignominia præceps, quando nulla penetrandi ſpes erat, ignem rapi, & quatuor è partibus loco admoveri jubet. Ardebatque cœnobium, quum, quid conſtans virtus poſſet, apparuit. Namque Hiſpani adhortatione Corveræ firmati in mortem non inultam, è cœnobio feroces erumpunt: atque instructa qualicumque acie, in hoſtem vadunt. Raro alias impari magis numero certatum eſt. Hiſpanorum ſinguli adverſus hoſtium novenos dimicabant, & tamen tam pauci tam multis non pares modo fuere, æquata diu pugna; ſed etiam victoribus propiores, quo ferrum obverterent, vulnera terroremque ſpargentes, attonitum nutantemque hoſtem plane repuliſſent; ni Schenchius objecto equitatu, cohibitaque ſuorum trepidatione, prælium redintegraſſet. Tum vero ab affuſa multitudine circumventi, poſt edita noviſſimæ fortitudinis exempla, non ante conſumpti ſunt, quam hoſtium ducentos & quinquaginta, ipſi non amplius centum, ante ſe proſtratos conſpexere. E forti manipulo ſuperfuere tantummodo ſex, iique male

2019 Ministerio de Cultura

1586.

male vulneribus toto corpore mulctati. quos una cum Corvera tribus pilis, haſtaque trajecto, prædam nimis caro emptam victoribus, Schenchius Venlonam deportavit.

Sex ſuperſtites hiſpani Venlonam deportantur.

Dum in hunc modum Gravianæ expeditioni eminus proluditur, Mansfeldius urbem ipſam, caſtellis aliquot erectis, cominus urgebat. duobus aditum hoſti in urbem intercluſit à terra: totidem à Moſa. nam infra ſupraque Graviam, palis in flumine adactis: & infra, Megam verſus, unde majus periculum, ſtrato ſuper palos ponte, additis utrinque caſtellis, amnem clauſit. Mox diſpoſitis caſtris, Mondragonia Hiſpanorum legio ad oram ſiniſtram fluminis tetendit: infra, qua Ravenſtenium itur, hiſpanæ legiones Bobadillæ, & Aquilæ conſtitere: medius cum ſelectis Germanorum, atque Wallonum centuriis Mansfeldius conſedit: trans amnem vero Italica legio Capiſucchi, adjunctis ſignis aliquot Burgundorum, Mochemum verſus excurrit. Nec minus Holachius auctus Anglorum copiis, obſidentium conatibus obviam ibat. Aggerem in dextra Moſæ ripa, quem è vicino caſtro Diccum Batemburgicum vocant, propere inſedit: in eoque propugnaculum extruxit, nec procul inde perquam ingens vallum objecit, atque utrumque militibus ferme octingentis, pleriſque ſclopetariis munivit. Ex hoc autem flumentano aggere quoniam inferri auxilium vicinæ Graviæ facile poterat, præſertim capto jam ab Anglis Batemburgo; jubet Mansfeldius, illuc, trajecto amne, præcurrere Aquilam cum Hiſpanis ſuis: mox ipſe cum Georgio Baſta, & equitatus parte ſecuturus. Aquila nihil moratus, niſi quantum ſtructura pontis non plane firmati transmiſſionem retardabat, legionem traducit, pone ſequentibus Hiſpanis trecentis, ex vetere Mondragonii legione, ductore Ioanne Caſco. Vix ripam attigerant, quum conſpectis procul hoſtibus, pugnandi ardore provecti, non expectatis ſociis pontem ægre tranſmittentibus, arma raptim expediunt.

Mansfeldius caſtellis, & caſtris Graviam cingit.

*Camil. Capiſ.*

Holachius vicinis in locis munitiones extruit.

trincierone

contra eum Trib. Aquila præmittitur.

pediunt.

© 2009 Ministerio de Cultura

1586. pediunt. Et Aquila magis alacritatem militum, quam Mansfeldii conſilium ſecutus jam aciem ordinabat; quum Caſcus videns in fronte diſponi Aquilianos, negavit ex militari diſciplina id fieri. ſuis in agmine poſtremis externo die, nunc primum in acie locum deberi. Sed nihil ad ea reſpondens Aquila, niſi (more hominum, qui à rationibus deſtituti, ad poteſtatem authoritatemque deflectunt) Tribunum ſe eſſe, parteſque ſuas noſſe. ſimul legionarios promovebat, inſtantibus à tergo Mondragonianis, ſocioſque denſato gradu prævertere connitentibus. Sic intempeſtive concertantes ad hoſtes pervenere. aggreſſique vallum legionarii, magis ſolliciti, ne à ſuis, quam ab hoſtibus vincerentur, ab utriſque victi ſunt. Nam, ut erant à curſu fatigati, nec ſatis compoſiti, poſt acrem brevemque pugnam, facile illos Holachiani, plures & integri, è vallo rejecere. Verum ſuccedentibus Mondragonianis aucti Aquilæ milites, inteſtino certamine in hoſtem melius verſo, tanta vi aggreſſionem conjunctim repetunt, dum hos pudor, illos gloria in pugnam accendit, ut vallo hoſtem expulerint, erectam munitionem expugnaverint, auxiliarem in Moſa navem cum tormentis ceperint, fugientes flumentanum per aggerem mille non minus paſſibus inſecuti ſint. Sed in hac ipſa victoria iterum ab Hiſpanis peccatum eſt. Nam & vincendi aviditate abripi ſe longius paſſi ſunt, ordinibus haud ſervatis: & captum muniri propugnaculum, quod redeuntibus receptui foret, curæ non fuit. Itaque provecti hoſtem inſectando, non procul Batemburgo præter opinionem conſpicantur, è ſtatione, quam aggeris tumulus occultaverat, Anglorum copias inſtructo agmine prodeuntes, duce Norritio: qui retenta ſuorum fuga, in Hiſpanos repente movit, coëgitque jam feſſos, ac repentino turbatos occurſu, totum illum flumentani aggeris tractum, quem modo menſi erant hoſtem fugando, eumdem fugiendo remetiri. Iamque propugnaculum, & vallum,

*Marginalia:* pugnam adornat, ſed orta altercatione inter hiſpanos de primo pugnæ loco, — turbati pugnant, *Caſchi milites* — & repelluntur. — *Aquiliani Mondragoniani* poſtea compoſiti munitionem expugnant: — & hoſtes fugant. — mox ab iiſdem jam auctis — ipſi fugantur.

2009 Ministerio de Cultura

vallum, & navem recuperaverant Angli, non ſine ſpe eodem impetu Graviam irrumpendi; quum tranſmiſſo jam ponte apparuere decem Hiſpanorum ſigna, quæ pro Tribuno Bobadilla ducebat Acatius Ierra: exceptique læto omnes clamore, ſiſtunt illico fugam, atque in hoſtes convertunt. qui & ipſi redditis conſimilis lætitiæ vocibus, quippe pluribus aucti à Moſa ſclopetariorum centuriis, quas feſtinatis navigiis Leiceſtrius opportune ſubmiſerat; ad inſtaurandam acrius pugnam, decernendumque, ſe ſe accingunt. Et erant novis utrinque auxiliorum acceſſibus juſtæ ad confligendum copiæ. Fœderati paulum ſupra quatuor armatorum millia, Hiſpani aliquanto pauciores numerabant. Ergo ſumpta, tacito utrinque conſenſu, modica quiete, qua mutuæ cladi ſufficerent, hinc Aquila, inde Holachius ad pugnam ſuos inſtruunt, certos fixo locum veſtigio non deſerere, tranſitumque hoſti, niſi proſtrata ſuper corpora, non relinquere. Propoſito conſtantia par fuit. Seſquihora pugnatum eſt, tanta utrinque ferocia, ut quamvis effuſis è cœlo continenter imbribus, ac proprio hoſtilique cruore madidi, ſæpe ad terram lapſante gradu deciderent; ſtrati tamen, ac de genu pugnarent, objectiſque gladiis atque haſtilibus, viam hoſti tranſitumque præcluderent. Sed nuſquam acrius, quam ſuper Hortigoſæ ſigno certamen exarſit. Hujus Centurionis ſigniferum circumſteterant Angli: is tamen ſe, & ſignum ſtrenue defenſabat. Sed humi prolapſus, ac velo implicitus, prope erat, ut ſigno ac vita exueretur: quum centuriæ Inſtructor Vega ſocio accurrens, ubi raptum jam ſignum aſportari ab Anglis vidit; via vi facta, medios in hoſtes emicat, abſtractumque mutua inter vulnera ex Angli manu velum victor referebat ad ſuos. Sed telis undique appetitus, impar gliſcenti Anglorum manipulo, vita prius, mox & ſigno ſpoliatus eſt. Nec ideo mors Vegæ Vaſquium terruit, quo minus commilitonis ultor, decoriſque hiſpani anxius, Anglum forti-

1586.

Siſtuntur à novis hiſpanorum auxiliis.

*Acat. Centurio*

& auctis utrinque copiis.

obſtinatiſſime certatur. 16 *April.*

*hora cum dimidio.*

*Baldaſſar Hortig. Centurio.*

Magna de vexillo terrapto dimicatio.

*Hieron. Vega Sergent.*

*Alphonſ. Vaſquez poſtea Sergentea major*

2009 Ministerio de Cultura

1586. fortiter amplexus, ab eoque ſauciato, ipſe non integer, velum feliciter extorſerit, ac Centurioni ſuo lacerum cruentatumque reſtituerit. Verum increbreſcentes pluviæ, ventique violentius incumbentes, ad extremum diremere pugnam, neutris partium invitis. Nam & Holachius pluribus ſuorum cadentibus, amiſſoque vallo, jam caſtello pertimeſcebat. Et Aquila excreſcentibus aquis, ne ſuis ad munitiones reditus intercluderetur, magnopere verebatur. Vtrique tamen neceſſitatem nacti, cui diſceſſum ab armis imputarent, accuſabant interea, quam optaverant, tempeſtatem. Atque (uti in æquato certamine uſu venit) utrique ſe pro victoribus habuere: illi, quod capto Batemburgo, ac recuperato caſtello, liberandæ urbi propius imminerent: hi, quod expugnato hoſtili vallo, inhibitiſque auxiliis, deſtinatam Graviæ opem eluſiſſent. Neque in jactura militum impares admodum fuere. Etſi enim Hiſpani non plures quam ducenti ac triginta occubuere, cæſis ex Holachianis non paucioribus ſeptingentis; quia tamen fortiſſimi quique Hiſpanorum, atque in iis Centuriones ſeptem, ac viri nobiles complures deſiderati ſunt; æquatam propemodum cladem indoluit, atque ad Regem ſcripſit Alexander. Sed victoriam hactenus dubiam, cædem, quæ pugnam diremerant, aquæ Fœderatis addixerunt. Etenim fluminis præter modum aucti opportunitate uſus Holachius, perfoſſo, Ravenſtenium verſus, flumentano aggere, campos circum Graviam ſatis jam imbribus ſtagnantes, altiſſimè inundavit: immiſſiſque magno numero cimbis, annona, ac milite inſtructis, Graviam contendit. Et quamvis Hiſpani partim è caſtellis procul fulminarent, partim in aquas deſilientes, atque umbilico tenus eluctantes, propius in trajicientes exploderent; non ideo tamen ab incœpto navigantes absterrebant: quod aut languidi è longinquo ictus ſpernerentur, aut ipſi mediis in undis inſtabiles implicitiq; adverſus militem

Imbrium ventorumque violentia acies dirimitur:

utraque parte ſibi victoriam vindicante. *Holach.*

*Aquil.*

cæſorum utrinque numerus. *Conſal. Gironus, Mich. Cardona, Conſal. de Caſtro, Didacus Flores, Ioſeph Cordan, Joannes de Caſtillo, & Petrus Ramirez.*

29 *April.* Ab Holachio inducta alluvione,

annona ac milites Graviam advehuntur:

irrito hiſpanorum conatu,

2009 Ministerio de Cultura

litem è tuto navium jaculantem, tela tardius moverent. Accedebat, quod attollente ſe continenter alluvione, major jam cura illos urgebat ad munimenta redeundi, quam acceſſum ad urbem hoſtibus intercludendi. Itaque inſpectantibus Hiſpanis, annona ad plures menſes, milites circiter quadringenti, bellicus pulvis, quæque alia defendendis arcibus utilia, in urbem illata ſunt: tantis Holachii, mox & Leiceſtrii lætitiis, ut ille adverſa belli toties expertus, ea ſemel ſe jam diluiſſe: hic Anglicis auſpiciis victoriam imputando, ceſſura ſimiliter omnia ſibi perſuaderent, ac prædicarent.

1586.

25. April. & magno Holachii & Leiceſtrii triumpho. *Leiceſter.*

His auditis Alexander, ſtatuit transferre ſe Graviam. Et quoniam acceperat propius ad eam urbem acceſſiſſe Leiceſtrium, ſcribit Altapennio, quem cum auxiliaribus copiis ad Septemvirum Colonienſem miſerat, ut, ſi ad Noveſium ducti nondum eſſent aggeres, nec dicta aggreſſioni dies, Graviam advolaret, brevi Noveſium reverſurus. Altapennius collectis illico vaſis; namque obſidio cœpta non erat, tanta iter celeritate ingreſſus eſt, ut (ne moræ aliquid feſtinationi afferret nox tenebris horrida) præire milites juberet, qui caſas agreſtium paleis plerunque tectas incenderent, ad viarum veſtigia properantibus commonſtranda. Alexander interea Bruxellis profectus, præmiſſo cum parte copiarum Appio de Comitibus, non procul à Gravianis caſtris obvium habuit Altapennium: cum quo ad exercitum delatus non erexit modo militum animos ob improſpere geſta perculſos, ſed etiam ſpe certa implevit, mutatum iri fortunam belli, nec conſtituram præſente Alexandro Graviam, quantavis munitione præſidentem. Firmavit ſpem militum celeritas Imperatoris, qui & pontem arcendis hoſtium auxiliis illico reſtituit, & tormentis diſpoſitis, urbem tripartito aperiendam ſtatuit. Quamquam ſubitum ejus diſcrimen omnes extemplo perculit. Namque tormentotum ſuggeſtibus obequitando, dum

Alexander Graviam ſe transfert.

*Nuys.*

illucque è Noveſio evocat Altapennium,

qui ſtatim advolat.

Eriguntur milites Ducis præſentia.

Sed ſubito eius periculo conſternantur.



2009 Ministerio de Cultura

1586. ultra citraque Moſam opera ipſe perluſtrat, directus è mœnibus ferreus globus equum ejus invaſit, proſtravitque: territis, qui circa erant, proque Duce ſollicitis: ſimul ſparſo in caſtris rumore, ictum pila Parmenſem Principem concidiſſe.

*Ille tamen illæſus deditionem poſcit,*

ille tamen ad equi caſum in pedes exiliens, accurrentibus anxie militibus, hilari vultu, Bene ſibi eſſe, reſpondit: accitumque ad ſe tubicinem properare Graviam jubet, ac deditionem Gravienſibus imperare Alexandri nomine, quem, Deo duce, & vivum nunc ſcirent, & mox victorem expectarent.

*& non admiſſa,*

Tubicine non admiſſo, Alexander nihil cunctatus, machinas diruendæ urbi expediri mandat.

*urbem quatit,*

Prominebat è mœnibus in oram fluminis propugnaculum, modicum illud quidem, ſed geminis juxta prægrandibus turribus communitum. in has potiſſimum verſis muralibus tormentis: ſimul propugnaculo duobus alibi ex locis, totidem vi machinarum impetito, tantam jam lapidum congeriem demiſerant patefactæ turres, roſtrumque propugnaculi, ut ante generalem aggreſſionem delecto manipulo prætentare ex ea parte aſcenſum, atque experiri hoſtium vires Alexandro placuerit.

*& diſponit peculiarem aggreſſionem.*

*Offerunt ſe ad eam multi.*

Ad id natio hiſpana, ex multis illud periculi decus ſibi depoſcentibus, prælata eſt. Natoque ipſos inter Hiſpanos certamine, è pluribus eorum cohortibus viros omnino centum carpſit, miſcuitque, ac Centurionibus Sancio de Solis, Franciſco Turrio de Vivero, atque Hernando Tello, ducendos tradidit.

*Eliguntur hiſpani*

Et hi quidem, dato ad invadendum ſigno, ſubiere ingenti animo propugnaculi ruinas: conſertiſque manibus, ut erant ſtrenui ipſi per ſe, & calcar addebat Alexandri judicium; adeo pugnaciter intulere arma, ut ſtatim potituri loco crederentur.

*ſtrenue ſubeunt:*

Jamque primus defenſorum ordo, multis ſuorum cæſis, aut ſauciis, pedem è propugnaculo referebat; quum è vicina turri, quam in ſubeundo Hiſpani neglexerant, ſparſa lapidum tempeſtas, & ſecuta ignium miſſilia, ardenteſque

*retardantur miris modis:*

2009 Ministerio de Cultura

teſque pice ac bitumine circuli, repreſſere paulatim victoriæ curſum. Plus adhuc ad terrorem, noxamque valuit præſervens arena è corbibus ſituliſque, in morem imbris effuſa: qua ſe ſe in arma minutim inſinuante, & corpus adurente, quum nullum adverſus inevitabilem peſtem remedium foret (uti nec ullum fuiſſe olim legimus, emiſſa quoque è ferveſactis clypeis arena in Macedonis Alexandri milites Tyrum obſidentes) multi ſe in ſubjectum amnem immergebant, ac refrigerato paulum ardore, redibant illi quidem contumacius in pugnam, ſed turbatis ſemel ordinibus, atque auctis propterea hoſtium animis, ægre ſe in gradum reponebant. Nec diſtulit Alexander ſignum receptui dare, ſatis illato prima illa aggreſſione hoſtibus metu, & fortiſſimorum militum diſcrimen non ultra paſſurus. præſertim audito, Sancium de Solis cecidiſſe, viſoque Turrio, dum ſemivivus è pugna aſportaretur. Non plures tamen ex Hiſpanis, quam ſex occubuiſſe compertum eſt: quum ex defenſoribus ſupra ducentos deſiderati ſint, partim ferro ab invadentibus Hiſpanis, partim à muralibus tormentis noxiam in turrim obverſis interempti, quos inter, Brederodii urbanæ militiæ Præfecti mors magnæ utique conſternationi Gubernatori, ac militibus fuit. Idque valuiſſe ad ſubitam urbis deditionem creditum eſt. Quamquam ego præpotuiſſe putaverim apud præſidiarios memoriam Covenſtenii aggeris, in quo plerique eorum Alexandrum experti victorem, adhuc formidabant. Igitur, quum poſtridie, albeſcente vixdum luce, è mœnibus proſpexiſſent diſpoſitas tripartita aggreſſione machinas, aggreſſoreſque; feſtinato tubicine ad Alexandrum, Gubernatoris cum litteris, colloquium ſuper urbis deditione poſtulatum eſt. Impoſitiſque victoris arbitrio conditionibus, eodem die, qui fuit ſeptimo idus Iunias, egreſſis urbe armatis militibus circiter mille, cum ſupellectili, explicatiſque

*Q. Curt. l. 4.*

& ab Alexandro revocantur.

Cæſi ex Hiſpanis,

ex Gravianis:

Inter quos militiæ præfectus.

Inde territis militibus Alexandrum alias expertis,

Gubernator urbem dedit,

*7 Iun.*



2009 Ministerio de Cultura

1586.

vexillis, & ſecundo flumine Bommeliam uſque perductis, Graviam intravit regium Hiſpanorum, Germanorumque præſidium. Reperta ſunt in urbe tormenta & quidem magna, viginti ſeptem, bellici pulveris dolia centum & octo, res cibaria in annum integrum ſex hominum millibus ſuffectura. Quo magis Alexander miratus tam propere hoſtem ceſſiſſe locum omni apparatu militari, ac milite veterano communitum; grates perſolvi Deo palam voluit, cujus quotidie clementiam experiri ſe ſcripſit ad Regem, gratulatus ei acceſſionem urbis, ſub oculis Leiceſtrii, novi hoſtium Ducis, expugnatæ. At Graviæ Gubernatorem Hemertium ſtatim ab Holachio detentum, etſi nullius proditionis manifeſtum, (niſi forte PRODERE urbem dicendus ſit, quiſquis urbem impari animo ſuſcipit defendendam) deditionis tamen præproperum, una cum duobus Centurionibus, capite plecti juſſit Leiceſtrius: magnam utique laudem à militari diſciplina relaturus, ſi cetera feciſſet ad eam formam.

*magno apparatu bellico refertam.*

*6 Iun.*

*Ipſe deditionis pœnam capite luit*

Eodem die, quo capta eſt Gravia, in poteſtatem redactis Mega ad ſiniſtram Moſæ ripam, & ad dexteram Batemburgo, Caroli Manſfeldii ductu, Alexander in Venlonam Geldriæ oppidum animum intendit. Quamquam ejus expugnationem haud ita effectu promptam verebatur. Quippe Venlonam valide firmabant & nova ad veterem munitionem addita propugnacula, & duplicis foſſæ ambitus, & fluminis objectus, & ante oppidum inſula caſtellis munita: & ſuper hæc, magna Venlonæ munimenta Venlonenſes ipſi, ſtrenui pugnaceſque, quorum vel feminæ militaribus curis gloriarentur, recenti adhuc memoria, quum earum una, ante annos ſeptuaginta, hoſtibus urbem invadentibus, vexilliferum mœnibus jam inſiſtentem aggreſſa, ſignum è manibus extorſit, ac domi victrix appendit. Accedebat Martini Schenchii in ea urbe defendenda intentior cura, quod ibi uxorem, familiamque, & prædas, uti fere-

*VENLONÆ expeditio*

*Venlo munitæ*

*tum ab arte,*

*Moſa*

*tum à pugnaci virorum genio,*

*etiam feminarum.*

*unius exemplum: Iſacius Pontanus lib. 11. Nortemus & alii*

2009 Ministerio de Cultura

ferebatur, ingentes depoſuiſſet. Hoc vero ipſum & hiſpanum militem alliciebat, & Ducem juvabat. Itaque comperto, Venlona abeſſe Schenchium, quanta maxima poteſt celeritate, poſt deditam Graviam, Altapennium cum mille ac quingentis peditibus, & equitibus quingentis, ſine vexillis, ac tubarum, tympanorumque ſtrepitu, illuc properare: inſeſſoque Geldrienſi tractu, ex ea parte acceſſum ad urbem hoſti claudere jubet. Alteram vero fluvii Brabantinam partem attribuit cum ducentis peditibus, & turmis equitum duabus, Barnabæ Barbovio, juveni ſtrenuo, ſpectatæque in Trajectenſi præſertim obſidione virtutis: in quam expeditionem adoleſcens, ac pæne puer, peditum centuriam ſecum ducens, militarem jam tum indolem Alexandro mire probavit. Præterea Ruremundanis naves imperat uſui futuras ad pontem, quem ſuper Moſam deſignabat. Denique Carolo Mansfeldio præcipit, cum tormentis Arſenum ſatis munitum pagum tendat, relicto in itinere Balanſonio, qui Velenſem arcem Moſæ imminentem, atque adeo navigaturis infeſtam aggrediatur: uti poſtea & hanc Balanſonius, & Arſenum Mansfeldius expugnarunt. Ipſe ſub hæc mandata, cum reliquo exercitu Venlonam movit. At Schenchius, qui Leiceſtrii juſſu Geldriam Provinciam cum milite percurrebat, ratus poſt Graviæ deditionem haud quieturum Alexandrum, ignarus tamen, quam is in partem bellum ferret; Geldriam urbem, arcemque Wachtendoncam, novis firmare præſidiis feſtinavit. Inde in Venlonam converſus, urbem accuratius muniturus, pavidis nunciis admonetur, itinera omnia Venlonam verſus à Farneſiano infeſſa milite obtineri. Miratus, tanta celeritate, ſilentioque, tam multas illuc copias traduci potuiſſe: nec ideo mutato conſilio, ſubeundam ſibi aleam duxit, ſi qua vi poſſet opem afferre aliquam obſeſſæ urbi. Quare aſſumptis quingentis equitibus ex Anglis, Geldriſ-

1586.

tum à Schenchii vigilantia:

Quo abſente obſidetur urbs

ex una parte ab Altapennio,

ex altera à Barbovio.

*Barn. Barb. Mediolam*

Parantur naves ad pontem.

Expugnantur aliqua loca circum Venlonam.

Tentat Schenchius urbem intrare.



2009 Ministerio de Cultura

1586. driſque: ſub mediam noctem in contubernium Italorum, interfecto excubitore, rapidus incurrit: tantumque terroris intulit equeſtri illa procella repente emiſſa, ut jam ſtationem pæne prætergreſſus à Venlonæ portis haud procul abeſſet. Sed cancellorum ſepta, inhibendis ex urbe eruptionibus prætenta, dum paulum remorantur curſum; Appius, qui illic curabat, viſo ad cancellos interſcindendos expediri ſecures, ſua cum turma propere accurrens: adjunctiſque ſibi Tuccii Centurionis proximis ſtationariis, tandiu impetum ultra nitentium ſuſtinuit, donec armis per vicina contubernia conclamatis, Schenchius, ne undique clauderetur, reſpectare exitum coactus eſt. ac nondum aperiente ſe die, ut gnarus erat viarum, facile per eas tenebras elapſus, effuſum inde curſum Wachtendoncam verſus arripuit. Sed inſequente Appio Cæſiæ turmæ acceſſione firmato, ipſe vix triginta cum equitibus ingreſſus eſt arcem: reliquos aditu excluſos, eoque vagos Appius aſſecutus, cæſis ex eis circiter quinquaginta, captis centum viginti. cum equis paulum ſupra ducentos, victor in caſtra non magis prædam ex privata pugna, quam omen totius expeditionis apportavit. Et ſane circumſeſſa jam Venlona ex utraque Brabantiæ, Geldriæque ora, ſtratoque ſuper Moſam firmatoque ponte ex quinque ac triginta navigiis, è Ruremunda, Trajectoque ſubmiſſis, atque adeo conjunctis utrinque caſtris, magna ſpes aderat expugnandæ urbis. Duo tamen haud levi futura impedimento videbantur. Semilunare apud Moſam propugnaculum, ex quo impune infeſtabantur ponte commeantes: & parva Moſæ inſula, ab urbe non amplius quatuor ac viginti paſſibus abjuncta: quam arce ac præſidio munitam Venlonenſes obtinebant, certi quandiu ea perſtaret, hoſtem ex ea fluminis parte urbi non acceſſurum. Vtrumque hoc Venlonæ munimentum ſimul aggreſſurus Alexander, Italis ſemilunam, inſulam Hiſpanis attribuit. Et inſulæ quidem aggreſ-

& tantum non intrat,

ſed repellit eum Appius,

& ejus comites cedit,

Circumcingitur urbs,

*Maſtric.* caſtris ponte conjunctis

Damna obſidentibus à Semiluna & à Moſæ inſula.

2009 Ministerio de Cultura

greſſionem in hunc ipſe modum ordinavit. Tres planas ingenteſq; rates, ſeu pontones una compoſuit & colligavit. earum latera præaltis cratibus, ſacciſque tomento fartis circumſepſit. tum alias minores cimbas pontonum objectu tutas, ſequi juſſit. pontonibus cimbiſque, habito ex Mondragonia legione delectu, milites Hiſpanos omnino ducentos impoſuit quatuor Centurionum ductu. addidit campeſtria aliquot tormenta, ramalium faſces, ligones, aliaque ex uſu ſubitariæ munitionis. Hæc dum è Geldrienſi ripa Alexander urgebat, è Brabantina cimbæ aliæ ſolidis & ipſæ pluteis, centum militibus, cum quatuor Centurionibus ex Mondragonii quoque legione, in eamdem inſulam armabantur. Quibus abſolutis, expectata ſecunda caſtrenſi vigilia, jubet inſtructa utrinq; navigia in inſulam agi, ipſe è Brabantiæ ora, cum decem muralibus tormentis partim in inſulam, partim in ſemilunam directis, exſcenſionem Hiſpanorum opperitur. Et illi quamvis aſſiduo plumbearum jactu glandium ex inſulæ propugnaculo inceſſerentur, ſucceſſu tamen non minore quam animo, duobus tantummodo amiſſis, inſulam tenuere. Inter hæc Itali, erant ferme quadringenti ex legione Capiſucchi, ſignum aggrediendæ Semilunæ accincti poſcebant. Iamq; præmiſſus Ludovicus Melzius, honorarius in ea legione miles, inſpecta loci ruina à ſex muralibus machinis continenter edita, iter abunde ſtratum retulerat ad invadendum. Itaq; emiſſi adeo concordi ferociq; impreſſione ſubiere, ut, quamvis non ſine multo utrinque ſanguine, pulſo demum hoſte, Semiluna potiti ſint. magna utique Melzii laude, qui primam excipiens à fulminante Semiluna plumbeam tempeſtatem, pila collum humerumque trajectus, non ante ſenſum doloris admiſit, quam privatum damnum publica loci expugnatione ſit ultus. eo quoque nomine de Venlonenſi expeditione promeritus, quod Venlona non ſolum poſt ſemilunam facile capta tunc eſt, ſed etiam quod eamdem poſtea bis ab hoſte ipſe defendit. Nam

1586.
contra hanc rates componit Alex.
atque Hiſpanis armat:
*paulo ante mediam noctem*
qui licet pilis appetiti, in inſulam deſcendunt,
mox & caſtello potiuntur.
Itali ſemilunam invadunt,
*Melz. eques Hieroſol.*
& expugnant,
cum Melzii laude.
*Alphonſus Avalus*



2009 Ministerio de Cultura

1586. ſecutis inde annis, impoſitus Italicæ, quæ Avali fuerat, legioni Tribunus: mox electus univerſi equitatus regii, pro Trivultio in pugna interempto Vicarius; egreſſas Wachtendonca hoſtium copias, Venlonam compoſita proditione irrupturas, cum parte equitatus repente aggreſſus, omnes aut captivos abduxit, aut occiſione delevit. Nec poſt multo, Thenis admonitus, ire quam celeriter hoſtes Venlonæ excipiendos, ipſe celerius præcurrens, explicatum pro mœnibus agmen accedentibus præter expectationem objecit, iterumq; regiis partibus Venlonam aſſeruit. Quæ tanto ego juſtius attexuerim, quanto ipſe in volumine de equeſtri militia à ſe ſcite conſcripto modeſtius præterierit. Iam vero quia inſulæ defenſores animadverſo, ſemilunam concidiſſe, veriti eumdem & ipſi caſum in urbem deſerta ſtatione tranſmiſerant; Venlonam ab obſeſſoribus propius acceſſum eſt. Vrbis mœnia qua parte Moſæ applicantur, etſi per hiemem alluente flumine inacceſſa ſunt, tunc tamen recedente per æſtatem Moſa, inter aquas & muros area non minor quinquaginta paſſibus intercedebat. Atque ex hac parte, moles quateſacta ſemilunæ quoniam urbem patefecerat, & foſſa vallumque ſuperanda hic nulla erant, aggreſſionem in ſicco per ejuſmodi ruinas Alexander indixit, juſſo equitatu per Geldrienſem tractum extendi contra auxiliares, ſi quid inde Leiceſtrius attentaret, incurſus. Interea, magnis in urbe clamoribus, inter cives & præſidiarios certabatur: quod illi deſperata defenſione, fortunarum populationi, liberorumque & conjugum cladi antevertere ſatagebant: contra hi, quos patriæ caritas nulla tangeret, & PAUPERTAS indemnes, atque adeo projectiores faceret, experiri ultima obſtinaverant. Sed impares multitudini arma jam minanti atque expedienti, poſtremo ceſſere. Id, quod in urbium obſidione timendum eſt, quoties præſidiariorum vires infra civium potentiam habeantur. Ergo utcumque compoſiti muros aſcendunt, amicis-

que

*Co. Theodorus Trivultius*

*Tilemont*

Inde in mœnia urbis aggreſſio indicitur.

Sed eam non expectare cives volunt: *cives* contra milites præſidiarii: *Præſidiarii* tamen cives prævalent.

2009 Ministerio de Cultura

que inde ſignis colloquium expoſcunt, ſurdis ad ea oppugnatoribus, & (ut INVISVM eſt obſidentibus urbes deditionis nomen) omne de Venlona colloquium, cujus præda in manu eſſet, averſantibus. Sed repreſſit militum ferociam Alexander: admonuitque, ut civitatem Regi aſſerere mallent integram devotamque, quam per cædes atque incendia deformatam, & injuriæ diu memorem. ſimul ſpem fecit, prædam illis ſuam, ſed modeſtiæ præmium, non defuturam. ſtatimque admiſſis ad colloquium Venlonenſibus, cum oppidanis quidem mollius tranſegit: tantum ut templa everſa reponerent, ac ſtipendia ingreſſuris præſidiariis penderent, imperavit. at milites abſque armis, ſigniſque, & equis abire omnino voluit. Vxorem vero Schenchii, ſororemque, ac reliquam familiam cum domeſtica ſupellectili, tradito, quo ipſe vehebatur, quadrigarum curru, honorifice dimiſit. Eodemque die, qui Principibus Apoſtolorum ſacer illuxit, quique dies ante annos ſeptem Trajectum Farneſianis victoribus aperuerat, introduxit in urbem præſidiarios, impoſito illis ob rem bene geſtam Barbovio: prædaque omni ex manubiis ac ſpoliis Schenchianis per exercitum, pari expectatione & gaudio, prælarge diſtributa. Ipſe prædarum loco unam ſibi ſepoſuit gloriam, quod prænobilem munitionem, omni bellico inſtrumento validam ſubegiſſet, minima ſuorum, minima temporis jactura, nempe intra dies paulo plures, quam quot inſumptis menſibus, gemini Brabantinorum Anglorumque exercitus, pro Carolo Quinto tunc undecenni Venlonam obſidentes expugnare nequiverant. Inde gratulatus eſt Regi Venlonenſem non ſimplicem unius loci victoriam, ſed ex ejus expugnatione urbis, quæ una demum reliqua ad amnem erat, ſubjectam Majeſtati ejus Moſam omnem, hoc eſt firmatam continenti velut mœnium ductu ac vallo Brabantiam, partamque regiis exercitibus ultra citraque commeantibus ſecuritatem. Poſt hæc commendata ſacrorum

1586.

& ad colloquium eos admittit Alex. compeſcitque milites ſuos prædæ inhiantes.

ac poſt conditiones victis impoſitas,

urbem intrat auſpicato in die,

ac lætis militibus in prædam Schenchianam inductis.

Poſtremo victoriam.

*anno* 1511.

& annexa victoriæ, Regi gratulatur.



2009 Ministerio de Cultura

1586. *Vilelm. Lindanus*

procuratione Ruremundæ Epiſcopo, in Vbios recuperando Noveſió, quo jampridem animus ferebatur, expeditionem feſtinavit.

# DE BELLO BELGICO DECADIS SECVNDÆ

## LIBER OCTAVVS.

1586. NOVESIANA expeditio.

*Tac. lib. 4 & 5 hist.*

Noveſium bellis ſæpe nobilitatum.

*Haræus in vita & alii*

cepit Meurſius diripuitque,

*Alex. ad reg. 25 Maji 1585.*

ac Truchſeſianis addixit,

in Colonienſem agrum, ipſamque Coloniam aſſidue populabundis.

Noveſium, Agrippinenſium urbem, quatuor horarum itinere infra Coloniam haud procul à Rheni ripa, multis olim Romanorum Batavorumque præliis, Claudio Civili Duce: & ſuperioribus ſæculis, longa improſperaque Caroli Audacis cum ſexaginta bellatorum millibus obſidione nobilitatum, ſcriptores memorant. Hanc urbem Erneſto Bavaro, Imperii Septemviro Colonienſi obtemperantem, ante menſes ferme tredecim, Meurſæ Comes militari aſtu in poteſtatem redegerat. Nam quo die Divi Quirini feſtum ſolenni mercatu Noveſii celebrabatur, multis ſuorum militum, mercatorum habitu in urbem inductis, ac certum ad tubæ ſignum, iis qui foris opperiebantur admonitis, portarum cuſtodes aggreſſus eſt, civiumque paucis ad defenſionem accinctis, urbem cepit: & quæſtu non minore trecentis florenum millibus direptam, in Truchſeſianorum manus tradidit, impoſito ad ejus regimen valido cum præſidio, Hermanno Friderico Cloëto, adoleſcente impigro, ac præferoci. A quo, aſſiduis excurſionibus, pagi circa omnes oppidaque, in primis Colonia ipſa uſque adeo infeſta habeban-

2009 Ministerio de Cultura

bantur, ut jam dominantibus per Agrippinenſem provinciam Truchſeſianis, vix tuto efferre urbe pedem auderent Colonienſes. Et quamvis ad ea reprimenda Septemvir Erneſtus, variis legationibus, Parmenſem Principem obſecraviſſet, ut, quem ipſe regiis pridem copiis ejecto Truchſeſio, expugnataque Bonna, in Colonienſis præfecturæ, atque in Septemviratus gradu firmaſſet; nollet in præſentia imparem hoſtibus ex abſentia regii auxilii ferocioribus, loco dejici; attamen Alexander, cui Antverpiana obſidione tunc implicito haud promptum erat, remittere in Colonienſe bellum, quos inde milites devocaverat: ſuſtentare Septemvirum ſpe ſecuturæ quamprimum opis non omittebat. Sed interim nova Bavarus clade perterritus, ac ſpe aliunde deſtitutus, audito captam jam Antverpiam, ire ipſe Bruxellas demum ſtatuit, mutata veſte, ac remoto aulicorum, clientumque comitatu: ne ea congreſſio palam hoſtibus foret; & ſervorum pompa petenti auxilium non conveniret. Sic ad Alexandrum improviſo ingreſſus, actiſque non ſane in ſpeciem gratiis, pro iis quæ ab illo beneficiis, vita propemodum ipſa carioribus, accepiſſet; denudavit ei rerum ſuarum ſtatum eo jam redactum, ut nihil propius eſſet, quam ut amiſſæ Coloniæ nuncio exanimaretur. *Nempe gliſcere in dies hoſti numerum, & audaciam: ſe ab utroque, ac poſtremo etiam à conſilio deſeri. Nam & ab regio exercitu videre ſe quam importuno tempore auxilium petat: & Gulielmum fratrem ſerio denunciaſſe, nolle in poſterum ob Colonienſem præfecturam opes inſumere, quas filiis, & Bavariæ ſuæ debeat. Itaque, quando non aliunde ſibi conſuleretur, ſatius ducere, Colonienſem principatum ultro deponere, quam ab hoſte ea demum ditione ſpoliari. Dolere equidem ſe, quod prævideat, in eum locum facile ſufficiendum non perinde Hiſpano Regi addictum, ac ipſe domuſque Bavarica profiteatur.* Alexander etſi, quo ea pertineret Septemviri deſperatio, intelligebat; quia ta-

1586.

Ad hos reprimendos opem ab Alex. petit per legatos Erneſtus:

mox ipſe mutata veſte illum adit,

ſtatumque Eccleſiæ Colonienſis exponit in hunc modum.

Bavariæ Dux



2009 Ministerio de Cultura

1586.

*Alexander & religionis, & Regis cauſa permotus*

men, præter Colonienſis Eccleſiæ, & Catholicæ Religionis cauſam, quam non dubie periclitari videbat; Regis intererat, hæreticos in ea potiſſimum parte non invaleſcere, ex qua occupato ad Noveſium Rheno, navigationem ex Germania in Belgium interturbare, atque inde Geldriam, Brabantiamque percurrere infeſtis armis aſſidue poſſent; idcirco jam ſtatuerat apud ſe, ad reſtinguendam hujuſce belli flammam Belgio proximam, quam primum poſſet, accurrere. Quare Septemvirum abunde conſolatus, omniaque ab Regis in illum benevolentia prælarge pollicitus, in ſe recepit, abſoluta, quam ſibi neceſſario aſſumenda erat, expeditione, continuo ſe, non ſuis modo militibus, ſed præſentia quoque ſua, Colonienſi bello conſulturum. Ita in ſpem erectum animatumque Principem perhonorifice ab ſe dimiſit, additis è Belgica nobilitate, qui hominem comitarentur ſub ignoti perſona notiſſimum. nempe NVLLA larva totum Principem tegit. immo SOLES etiam iſti quum deficiunt, tunc maxime ſpectatores habent. Haud multo poſtquam Septemvir abierat, Alexander non expectata, quam parabat in Gravienſes, expeditione, dum de Altapennio in Vbios præmittendo cogitat (uti poſtea præmiſit) feſtinatis litteris admonetur ab Hiſpano apud Cæſarem legato, Principes aliquot Germaniæ, Imperiique Septemviros hæreticarum partium, audito Colonienſis Archiepiſcopi cum Parmenſi Principe colloquio, queſtos eſſe apud Cæſarem, quod externa Principum auxilia exercitusque in urbes Imperii advocarentur: ideoque inter ſe conveniſſe, Noveſium novo præſidio firmare, partemque ſuorum militum auxiliaribus Hiſpanorum copiis, ſi quæ à Parmenſi advenirent, opponere. Et Noveſium quidem, inducto milite & commeatu, non modo adverſus obſidii metum valide communitum eſt: ſed etiam poſtea egreſſi inde præſidiarii, additique Truchſeſianarum partium copiis Agrippinenſem

*certam Erneſto opem pollicetur, Gravia & Venlona*

*eumque honorifice dimittit.*

*5 Ian. 1586. Gulielm. de S. Clem.*

*Reſcito hoc congreſſu Germani hæreticarum partium Principes cum Cæſare queruntur:*

*Nuys & Noveſium milite atque annona communiunt.*

*Quin & egreſſi inde præſidiarii provinciam miſere vexant.*

©2009 Ministerio de Cultura



SIXTVS V. PONTIFEX
MAXIMVS.

2009 Ministerio de Cultura

2009 Ministerio de Cultura

1586.

nenſem per agrum impune graſſantium, direptis incenſiſque, ſub oculos ingemiſcentis Coloniæ, pagis circiter quinquaginta, capta apud Bonnam munitione, ſollicitatoque ad ſeditionem ejus urbis præſidio; adeo Septemvirum Bonnæ conſidentem ſubito pavore conſternarunt, ut in Bavariam conferendi ſe, relicta in hoſtium manibus Colonienſi provincia, impetum ceperit. feciſſetque, niſi illum Vercellenſis Antiſtes, Pontificis nomine, à conſilio dignitati ejus & Religioni pernicioſiſſimo abſterruiſſet, & ſpe certiſſimi à Parmenſi Principe auxilii animaſſet. Nec Alexander, expugnatis jam Gravia, Venlonaque, ultra cunctatus eſt, adeo ut, quum per eos dies honorifica legatione à Pontifice Xyſto V Galerum, Gladiumque ſolenni ritu ſacros, Grimanus Abbas attuliſſet, diſtulerit manus accipere, admonito rogatoque Grimano, ut paulum Ruremundæ ſuperſederet, ne Noveſianæ curſum expeditionis, magna Catholicæ Religionis neceſſitate ſuſceptæ, cui curas ipſe ſuas, operi jam accinctus, addixerat, qualicunque mora in præſens interrumperet: ea, duce Deo, feliciter abſoluta, tunc magnificentius exponi donum poſſe, & digniorem fore ſe, qui illud acciperet. Igitur præmiſſo Vaſtio quingentis cum equitibus, ipſe ſecundis caſtris, cum exercitu ac reliquis impedimentis, uno ante Noveſium milliari ſubſtitit. copiiſque lato in campo luſtratis, aſſumptis ſecum paucis equitibus, Noveſium uſque præcucurrit. atque urbem contemplatus, quo caſtra loco poneret, & quam cuique Ducum attribueret caſtrorum partem, animo deſignavit.

Hinc & Erneſti conſternatio: *I. Franc. Bonhom.* & feſtinatum auxilium ab Alex. *Anton. Griman. Patric. Venetus* qui dilata ſolennitate accipiendi nuncii à Pont. miſſi, Noveſium properat. 1 *Iul. bidui via*

Habet Noveſium à Rheno, præter mercium opulentiam, magnum ſane contra hoſtium injurias munimentum. Licet enim is aliquantum à mœnibus receſſerit, tamen porrecto illuc brachio urbem complectitur, & cum Erſta tenui amne circumvallat: effectaque in ejus conſpectu inſula, duobus inſuper caſtel-

NOVESII ſitus: *Rhenus* munitio à natura, ab arte.



2009 Ministerio de Cultura

1586. lis aucta, partem urbis ceteroquin infirmiorem opportune communit. At oppoſitam huic partem per ſe haud invalidam, incredibili celeritate Cloëtus Gubernator, reparatis mœnibus, propugnaculis, turribus, ſedulus ubique ac laborum pertinax quotidie magis magiſque firmabat, civium nullis ab opere exceptis, &, ſi qui abeſſent, indeprecabili pœna mulctatis. Nec minus urbi firmamentum aderat à præſidiariis mille circiter atque ſexcentis, cum duobus equitum ſignis, pleriſque veteranis ex Anglis Germaniſque, præter cohortes manipuloſque complures oppidanorum: quos & hæreteos Calvinianæ ſocietas, & ab ejectis paulo ante Catholicis metus, defendendæ urbi accuratius admovebat. denique & annonæ, comportatis illuc undique frumentis, & armorum telorumque, & aliorum ex uſu longiſſimæ obſidionis tam multiplex aderat copia, ut profecto Noveſium à quantacunque hoſtium vi ſecurum videretur. Explorata hæc Alexandro, proviſumque, caſtris in hunc modum circa urbem diſtributis. Quinque portis Noveſium aditur. Adverſus primam, quæ Rheno aſſidet, Hiſpanicam Bobadillæ legionem oppoſuit. Ad Bobadillæ dextrum latus ſtatuit Mondragoniam veterem, ſecundæ portæ, quæ Nederenſis ſive inferior appellatur, objectam. Adverſus tertiam, locum capere Hiſpanicam Ioannis Aquilæ imperavit: ſicut Italicas Camilli Capiſucchi, & Gaſtonis Spinulæ adverſus quartam prope Erftam amnem. Ac poſtremo Germanicam Manriquii, Wallonicam Boninguetti, & Burgundicam Varambonii è regione quintæ, quæ eſt ad alteram Rheni partem, collocavit. Inter has vero, atque Italicas, quod ſpatii plurimum pateret, Germanicam Arembergii, & Wallonicas Licquii, Octaviique Mansfeldii, apud Erſtæ ripam interjecit. At tormentorum ſedem cum eorum præfecto Carolo Mansfeldio, poſt Aquilæ & Capiſucchi terga conſtituit. ac retro poſt

à militum,

oppidanorumque conſpiratione,

& ab annonæ telorumque copia.

Alexander circa urbem caſtra diſtribuit hoc ordine:

2009 Ministerio de Cultura

poſt tormenta, locum continendi equitatus Vaſtio ejus Magiſtro aſſignavit. Ipſe non procul à Germanicis Burgundiciſque caſtris, in ſemiruto Vallis gratiæ cœnobio tetendit. Capto in hunc modum caſtrorum loco, aggeribuſque aperiri ac duci ubique cœptis, cinctum obſidione Noveſium videri poterat, ſi in inſulam, quæ tractum urbis fluvio incumbentis defendebat, deportari milites, ejectiſque inde præſidiariis, claudi, quod urbis ſupererat, potuiſſet. Ad hoc autem ipſum pertentandum, dum Alexander è Bonna opperitur à Septemviro Colonienſi navigia, queis milites illuc tranſmittat; audit præſidiarios adventu regii exercitus facile territos, deſperata inſulæ defenſione, clam in urbem, intendentibus ſe tenebris, conceſſiſſe. Igitur eadem nocte, juſſo Baroccio cimba inſulam adire, locumque & caſtella explorare: quum is retuliſſet, inſulam deſertam prorſus à milite: atque è caſtellis, alterum quidem, quod urbi propinquum eſt, apertum ac pervium: alterum vero ad Rhenani brachii principium, integrum validumque; illico Ioanni Ciacconio Hiſpano Centurioni mandat, ex Bobadillæ caſtris Rheno proximis, centum legionarios in inſulam traducat, ac firmiore caſtello ſe teneat, dum plures illuc copiæ tranſmittantur. Is in inſulam appulſus cum delecto manipulo, (cui etiam ſeu Antonius Pacius ejuſdem legionis Centurio cum paucis aliquot adjunxit) parte ſuorum in validiore caſtello relicta, dum in alterum tendit, quinquaginta circiter militibus comitatus, obviam repente habet magnam hoſtium manum, quæ in inſulam, proſpecta Hiſpanorum paucitate, ſilentio noctis redierat. Nec in ea quidem rerum iniquitate Ciacconius cedendum hoſti ratus, pugnam capeſſit, animoſius enimvero quam conſultius. Certavit hinc numerus, inde virtus, &, ſi conferantur utrinque cæſi, hæc plane vicit. Sed paucitas ad extremum citius abſumitur. Cadit ante omnes Pacius, cæduntur

1586.

*Gnadenthall.*

Inſulam urbi adjacentem Noveſiani deſerunt.

in eam prius exploratam *Propert. Baroc. Ingegnero*

Alexander immittit Hiſpanos centum:

quos Noveſiani in inſulam reverſi aggrediuntur,

& poſt acrem pugnam,

*Virtus vincunt.*

2009 Ministerio de Cultura

1586. duntur Hiſpani propemodum omnes, capitur Ciacconius, capiuntur qui ſupererant omnino tredecim: abductiq; Noveſium velut in triumpho, civitatem ſucceſſu geſtientem, ſpe non duraturæ obſidionis implevere. Alexander etſi jacturam, quam Centurioni imperia tranſgreſſo imputabat, ægre tulit: ſolatus tamen eam eſt, audito, munitionem alteram intactam ab hoſtibus relictam: eoſque ne ſic quidem victores, in inſula ſubſiſtere auſos eſſe. Itaque illuc aliis aliiſque copiis, & ubi majores advenere naves, etiam tormentis deportari juſſis, feſtinavit in poteſtate inſulam habere, quam expugnandæ urbi magnum utique momentum deſignabat. Neque proſpere minus cecidit eruptio alia Noveſianis. In aggerum atque acceſſuum operibus magno nationum certamine moliendis, omnium proxime ſe ſe urbi admoverat Italica legio Capiſucchi. Ea porro vicinitas quantum oppugnatores juvabat ad impetenda validius certiuſque mœnia, tantum ad erumpendum ſecurius invitabat obſeſſos, quibus è via foſſæ cooperta prodeuntibus, minus itineris conficiendum erat in hoſtium conſpectu. Hinc Cloëtus Gubernator, ac trecenti ex audacioribus, galea, parmulaque, ac ſtricto armati gladio, ex arcana imis in mœnibus portula clam egreſſi, per adverſum foſſæ marginem inobſervabiles, in planitie ſubito exiſtunt, atque in Italorum ſtationem improviſi erumpunt. Adſtabat hic ante operas cum militum globo Iulius Cæſar Grimaldus, nobilis ſtrenuuſque Centurio. Hunc ſe intrepide opponentem circumſtant, ac pugnantem hortantemque ſocios multis vulneribus confodiunt: reliquos, poſt brevem cruentamque pugnam partim cædunt, partim in fugam conjiciunt. Quin auſi in caſtra inſequi fugitantes, jam contubernia adoriebantur, ſecutique illos fabri foſſoreſque, appropinquationum opera ſubruebant. Quum illuc procurrens legionis Inſtructor, aliique, increpito per iram & minas cœco

Sed Alexander aliis illuc miſſis, inſula potitur.

*Approcci*

In ſtationem legionis Italicæ erumpunt ex urbe præſidiarii.

21 *Iul.*

*Contraſcarpa*

cædunt, *Genuen.*

ac fugant. *Aprocci*

Reprimuntur, *Sylv. Piccolomineus*

© 2009 Ministerio de Cultura

cæco ſuorum metu, in aggreſſores ferociter 1586.
inſiliunt, eoſque terga è veſtigio vertentes tanta ulciſcendi cupidine ad portam uſque civitatis inſequuntur, ut, licet è mœnibus crebra crepitanteque ſuper arma plumbi grandine peterentur, haud tamen vel Capiſucchi, qui ſupervenerat, imperio à cædendo, fugandoque abſtrahi poſſent: pluresque interea caderent, dum vincebant, quam cecidiſſent eorum commilitones, dum vincebantur. Quamquam tumultus, quam cædes, major fuit: deſideratis, & quidem ex utraque parte, non ultra nonaginta, pleriſque tamen è regia.

atque in urbem mira ferocitate fugantur:

Hæc autem Noveſianorum confidentia, hoſtem nacta, quem qui læderet, ſtimulabat, maturavit oppugnationem: quam Alexander, inſpectis ante operibus ſuorum jam foſſæ undique accedentium: & circumluſtratis æſtimatiſque urbis mœnibus, quæ ſitu & opere firma, quæ vetuſtate fluxa, bipartito diſtribuit: alteram contra Rhenanam portam, alteram contra huic proximam Nederenſem. Hanc è Mondragoniis caſtris, tormentis decem oppugnari juſſit, quatuor additis ante caſtra Bobadillæ, quibus lorica à Nederenſi ad Rhenanam uſque impeteretur. Eam vero murorum partem, quam ante inſulam amnis alluit, ac pro vallo eſt urbi; erecto in inſulæ ripa decem tormentorum ſuggeſtu, ac ſtatutis quatuor ſimilibus machinis huic ſuggeſtui proximis, turrim cubitumque muri juxta Rhenanam quati voluit. Poſtremo utramque oppugnationem inter Hiſpanos, Italoſque partitus, illis Rhenanam, his Nederenſem attribuit. ideoque Mondragoniani partim tranſire in Bobadillæ caſtra, partim in inſulam tranſmittere, Itali in Mondragonii munimenta ſuccedere juſſi ſunt: reliquis nationibus ad hos, aut ad illos, uti res & imperium vocaverit, acceſſuris. Verum antequam oppugnationem aggrederetur, placuit Alexandro, Bavaroque Septemviro, qui tunc venerat in caſtra cum cohortibus aliquot Germanorum, per tubicinem explo-

Oppugnationem urbis bifariam diſtribuit Alex.

Sed ante per tubicinem deditionem expoſcit ab obſeſſis.

2009 Ministerio de Cultura

1586. explorare animos obſeſſorum, vellentne urbem Principi ſuo dedere, an belli eventum experiri. Illi ſex horarum induciis ad conſultationem petitis, iiſdemque protractis, miſſo illinc Peuchnero Centurione, hinc Taſſio, cum Billæo Erneſti conſiliario; negant, ſibi quidquam eſſe cum Bavaro: ideoque ſi Billæus faceſſeret, ſibi cum Parmenſi facilius conventurum. Advenerat illuc ex Italorum ſtatione Parmenſis: conditionibuſq; longe quam ipſi ſperare debuerant mollioribus, finem colloquio imponere conabatur: haud neſcius, MAGNUM temporis reique compendium plerumque fieri, ſi cum Principe tranſigant diſceptantes. Dum hæc agitantur, è mœnibus in Hiſpanorum caſtra explodi cœptum eſt. Mirari primum Hiſpani, inter inducias à Noveſianis hæc fieri: tum irati pluribus in urbem emiſſionibus & ipſi injuriam retorquere. gliſcebatque utrinque pilarum certamen: quum Noveſiani, occaſione, quam forte aucupabantur, inventa, in Alexandrum ipſum, comiteſque ante portam Nederenſem conſultantes, directis ſclopis vim magnam letalium repēte glandium effundunt. Mira profecto res, quæque non abſq; ope Divinæ dexteræ ab inſontium capite ictus perfidorum depellentis, evenerit. Nec Alexandro, nec comitum cuiquam ea plumbi tempeſtas noxæ fuit. Et comites quidem ad hujuſmodi fragorem ſibilumque tranſvolantium pilarum, alios alio fuga ſparſim abripuit, Alexander omnium poſtremus, inceſſu gradario, ac minaci vultu identidem mœnia reſpectans, ſalva majeſtate receſſit in caſtra, liberatoris Dei patrocinium agnoſcens, atque adorans: ſimul de proditorum ſcelere non prætermittendo tacitus ſecum ſtatuens. Interim diſſimulata ira, inhibitiſque protinus ſuorum emiſſionibus, præſertim quod jam tormentis majoribus agi ex Italorum ſuggeſtu cœperat; tubicinem ad repetendum colloquium in urbem remittit: juſſo tamen Taſſio de Gurbernatoris dolo

Illi aliquot horarum inducias petunt ad conſultationem. *Felix. Peuch.* Obtinent.

De conditionibus agitur.

Intervenit ipſe Alexan.

Interim è mœnibus in Hiſpanorum caſtra explodi cœptum eſt:

mox in ipſum Alex. & ſocios:

divina manu mire eos protegente:

Diſſimulat tamen iram in perfidos Alexander: ſolum mittit qui de violata publica fide obſeſſos objurget.

2009 Ministerio de Cultura

lo conqueri, quod ceſſatione armorum petita pactaque, exerceri hoſtilia contra publicam fidem aut imperaverit, aut permiſerit. Quumque Noveſiani paucorum id facinus affirmarent: certe Gubernatorem à culpa eximerent, qui tunc altiſſime obdormiret, excepta eſt cum riſu reſponſio: quaſi vero perſuaderi cuiquam poſſet, dum de urbis deditione ageretur, Gubernatorem ejus, juvenem ubique pervigilem irrequietumque, decretoriam illam horam ſomno tranſmiſiſſe. Nec ideo de conditionibus ultro citroque agitari deſitum eſt. Sed fruſtra colloquium extrahebatur. nimirum animos ſumpſerant Noveſiani, ſedulitatem illam Parmenſis, etiam poſt acceptam injuriam, concordiam expoſcentis, virium imbecillitatem interpretantes: eoque contemptim, & quaſi per laſciviam ad extremum reſpondent. Non eſſe, quod Parmenſis de urbe, quæ nihil ad Hiſpanum Regem pertineat, anxie laboraret. illam Cæſarei juris eſſe: ideoque non poſſe à ſe, inconſulto Cæſare, quidquam ſtatui: ad eum autem conſulendum octo minimum diebus laxari tempus deliberationi oportere. Alexander illudi regiis viribus ſatis jam expertus, quoniam nox appetebat, urbis aggreſſionem indicit in ſequentem diem, quem Apoſtolo Hiſpaniæ tutelari ſacrum, juſtis Hiſpanorum armis fauſtum ominabatur. Et noctem quidem illam quantum in caſtris inter ignium ac tormentorum hilaria, militari cultu Hiſpani celebrarunt: tantum in urbe, combuſtis in medio foro duobus è captivis hiſpanis, truci illa victimarum immolatione litantes Hiſpanorum Sanctorumque odio, Calviniani peregerunt: ignari quam magnum, ac luctuoſum univerſæ urbi ex iis hoſtiarum cineribus, uno poſt die, ſuboriturum eſſet incendium.

1586.

Illorum ad hæc reſponſio cum riſu excipitur.

Reditur nihilominus ad colloquium.

quod obſeſſi varie eludunt.

Ergo Alex. aggreſſionem indicit in ſequentem diem 25 Iul. S. Iacobo dicatum.

cujus noctem Hiſpani quidem religioſe ac militariter:

Noveſiani vero impie & barbare tranſegerunt.

Prima ſtatim luce, è duobus locis, ac præſertim ex inſula, muralibus tormentis omnino triginta, vi ſumma everberari urbs cœpit: perſeveratumque eadem contentione ad horas fer-

Quatitur urbs mane:

2009 Ministerio de Cultura

1586.
Aperitur :

ferme novem. donec quatefactis ab Hiſpanorum
quidem oppugnatione, turris fronte, murique
cubito ad Rhenum : ab Italis autem magna lo-
ricæ parte circum Nederenſem portam : com-

*exploratur aſceuſus ex ruinis.*
*Petr. Aybar. hiſp. Claud. Barlott. VVallon.*

pertoque ex iis, quæ hinc Aybarnes inſtru-
ctor, inde Centurio Barlotta, ſpectatum miſſi,
referebant, facilem per ruinas jam editas ad-
ſcenſum fore ; Alexandri juſſu, conclamato-
que militariter Divi Iacobi nomine, utrobi-

*Aſcendunt hinc Itali.*

que in muros itum eſt. Et Itali quidem Nede-
renſem munitionem, pulſis repetita aggreſſio-
ne defenſoribus, ſtrenue ſubiere. primuſque,
qui conſcenſo, inter plumbeæ grandinis nim-
bum, intrepide propugnaculo, victoriam in-

*Caſ. Guid. Lucenſis qui primus inter eos? Inde Hiſpani. qui inter hos primus?*

clamavit, Cæſar Guidiccionius, eques Hie-
roſolymitanus, fuit : eodem plane tempore,
quo fortiter expugnata ab Hiſpanis Rhenana
turri, in ejus apparuit culmine regium vexil-
lum, quod illuc Alphonſus de Meſa Gaditanus,
geſtans altera manu ſcalas, altera ſignum, in-
credibili audacia primus intulerat. Et licet
uter iſtorum murum inſcenderit prior, diſce-
ptatum ſit, digni tamen ambo, quos muralis
coronæ honeſtamentum promeritos fuiſſe pro-

*Inter utrumque litem componit Alexander. Scipionis exemplo, Liv. lib. 26 & Plut. in vita Alex. & utrumque donis æquat.*

nunciaverit poſt urbem captam Alexander :
Scipionem, credo, ſecutus, qui olim Q. Tre-
bellium, & Sex. Digitium, hujuſmodi ſibi de-
cus in magno militum ſtudio depoſcentes, tan-
quam pariter dignos muralibus ornamentis de-
claravit, induitque : ſic ipſe ſuorum ambos,
diverſa præſertim in parte ceteris antegreſſos,
virtute pares habuit : Hiſpanumque gemmea
ſpira pileo detracta, Lucenſem aurea ſpi-
ca, quam inſigni cum gemma plumæ loco,
pileo geſtaverat, pro murali coronamento

*Captam mœnium partem muniunt Farneſiani contra interiora mœnia.*

donavit. Hac autem murorum parte potitis
utrobique Farneſianis prima cura fuit, ſubmiſ-
ſis lignorum faſcibus, oppletiſque cæſpite &
gleba corbibus ſacculiſque, ſe ſe raptim pro
præſenti copia communire adverſus hoſtem ex
alteris mœnibus (nam gemino mœnium am-
bitu vallatur urbs) ſtrenue propugnantem.

Mox

© 2009 Ministerio de Cultura

Mox aucti campeſtribus aliquot tormentis, 1586.
quæ illuc attolli juſſit Alexander, infeſtis adeo libratiſque ex alto emiſſionibus fatigabant apertos vulneri defenſores, ut & eos à conſilio, quod inierant, invadendæ amiſſæ turris averterint, anxios videlicet defendendæ interioris urbis: & Hiſpani ad prætentandum ultra aditum, aggrediendamque oppoſitam ei, quam tenebant, portam accinxerint ſe ſe. Sed vetuit Alexander, quod ingruentibus jam tenebris tranſmittere foſſam, quæ inter utrumque murum intercedebat, anceps atque intutum foret. Satius habuit, conſiſterent in iis, quas occupaverant, ac munierant turris portæque ſtationibus, & mora unius noctis, diem victoriæ ſuæ teſtem expectarent. Sed raro alias tumultuoſius traducta nox eſt. Plena erant utraque mœnia propugnatoribus: quorum mutuum aſpectum ſubtrahebant tenebræ, niſi quantum brevis fulgor intermicantium ex tormentis ignium, ac relucentes tractim faces tranſvolantium telorum, hoſtem aperiebant, ac ſecuturo mox ictui deſignabant. Inde ſtrenuis ignaviſque par audacia: quod æque in incertum pilas, & ſaxa, & miſſilem ignem, & cæca utrinque vulnera jacularentur. Poſtremo auſi circiter quadringenti, pluteis & cratibus tecti, Cloëto duce, per obſcurum noctis in foſſam clam erumpere, ad Rhenanam turrim, (unde timebatur urbi pernicies) prævio foſſore ſubruendam; perniciem ſibi & urbi propius accerſivere. Namque malleolis, qui accenſi ſpargebantur, detecti, ſubito jactu lapidum, ipſaque turri in ſubjectos magnam partem impulſa, multi miſerum in modum obtriti: non pauci letalibus globis ignem attemperate ferentibus perculſi laceríque: poſtremo erumpentibus eodem Hiſpanis, conſertaque cominus pugna, omnes propemodum internecione deleti ſunt: Cloëto à paucis ſuorum, ſucciſo femore, in urbem rapto. Nec dies lætior, quam nox fuit, oſtenſa obſeſſorum ſtrage in referta cada-

Ex utriſque mœnibus atrox & cæca per tenebras pugna.

Erumpunt in foſſam præſidiarii ad ſubruendam hiſpanorum turrim,

ſed ſuperne miſſilibus obteruntur,

mox eodem deſcendentibus hiſpanis trucidantur.

2009 Ministerio de Cultura

1586. cadaveribus foſſa, & tormentorum tonitru interiores muros impetentium audiri ſtatim cœpto. Iamque aderant delectæ accinctæque ad aggreſſionem cohortes, tanta in excidium urbis indignatione ferociaque, quantam non ita ſæpe in aliorum annalibus quiſquam animadverterit. Impellebat ad ultionem milites diſcrimen Imperatoris ſui, contra induciarum fidem pilis paulo ante hoſtiliter appetiti: tangebat præ aliis Hiſpanos audita ſuorum, in media urbe, crudelis exuſtio: omnes accendebat ſpes manubiarum prædarumque, quarum, ſuper opulentiam mercatorum, conſtabat receptaculum eſſe Noveſium. Nec ipſi ſe jam cives militeſque, pares defendendæ urbi ſentiebant, labefactatis ad Rhenum mœnibus, Gubernatore decumbente, amiſſis præcipuis defenſorum. Et quamquam non deerant, qui læſam Principis patientiam, & irritatam hoſtium ultionem animo reputantes: eoque certi, ex ſe peti ſupplicium non victoriam, deſperata honeſtæ deditionis ſecuritate, ſatius ducebant, militum more pugnando, quam pecorum inſtar, jugulum præbendo, cadere; repreſſa tamen horum deſperatione, ad hoſtilem aggreſſionem mature ſiſtendam, communi nomine Centurionem Riſtaldum, ſigniferumque Gaudentium feſtinato præmittunt, à Parmenſi Principe ſuper deditione colloquium poſtulantes. Sed rejecti ferociter ab Hiſpanis, negantibus ad Parmenſem Principem patere aditum, juſſi ſunt renunciare Cloëto Gubernatori, nuper in ſuorum fœda proditione dormienti, *Intempeſtive illum experrectum eſſe: & nunc dormire Parmenſem Principem.* Cumque aliis ad Nederenſem portam à Cloëto venientibus, deditionemque ſe offerre clamitantibus, idem truci cum riſu ex compoſito reſponderetur ab Italis: (quippe per caſtra convenerat, ea dormientis Parmenſis Principis velut militari teſſera, ſomno Gubernatoris illudere) compertum habeo, Silvium Piccolomine-

*Mane ad aggreſſionem accinguntur cohortes. aviditate furoreque incredibili.*

*cauſæ irarum.*

*Sed cives antevertunt.*

*ac mittunt ad Alex. pro deditione.*

*Rejiciunt illos hiſpani, illuduntque.*

*Idem aliis legatis reſpondetur ab Italis truci cum riſu.*

©2009 Ministerio de Cultura

mineum pro Noveſianis Alexandrum adiiſſe, illoſque paratos ejus clementiæ urbem dedere affirmaſſe. & Alexandrum, qui urbem à ruina ſarctam tectamque Septemviro tradere avebat, & ipſe frumenti vinique copia illic abunde collecta uſurum ſe ſperabat, juſſiſſe adduci ad ſe Noveſiorum legatos, ſimulque admoneri advocarique Septemvirum, ut eo præſente deditio tranſigeretur. Quum re animadverſa, Hiſpani Italique, enimvero ira ſuccenſi, tam inſignem perfidiam, contemptumque hominum ac Divorum, Civitati calvinianarum partium receptrici, impune fore: & (quod multos angebat magis) tam certa opulentæ victoriæ præmia ſibi e manibus eripi; nihil colloquium morati, nec alio quam furoris ſui ductu, Hiſpani primum per Rhenanam portam, ſuperato aggere, quem portæ objecerant defenſores: tum Itali per Nederenſem ruinam proniore aditu, in urbem penetrant: obvios quoſque, nullo ætatis ſexuſve diſcrimine, implacabiliter obtruncant: quantumque conglobati alicubi cives præſidiariis immiſti, armorum objectu nitebantur furentium impetum cohibere, tantum una Itali Hiſpanique, conjunctis jam agminibus, ceu duorum torrentium auctu, ruptis aggeribus violentius ferebantur. Iamque deſertis per urbem ſtationibus, ubique fuga, & par fugientium cædes: ac præter imbelles pueros, atque mulieres, (turbam ſævientibus paratam, niſi illam primarii quique ordinum ductores, Alexandri juſſu, ſacras in ædes compuliſſent;) ceterum non aliud per vias ac fora, quam ſtrata humi cæſorum corpora viſebantur. Nec melior eorum conditio, qui ſe rapide è mœnibus demittentes, partim à Vaſtii equitatu, qui urbem corona cinxerat: partim ab iis, qui per caſtra mœnibus objecta ſtationem agebant, paſſim interficiebantur. At Gubernator Cloëtus, cujus maxime ſupplicium tanquam ſubditi ac rebellis, expoſcebat Septemvir ab Alexandro: præterquam quod

1586.

Alexander tamen admittere illos ſtatuit ob has cauſas.

Sed milites non expectato colloquio,

Hiſpani primum ex una parte: mox Itali ex altera in urbem penetrant;

conjunctique cæde omnis complent:

Eadem ſorte ex urbe fugientes interficiuntur

& Gubernator omnium votis expetitus ad mortem,

2009 Ministerio de Cultura

1586.

quod violator humani juris, & proſcriptus à Cæſare habebatur; necari, feſtinato ad eum Centurione, juſſus eſt. Ad quem lecto jacentem miſſo Societatis Ieſu ſacerdote, cujus opera in eo ſaltem mortis articulo à ſecunda ſe morte præriperet, quum is nihil ſani admitteret ad animum: imo ad ſopiendum rationis uſum, mortiſque ſenſum, ingens vini poculum exhauſiſſet, linteo ad collum injecto ſtrangulatus, atque è feneſtra, quo militibus mortem ejus minaciter efflagitantibus palam eſſet, una cum Calviniano miniſtro, aliiſque nonnullis, ſuſpenſus eſt. At Cloëti uxorem, licet ſpeciem ejus eximiam Alexandro multi commendaſſent, ipſe tamen in conſpectum non admiſſam, cum ſorore puelliſque, addito honeſto comitatu dimiſit. hac quoque continentiæ laude, ipſo quem admirabatur, Scipione non minor. Siquidem ille oblatam inter captivas excellentis formæ virginem ſponſo intactam reddidit: Alexander collaudatæ pulchritudinis captivam ne oculis quidem contingere, nec ullam ex ea voluptatem prælibare ſuſtinuit: Macedoni Alexandro ſimilior, qui Darii uxorem captivarum longe pulcherrimam ſpectari ab ſe paſſus non eſt. Atque adeo veterem ac declamatorum examinatam trutina quæſtionem, Continentiorne Romanus fuerit, perductam ad ſe virginem inviolatam remittendo, an Macedo regiam conjugem ad ſe perduci vetando, Farneſius hoc ſuo non levis ſane momenti calculo, cognomini Regi adjudicavit. Trecenti adhuc armati ſupererant, modicæ miſeræque reliquiæ duorum fere millium præſidiariorum. Hi munitam in turrim confugerant portæ cohærentem contra Burgundorum ſtativa. nec ibi ſatis tuti, miſſis qui deditionem offerrent, quum non audirentur, inde egreſſi, abjectiſque armis ante victorum pedes, eorum ſe clementiæ commiſere. Nec ideo mitigata efferatorum militum ira: ipſoque Altapennio tueri ſupplices fruſtra conato, ad

unum

[Margin notes, in order:]

ſtrangulatus è feneſtra ſuſpenditur.

Quid de ejus conjuge?

*T. Liv. lib. 26.*

*Val. Max. l. 4. c. 3. & alii*

Alexandri circa eam continentia.

*Appion. apud A. Gell. l. 6. c. 8*

*A. Gell. ibidem*

*Alexander*

Præſidiarii, qui ſupererant,

deditionem offerunt,

& clementiam implorant.

© 2009 Ministerio de Cultura

1586.

unum omnes contrucidati ſunt. Quin etiam reperio in Alexandri ad Regem litteris, eo progreſſam militum audaciam, ſane præter morem modumque, ut quum nonnulli ex belli Proceribus, & Colonienſis ipſe Septemvir, ſubducere quoſdam ex ea carnificina voluiſſent, accurrentes illuc milites & quidem gregarii, ac ſemilixæ, nullo diſciplinæ reſpectu, nulla Ducum reverentia, in eorum propemodum manibus miſeros confoderint. Adeo ſanguinis rabies efferaverat animos, ut ſiſti nequirent à cæde, quamdiu qui cædi poſſent, ſupereſſent.

4 *Aug.* ſed trucidantur omnes: nullo Ducum protegentium reſpectu.

Id vero ubi aſſecuti videbantur, inducta in urbem ſolitudine, tunc ad prædas ac ſpolia quaquaverſum diſcurrere, in tecta penetrare, ac ne, uti fit, certamen ipſos inter prædatores exiſteret, manipulatim per celebriores vias diſtributi, alii præ foribus domorum ſtationem agere, alii in conclavia interim irrumpere, arcana quæque rimari, quidquid uſpiam aut auri argentique, aut Gemmarum, aut veſtium eſſet, diripere, ſarcinariis calonibus imponere, cum ſtationariis, conſtante inter prædatores fide, partito dividere. Creſcebatque numerus, tanquam audito claſſico, ad prædas accurrentium. Nam reliquus exercitus, animadverſo captum à ſociis Noveſium, magno omnium impetu hinc admotis ſcalis, inde portis effractis, aliunde ex inſula, feſtinata trajectione, certatim in urbem effundebantur: quum ſubitum urbis incendium avertit illuc feſtinantium prædatorum curas.

Vrbs diripitur.

Sed ignis prædatores inhibet.

Cœpit ea peſtis ab regione ad Rhenum verſa: ventoque immodice perfurente, atque igneos ſparſim globos in diverſa ejaculante, repente corripuit magnam urbis partem, obnoxiis igni domibus intrinſecus ligno plerumque conveſtitis. Acceſſit & nox, malorum additamentum. quippe exitialis flammarum crepitantium fulgor, tectorum decidentium fragor, &, ſuper omnia, miſerorum aſpectus, velut feralium umbrarum tota urbe volitantium,

INCENDIVM Noveſianum



2009 Ministerio de Cultura

1586. tium, atque à debacchante igne in prædabundum militem incidentium, horrorem profecto terroremque vel ipſi armatorum implacabili ſævitiæ incutiebant. Sed nulla, quam mulierum miſerabilior facies: quarum alias templis quamvis abditas ſcrutator ignis invadebat: aliæ templorum ruinam fugitantes, parvorum liberum mora implicitæ, à ſequaci ubique flamma circumveniebantur. Iamque ignis pleramque urbem rapiditate incredibili pervagatus, eadem violentia conſumptis exæquatiſque humi publicis privatiſque ædificiis, inania locorum ſpatia patefecerat. Nec ideo reſidebat pervicax malum. vixque de quatuor Noveſii partibus, tribus incendio laceris, aut ſolo tenus depoſitis, una ſupererat. Quam tamen partem peculiari Cælitum ope voracibus flammis ſuperſtitem fuiſſe creditum eſt. Siquidem ea in domo, ad quam ignis, cetera populatus, primum ſubſtitit, repertum eſt Sancti viri corpus, quod pridem hæreticorum impietati ſubtractum catholicus civis apud ſe religioſe conſervabat. intellectumque eſt, inde finem incendio factum: illuſtrique documento venerabundi elementi, monſtratum eſſe Sanctorum cultum, in ea præſertim urbe, cujus excidium à ſacrarum violatione reliquiarum proveniſſe, multis non inconſiderate perſuaſum eſt. Licet enim Noveſianum incendium, cujus cauſam plerique ignotam habuere, Farneſius ad Regem ſcribens non neget fortuito quidem potuiſſe contingere, ſumpto à munitione principio, in quam multum bituminis, picis, ac ſulphurei pulveris ad ejaculandos ignes, congeſſerant hoſtes. Nec abſimile vero eſſe, natum ea ratione incendium, à militibus ipſis ſero urbem ingreſſis adjutum fuiſſe, invidia, n[a] præda, cujus ſe expertes videbant, Hiſpani, Italique ſoli fruerentur. Immo licet idem a[f]firmet, multo certius compertum, ejus a[u]thores incendii non niſi Noveſianos extiti[ſ]e: idque Gubernatoris uxorem inficiatam non

*Margin notes:* quam magnum fuerit. — Siſtitur non ſine miraculi ſpecie: — Cauſa incendii, — quod caſu videtur excitatum, — & adjutum à militum Invidia: — Potius Noveſiani ipſi authores ejus fuere.

2009 Ministerio de Cultura

1586.

non eſſe. eoque ſpectaſſe & cuniculos furnuloſque per urbem diſpoſitos, & bellicum pulverem ſparſim multis in domibus proſeminatum, & obſtructa puteorum ora, ſitulaſque hauriendis aquis ſubtractas; nempe ut perditis rebus, idem incendium victam urbem victoreſque juxta involveret: aut certe ſolitudine Noveſii facta, non plus urbis poſſideret hoſtis, quam civis amitteret. Addit tamen adhæc Alexander, conſideranti ſibi laborem induſtriamque, quam in extinguendo tectorum incendio & ipſe adhibendam curavit, ne re præſertim frumentaria privaretur: & certatim adhibuere milites hiſpani aliique, quorum intererat, prædas non corrumpi. præterea reputanti animo inſolitam militum rabiem in hoſtem inſatiabiliter adeo ſævientium, ut eos neque Ducum imperia reprimerent, neque ex captivis lucrum tangeret, neque ulla recordatio humanæ conditionis inflecteret; profecto videri, hujuſmodi ultionem, militarem modum ſupergreſſam, altius utique referendam eſſe: agnoſcendamque occultam in eo excidio Divini Numinis manum, unde factum ſit, ut, qua in urbe paucis ante menſibus, Divi Quirini corpus, exterarum quoque gentium peregrinationibus celebre, barbaro Calvinianorum tripudio combuſtum erat; ea demum urbs, Deo Sanctorum injurias ulciſcente, incendio inexpiabili plecteretur. In hunc modum diſſeruit, ſcripta ad Regem epiſtola, Alexander, gratulatus ad extremum ejus Majeſtati victoriam tanto majori gloriæ Regio nomini apud omnes futuram, quanto non ad fines privati imperii dilatandos, ſed ad catholicæ Religionis dignitatem aſſerendam, tuendumque Sedis Apoſtolicæ judicium adverſus exauthoratum Eccleſiæ Colonienſis Antiſtitem, ea expeditio, poſthabito inter hæc Belgio, ſuſcepta eſſet. Atque ita deſiit memorabili fine Noveſium. Vna dies urbem vidit florentem, hoſtiumque contemptricem: altera cædibus, rui-

Sed Alexander in eo incendio

*redimendis.*

occultam Dei manum, ulciſcentis Sanctorum reliquias agnoſcit:

Et victoriam peculiari ratione glorioſam Regi gratulatur:

Vrbs conſumpta

T 2

2009 Ministerio de Cultura

1586. ruiniſque conſumptam ſuis, ac prope nulla
vidit. Quamquam non poſt multo, loci oppor-
reparatur, tunitate, & prædiorum amore frequentiam re-
vocante, priſtinæ celebritati magnam partem
Cæſorum numerus, reddita eſt. Cæſorum in ea numerus haud cer-
to iniri potuit. Ex præſidiariis duobus fe-
millibus, ſuperfuiſſe neminem: ex civibus c
circiter millia, qua ferro, qua flamma occ-
4. Aug. buiſſe fama tenuit. Alexander ex his non
millé & quingentos ad Regem ſcripſit. At mi-
Militum præda: litum præda, Italorum præſertim Hiſpanorum-
que, non magna viſa eſt, quia maximam ſpe-
verant. & vero maximam ceperant, ſi n
eam partiri cum igne, & ipſo prædabun-
Et gloria Alexandri ex celeritate victoriæ. coacti fuiſſent. Alexandro autem (id quod
ſpoliorum loco erat) gloriæ datum repe-
etiam carminibus poëtarum, quod quam u-
bem undecim menſium obſidione fruſtra ten-
verat cum potentiſſimo multarum nation-
Carolus Audax. exercitu Burgundiæ Dux, eam ipſe quatuor in-
1457. tra dies à poſitis caſtris, expugnaſſet.

DONA Pontificia gladium, & galerum. Inter hæc porro plaudentium gaudia, lega-
tioneſque Principum, victoriam Parmenſi gra-
tulantium, opportunum ille duxit, dila-
Pontificiorum munerum ceremoniam, non Co-
loniæ, ut Septemvir optabat, ſed in Noveſi-
nis caſtris, inque ipſo, quod tetenderat apud
Gnadenthall. munitionem Vallis Gratiæ tabernaculo, mi-
tariter celebrare: ut, ubi catholicam Religio-
nem defendiſſet, ibi ejuſdem titulum Defenſo-
ris indueret. Id vero quoniam gratum mili-
bus, quaſi lætiſſima quæque cum eis commu-
nia Imperator haberet, mirum profecto, qua
magno apparatu, ta eorum lætitia, apparatuque peractum ſi
1 Aug. Kalendis Sextilibus univerſus exercitus, ful-
gentibus armis, provolantibuſque ſignis, i
legiones turmaſque militari pompa diſtributus
campos valleſque circa Alexandri Prætorium
late contexit. In Prætorii ſacello Tribuni, pr
mariique Ordinum ductores, quique à Ponti-
accipit Alexander, fice, à Cæſare, ab aliis Principibus, civitatibu-
que legati aderant, propius adſtitere. Ipſe in-

© 2009 Ministerio de Cultura

1586.

ter Erneſtum Bavarum Septemvirum Colonienſem, & Ioannem Cliviæ Iuliæque Ducem medius, poſt adoratum munerum maximum è cælo miſſum Chriſti Domini Corpus, ſumptumque è Vercellenſis Epiſcopi manu ſacris operatis, Gladium gemmeo capulo, gemmeaque vagina radiantem: & Galerum è villoſo ſerico, margaritiſque contextum, Xiſti Pontificis dona, ab ejus aulico Grimano Abbate, patricio Veneto, magnifice juxta, ac reverenter accepit. Addidit muneribus gratiam, qua erat eloquentia, Vercellenſis, expoſito veterum Romanorum Pontificum inſtituto, ea dona in Natalis Domini nocte conſecrandi, catholicoſque ad Principes, uti defenſores Eccleſiæ tranſmittendi. precatus ad extremum, Xyſti nomine, Divinam clementiam, ut illo capitis tegumento, ceu galea ſalutis, Parmenſem ipſum, regiumque exercitum communiret: ac victricem ejus dexteram telo illo, velut Gedeonis gladio, in hoſtes Religionis armaret. toto interim exercitu, lætis tormentorum tonitruis, variiſque ſecuta in nocte ludorum equeſtrium decurſionibus applaudente. Cumulavit militum lætitiam honos & Marchioni Vaſtio, & Ciamplittæ Comiti habitus, Regis nomine, ab Alexandro: quorum alterum ſua ipſe manu torque aurei velleris ornavit, alteri ejuſdem ordinis inſigne in Burgundiam, ne is præfecturam ſuam deſereret, ultro miſit.

*I. Franc. Bonhomius*

*Secretus Xyſti cubicularius*

Nuncio Apoſtolico vim munerum commendante,

cum bonis precationibus.

*Vaſtius*

Ad lætitiæ complementum, duo equites aurei velleris creantur.

*Ciampl.*

Rebus in hunc modum abſolutis, inductoque Erneſto Septemviro in Noveſii, quod igni ſuperfuerat poſſeſſionem; quoniam ex univerſa Colonienſi ditione, Berca tantummodo, atque aliquot minora oppida Truchſeſianæ factionis reliqua erant, ea ut regii exercitus opportunitate ſubjiceret Erneſtus, multis à Farneſio rationibus impetravit. Is itaque Noveſio movens, per viam primo Meurſam, ejuſque arcem, quam pro Adolpho Comite, ejus Vicarius cum centum ac viginti præſidiariis obtinebat: dein Alpenſe caſtrum, totidem fere de-

AD BERCHÆ obſidionem

*Rimberch.*

invitatur Alexander,

*Alexander*

qui capit ante Meurſam;



2009 Ministerio de Cultura

1586.

fenſoribus munitum: tum quæcumque erant ultra citraque Bercam arces oppidaque, in poteſtatem curſim redigit, ac præſidiariis ubique impoſitis, Bercam ipſam ad Rhenum ſitam, quam ideo Reinbercam vocant, copias ducit.

& alia.

Intraverant illam Schenchius, & Morganus: auditoque Noveſii fine, præſidium ad duo peditum millia, & quingentos equites auxerant, atque ad ſollicitandum cum exercitu Leiceſtrium confeſtim miſerant. Igitur antevertens Alexander, diſpoſitis caſtris, obſidione oppidum cingebat.

*Thomas Morg.*

Tum Bercam movet recenti præſidio munitam.

quum feſtinatis nunciis audit, poſt captam Axelam in Flandria, periclitari Aloſtum, omnemque Waſienſem tractum: ac præterea ingentes Anglorum copias obſidendæ Zutphaniæ admoveri. Diſtraxere in partes animum ejus hæc audita: advocatoque belli conſilio, cenſuere alii, Quando illic prompto cum exercitu in armis eſſent, inſiſtendum omnino cœptis: neque permittendum, ut relicto oppido demum uno, ex quo omnis Agrippinenſium provincia divexari poſſet, irriti labores, quos ad eam diem ſuſceperant, redderentur. Plures vero negabant, ſapientis eſſe, aliena propriis anteferre. inſtabatque Taſſius Zutphaniæ Præfectus, ac diſcrimen urbis, ne forte, ſi deſereretur ab Hiſpanis, Hiſpanos ipſa deſereret, anxie repræſentabat.

Sed triſti nuncio in Belgium vocatur:

*capta à Mauritio 20 Iul.*

Conſultat.

*Berca*

Non eundem aliqui cenſent:

Plures affirmant,

Alexander ita rem temperandam exiſtimavit, ut & Berchæ obſidionem, quam longam verebatur, contraheret, ne opem Belgio ſerus afferret: & repreſſis Berchenſium excurſionibus, impacatam Coloniæ provinciam non relinqueret. Eſt in conſpectu Berchæ, medio in amne inſula: quam inter & oppidum, bellicæ aliquot naves, & in inſula ſtatio militaris, ne aditus obſeſſuris per Rhenum pateat, excubare ſolent, Huc ante omnia animum appulit Alexander. Et quoniam ſub eos dies in caſtra venerat Franciſcus Verdugus Friſiæ Gubernator ab ipſo evocatus, & Federicus è Saxoniæ Ducibus à Colonienſi ſubmiſſus cum ſexcen-

Ipſe temperamento utitur;

In inſulam Berchæ oppoſitam,

*Elector*

2009 Ministerio de Cultura

cetis armatis, & majoribus aliquot navigiis; 1586.
horum opportunitate uſus, milites legit omni- armatos immittit,
no mille ex omni natione bello ſpectatos, tra-
ditque Verdugo in inſulam ducendos. Appulſi,
congreſſique cum præſidiariis, pugnam ſimul & fugam inferunt, atque in naves compulſos,
continenti pilarum emiſſione, Bercam uſque proſequuntur. Tum, ut juſſi erant, utque
materies, continuata trajectione, ſubminiſtrabatur, in inferiore inſulæ parte caſtellum raptim excitant, quod deinde tranſmiſſis aliquot tormentis, additoque Germanorum præſidio, firmatum eſt. Nec minus eodem tempore Alexander geminis munitionibus, qua parte Berca campos aſpicit, ædificatis, ac militariter inſtructis, tribus veluti habenis Berchenſium licentiam excurrendi, ab aquis, atque à terra, ita conſtrinxit frenavitque, ut quum inde caſtra movit, Berchæ obſidionem potius laxaſſe, quam ſolviſſe viſus ſit.

qui illam expugnant, & caſtellum in ea excitant.

Idem geminis in continenti munitionibus facit Alexander, urbe fere obſeſſa.

Sed ante hæc Comes Leiceſtrius fœderati Belgii Gubernator, ira dedecoreque accenſus ob Graviam, ac Venlonam ſub oculis expugnatas, novo delectu, inſtante Ordinum ſenatu, pecuniamque ſubmittente, exercitum auxerat, certus occurrere Parmenſi, (ut tunc inaudierat) Noveſium obſeſſuro, aut obſidentem in caſtris invadere. Simul oblata ſpe rei bene gerendæ per Waſienſem Flandriæ tractum, illuc cum tribus armatorum millibus, Mauritium Comitem Naſſavium immittit, addito Philippo Sidnæo ſororis filio, Fliſſingæ Gubernatore. Mauritius Axelam oppidum Haloſtani Comitatus, noctu profectus, muro per tenebras tranſcenſo à loci peritis, minima ſuorum clade oppidum capit. victoria eo memorabilis, quod Mauritio, tanto dein Imperatori tunc primum in aciem prodeunti, militare initiamentum fuit, ſimul & ſpecimen, conſilio illum, ac ſtratagemate, quam aperta vi, dubiaque belli alea clariorem fore. Inde nulla mora interpoſita, Hulſtum Flandriæ urbem copias

Leiceſtrii & fœderatorum progreſſus.

Ille rei neſcius Noveſio ſuccurrere decernit.

Mauritius Axelam capit,

Hulſtum fruſtra tentat.



2009 Ministerio de Cultura

1586.
Maurit.
pias rapit, deditionemque civibus ſtatim impe-
rat. Sed illis defenſionem parantibus, ſimul ac-
currente Mondragonio, arcis Antverpianæ Præ-
fecto, cum auxiliari milite, demiſſo Hollo

Leiceſtrii exercitus *Leiceſtr.*
Mauritius in Hollandiam, Sidnæus ad Leice-
ſtrium rediere. Qui apud Arnemium luſtrato
exercitu, præter fabros & cunicularios omnino
mille, numeraverat octo millia peditum, atque

ex Anglis, Scotiſque,
equitum tria millia. Erant hi Angli plerique,
ac Scoti: quibus ſe addiderant, ductore Hi-

atque ex Hibernis.
berniæ Prorege, Hiberni mille ac quadringen-
ti, è ſilveſtri omnes genere atque ferino, me-
dio tantum corpore ſubter umbilicum velati,
cetera nudi: grallis ſeu perticis, quarum uſus
in trajiciendis amnibus, alte impoſiti, longe
aliis ſuperſtabant, arcubus ac ſagittis mina-

Ductores,
ces. Præerat autem univerſo equitatui Rober-
tus Eſſexiæ Comes, caſtris Willelmus Pelha-
mus, Anglis præcipue peditibus Ioannes Nor-

& comites.
ritius. Comitabantur caſtra Gebhardus Truch-

*Antonius. qui Regis nomen accepit.*
ſeſius, & Emmanuel Antonii Luſitani filius,
vana exercitus additamenta, nec militi grata,

Movet cum his Noveſium Leiceſtrius.
tanquam ſiniſtrum omen ſecum ferrent. Hiſce
copiis adjuncturus eas Raitrum turmas, quæ
Comite Meurſio evocatore expectabantur è
Germania, Leiceſtrius indicta Noveſium pro-

Sed audito illud jam captum,
fectione, Arnemio ſigna movit: præmiſſis cum
militum parte Norritio, atque Cæcilio. Ve-
rum audito, captum jam eſſe à Parmenſi, in-
cenſumque Noveſium, quo tempore ne poſita
quidem circa urbem caſtra opinabatur, & Ber-

conſultat, quo progrediatur.
chæ idem fatum timeri; perculſus adeo tri-
ſti nuncio, incertuſque quo verteret progreſ-
ſos illuc & procinctos milites, in conſilium
primores belli adhibuit. viſumque omnibus,
Haud tutum eſſe, contra victorem exercitum
Bercam ire. poſſe alia oppidum via liberari,
nempe obſeſſa primaria aliqua regiarum par-
tium urbe, ad cujus auxilium non dubie Par-
menſem, poſthabita alienæ arcis obſidione,

Zutphaniam decernunt:
advolaturum. Placuitque Zutphaniam pete-
re, abſente Taſſio loci Gubernatore, atque
ab

2009 Ministerio de Cultura

ab annona non ſatis munitam. Ergo Leiceſtrius, capto prius Duisburgo, oppido ad veterem Iſalam, & foſſam Druſianam ſito, impoſitoque Anglorum præſidio, Zutphaniam à Duisburgo ſeſquihoræ itinere diſtantem cum exercitu contendit. Proſpectat Vrbs, è dextera Iſalæ ripa, hinc cognominem provinciam, inde, trans flumen, Geldriam, & Velaviam. Et ex hac quidem parte ipſe Leiceſtrius obſidendam urbem ſibi ſumpſit: illam Gulielmo Comiti Naſſavio Friſiæ pro Ordinibus Gubernatori, cum Norritio & Sidnæo muniendam tradidit. Naſſavius occupato eminentiore tumulo, caſtra poſuit prope patibuli locum: atque inde ſtrato ratibus ponte, ad Leiceſtriana caſtra trans Iſalam collocata ſibi viam patefecit.

1586. & capto prius Duisburgo. *Zutphania*

Zutphaniam obſident.

Hæc antequam apud Zutphaniam peragerentur, Alexander admonitus capti Duisburgi, Verdugum, Taſſiumque cum parte expeditorum militum illuc properare: alterumque Zutphaniam ingredi, alterum Borcheloæ à Zutphania non longius quinque horarum itinere, opperiri ſe juſſit. Et Taſſius quidem cum peditibus ſexcentis, & duobus equitum ſignis Zutphaniam intravit, totidem ferme in ea militibus ad præſidium repertis. Verdugus autem pedites quadringentos, equitumque turmas duas, quam ille veterem militiam ſecum duxerat è Friſia, circa Borcheloam diſtribuit, munivitque. At Farneſius, qui adhuc ad Bercam hærebat, quamvis multa mentem ejus agitarent, cœptum omittendumque Berchæ obſidium, præſens Zutphaniæ periculum, & nuncius hoſtilium è Germania copiarum; pari tamen hiſce omnibus animo, primum nova Berchenſi obſidioni firmamenta adjecturus, Berca ſtatim movet, animatiſque ad ſubitum iter militibus, eoque juſſis tridui cibaria ſecum ferre, juxta Gaifenſe cœnobium haud procul à Veſalia, validum è navibus pontem Rheno imponit, geminiſque caſtellis claudit, quibus

Sed Alexander ante Zutphaniæ miſerat ſubſidium è Berca. *Taſſius*

Dubitat, an Zutphaniam ipſe eat, an Berchæ ſubſiſtat, an Germanis occurrat.

Diſcedit.

*Veſal*



2009 Ministerio de Cultura

1586. bus Germanico præſidio peditum omnino mille, equitumque ſclopetariorum centum, quos Septemvir Erneſtus miſerat, communitis, Claudium Barlottam cum trecentis Wallonibus præfecit, hominem noti regio in exercitu roboris audaciæque, quique ad depoſcenda pericula qualis mire ipſe projectus, tales ſuos velle milites, eoſque propterea tanquam morti ab ſe devotos, militari vocabulo, *Perditos ſuos* appellare ſolitus. Huic Alexander ante diſceſſum, non ſolum Rhenani, uti dicebam, pontis & caſtellorum, ſed etiam vicinarum tutelam arcium oppidorumque, quæ in Septemviri poteſtatem per Agrippinenſem provinciam redacta erant, attribuit: præcipue admonito, ut intentiore cura, ne quid ſubſidii per Rhenum Bercam adveheretur, excubaret. Tum ipſe, poſt traductum ponte exercitum, oneratis in itinere frumento carris ſupra trecentos, Zutphaniam advehendis, Bocholtum Monaſterienſis ditionis oppidum divertit, expectaturus, ſi certi aliquid de adventu Raitrum afferret, qui exploratum ierat, Camillus à Monte. Sic ille eodem tempore & Berchæ obſidionem è longinquo firmabat: & ſe ſubſidiis è Germania venturis opponebat: & Zutphaniæ non oblitus commeatum civitati parabat. Sed Camillo nullos apparere uſpiam Germanos referente: ſimul litteris à Verdugo certior factus, Leiceſtrium ſpe majorum ex Anglia auxiliorum, admovere propius aggeres ad urbis propugnacula, relicta ad celeritatem parte impedimentorum, Broefortium advolat, inde Grollam prætervectus, Borcheloam, ubi munito prius loco Verdugus illum opperiebatur, accurrit. Neque hic moratus, quippe decretum ei, ante naſciturum diem Zutphaniam ingredi, ut & præſidiarios civeſque præſentia animaret ſua, & munitiones inde hoſtium proſpectaret; Marium Comitem Martinengum præmittit, qui, quod præſidiarius Zutphaniæ pridem fuiſſet, eoque gnarus locorum eſſet, ſua cum turma

Sed interim & novis à longinquo munitionibus Bercam obſidet: *Elector Colonien.*

*Alex.* & parat pro Zutphania commeatum:

& ſe contra Germanos inſtruit.

Sed Germanis non apparentibus, *Zutphania*

Zutphaniam volat:

2009 Ministerio de Cultura

turma iter exploraret. Tum ipſe eadem nocte, neceſſariæ quietis impatiens, cum recentibus ſexcentis equitibus, relictis iis, quibus cum venerat copiis, utpote à via feſſis, nec cum iis facile ante diem Zutphaniam perventurus, iter aggreditur, trecentos ferme currus alimentorum ducens. ac per caſtellum à Leiceſtrianis temere paulo ante deſertum apud valetudinarium incedens, Zutphaniam ſub ortum ſolis ingreditur. Naſſavianis, qui caſtra circa habebant, non auſis per eas tenebras in hoſtem ire, quippe ſuſpicatis univerſi exercitus vires adeſſe. Ipſe autem exceptus omnium gaudio, tanta milites ſecuritate ſui, & hoſtium contemptu præſens imbuit, ut ne Leiceſtrianorum in caſtra prorumperent, contineri urbe vix poſſent. Sed repreſſis, poſtquam ſuas atque hoſtium munitiones procul inſpexit, Centurionem Scotum, qui paulo ante à Taſſio captus erat, ad ſe adduci juſſit: interrogatuſque de Ducis conſilio, militumque numero, vere omnia retulit: addiditque numerari quidem in utroque exercitu tredecim millia peditum, duo equitum, decretum tamen eſſe Leiceſtrio, in aciem non prodire, neque pugnam conſerere, donec aliquot inſuper Anglorum Scotorumque millibus, qui expectarentur in dies, & Raitrum nonnullis equitum turmis, (licet his minus tribueret) non augeretur. Quæ quoniam conſentanea iis erant, quæ aliunde afferebantur; dubitavit Alexander, ſubſiſteretne in urbe, eamque ipſemet adverſus hoſtem defendendam ſuſciperet, (quo magis inclinabat animus) an ad exercitum rediret, ac foris urbi conſuleret. Verum in poſteriorem hanc ſententiam convenere ſtatim omnes: diſſerebatque Verdugus, *Infra dignitatem ejus, regiique exercitus videri, tot victricium copiarum Imperatorem urbe concludi. nec facile exemplis oſtendi, Principem aliquem, aut exercitus univerſi Ducem, ſalutem ſuam intra mœnium anguſtias commiſiſſe. Præterea pro certo ſe habere, ſi attineri intra eam*

1586.

& cum carris alimentorum intrat.

Ibi de hoſtium viribus cognoſcit.

Dubitat an in urbe ſubſiſtat, eamque præſens defendat.

Diſſuadet omnium nomine Verdugus.



2009 Ministerio de Cultura

1586. *urbem Parmenſem Principem fama emanaret ad Angliæ Reginam, aut ad infenſos Germaniæ Dynaſtas, illos collectas quantas maxime poſſent vires, certatim effuſuros ad ejuſmodi prædam capeſſendam, qua una Belgium omne ſubtrahi poſſe Hiſpano Regi non dubitarent. Denique eſſe complures Catholico in exercitu veteranos Duces, quorum virtuti ac fidei ſuæ tutela urbis ſecure credi poſſit, ita non poſſe illos abſque nota offenſionis aliqua præteriri.* Quibus ille permotus, relictis Zutphaniæ quidem ipſo Verdugo, in caſtello autem è regione urbis trans Iſalam, Taſſio; Borcheloam ad exercitum rediit: curavitque annonæ ſubſidium, quod in urbem induceret, feſtinari: namque inductum ne menſtruum quidem erat.

Ipſe acquieſcit, & ad exercitum redit.

Iamque frumentatores, pabulatoreſque è Grolla, Oldenſelia, Linga, Munſtero, atque aliunde tantum annonæ collegerant, ut quater hominum millia trimeſtri ſpatio ali poſſent. Hoc autem ſubſidium quoniam non ſine hoſtium occurſu, conflictuque, proceſſurum facile intelligebat Alexander, ductorem ejus Marchionem Vaſtium nominavit, attribuitque illi pedites bis mille ac quingentos, ex quibus Hiſpani mille, reliqui ex aliis nationibus fuere, vicenis ex unaquaque centuria decerptis. addidit magno quoque delectu equites ſexcentos, pleroſque Italos, atque Epirotas: mandavitque Vaſtio, ut ante ſecundam vigiliam Borcheloa moveret, viamque ita moderaretur, ut ſub ortum ſolis, planitiem juxta pagum Varusfeldium occuparet: atque inde feſtinatis præcurſoribus, Verdugo vicinum ſubſidium ſignificaret. Fecerat hoc prius Alexander ipſe, compoſitaque ad Verdugum epiſtola, & equiti ex leviter armatis tradita, illum præmonuerat de commeatu poſtridie in urbem invehendo, juſſum cum peditibus mille ſub auroram venientibus occurrere. Sed capto equite à Lochemi, hoſtilis oppidi, præſidiariis, tranſmiſſaque ad Leiceſtrium epiſtola, tanto is cautior effectus eſt, quanto præteritum annonæ ſubſidium Zutphaniæ rece-

Annonæ ſubſidium Zutphaniæ inferendum,

Vaſtio committit Alex.

& delectos milites attribuit, *Albaneſi*

*Ante mediam noctem*

certis cum mandatis,

ac litteris,

quæ intercipiuntur ab hoſtibus.

2009 Ministerio de Cultura

receptum angebat magis ejus animum: atque 1586.
(ut fere homines poſt damna prudentiores
ſunt, ac DOCENT plerumque, quæ nocent)
attentiorem in poſterum, & tanquam emendaturum
ſuorum incuriam, ſtimulabat. Confeſtim
itaque delectis tribus peditum millibus,
& equitibus quadringentis, impoſitum
illis Comitem Eſſexium equitum Magiſtrum
jubet prope deſignatum hoſtibus pagum inſidias
tendere, eoſque præterito ſucceſſu audaciores,
atque adeo minore cura inceſſuros invadere:
ſe, cœpto prælio, alam expeditorum
extra ordinem equitum in tempore emiſſurum.
Et jam Vaſtius, præmiſſo ad Verdugum
Centurione Alphonſo Vega, pervenerat ad pagum
Varusfeldium, Zutphania ſemihoræ ſpatio
diſtantem. Præibat ipſe cum turmis aliquot
ſclopetariorum: ſequebatur peditum
agmen ſclopis majoribus, haſtiſque denſum:
ad utrumque agminis latus incedentes ſclopetarii
majores minoreſque, vehicula in medium
excipiebant: paucis poſt equitibus terga defendentibus.
Vix pagum tranſierat Vaſtius,
quum ſubito Eſſexio equitatum ex inſidiis educente,
inter duos equitum Magiſtros pugna
conſeritur, atrox equidem illa, ac perquam
vehemens, quæque diu in belgicorum militum
ſermone verſata ſit, adeo ut, ſi quod ardens
prælium jactantius efferrent, cum Zutphanienſi
occurſu comparare conſueſſent. Quippe
inter veteranos, interque delectos veteranorum,
prælium ciebatur, ideoque neutro inclinatum
aliquandiu ſtetit. Quin ſuperveniente
illinc ſubſidiaria equitum ala, ductore Philippo
Sidnæo, hinc ſtrenue inferente turmales
ſuos Annibale Gonzaga, ac recta fronte concurrentibus,
integratum eſt atrocius certamen.
Cadebant utrinque multi: ipſum Annibalem
equo excuſſum, letaliterque ſaucium pro mortuo
habuere. Sidnæum ardentius in hoſtes intendentem,
vulnus in femore acceptum è pugna
extraxit, poſtea extinxit. Nec procul à pernicie

*Horum copiæ,*

*& inſidiæ.*

*ſquadra volante*

*Quo ordine Vaſtius ſuos ducit:*

*Pugnatur,*

*diu dubie;*

*primores quique cadunt.*



2009 Ministerio de Cultura

1586. cie Vaſtius erat, quem Ducis militiſque partes fortiter obeuntem lata ſecuri aggreſſus Anglus eques à tergo, oppreſſurus haud dubie videbatur, niſi hunc ferrum attollentem, periculum in tempore conſpicatus eques Hiſpanus, directa in pectus lancea medium transfodiſſet. Inclinare interea videbatur turma Epirotarum, capto Georgio Creſcia eorum ductore in hoſtem animoſius invecto. quum Hiſpani Walloneſque ſclopetarii, qui occupatis utrinque ſepibus in militari via, ad latera ſui agminis gradiebantur, paulum progreſſi, complexique in medio hoſtilem equitatum, effuſa hinc atque hinc ſubita pilarum procella, reſtituere illico prælium. Nuſquam tamen acrius obſtinatiuſque, quam circum plauſtra commeatumq; certabatur, collatis illuc immiſtiſque peditum equitumque viribus. Nam quantum regii ſclopetarii vehicula manu ducentes (plauſtrarii enim primo in congreſſu plerique aufugerant) illa promovere ſatagebant, ac præfeſtinabant, tantum hoſtes abſtractis vi loris, territiſque aut ſauciatis equis, eadem retrahebant. Itaque, navis inſtar in portum remis incitatæ, atque inde vento reflante in undas rejectæ, carri ductoreſque prorſum rurſum, fluitante pugna, agitabantur. Nec minorem vehiculis moram equites afferebant, quos Eſſexius addenſatos, ceu murum ultra tendentibus objectaverat. Sed haſtatorum virtus, penes quos fuit eo die victoriæ decus, obicem plane disjecit. conſertæ enim connixæque Hiſpanorum cohortes, valida haſtarum impreſſione in equitatum incumbentes, diviſo penetratoque agmine aperuere viam plauſtris: quibus in limitaneas ſepes, mira celeritate ſubductis, ipſi inter eas & Eſſexianos equites medii, compoſito agmine, conſtitere: dumque hoſtem præliando detinebant, vehicula Zutphaniam verſus feſtinabant. donec acceſſu auxiliarium ab urbe copiarum, Verdugo ipſo ductore, mox aliis cum Taſſio erumpentibus, inductus demum eſt Zutphaniam com-

*Inclinant Epirotæ, capto eorum ductore. Reſtituunt pugnam Hiſpani Walloneſque:*

*ac pugnatur acerrime circum alimentorum plauſtra,*

*quæ demum Zutphaniam inferuntur, 1 Octobr.*

2009 Ministerio de Cultura

commeatus. Et Eſſexiani, quando nullum jam pugnæ pretium erat, ſimul adventare Parmenſem nunciabant, paulatim abſceſſere. 1586.

Parmenſis in itinere de ſuorum ſucceſſu edoctus, atque adeo Zutphaniæ ſecurus, ire ipſe ſtatuit adverſus auxiliarium Germanorum copias. Ad quorum iter explorandum quum jam multos præmiſiſſet, ut erat deliberato conſilio, quo illi cumque locorum eſſent, illuc progredi; audito, eos intra biduum triduumve Lingæ futuros, Lingam expeditionem indicit. aſſumptiſque ſecum mille ac ſexcentis equitibus, peditibuſque ferme totidem, Borcheloa confeſtim abit: ac per Deldemum approperato, die noctuque curſu, Oldenſeliam advolat, inde Northornum, poſtremo ad Amiſiam, juſſis equitibus ſingulos pedites poſt ſe in equos accipere, tranſmiſſo in hunc modum amne, Lingam tenuit. Hic exploratorum indicio cognoſcit de numero deque conſilio Raitrum, eſſe illos in equis circiter duo millia, pedites haud multo tunc plures, ſed plures expectari: omnes tamen, audito Parmenſem ipſum advenire, an porro pergerent, addubitaſſe; præſertim iratos adverſus Comitem Meurſium, quod is certo die æra pollicitus, non ſubmiſſa à Leiceſtrio pecunia, ſubduxiſſet repente ſe, metu ne à deluſis minantibuſque detineretur. Hinc Alexandro in occaſiones intendenti viſum eſt, per hominem fidum ſibi, ac Raitris acceptum, clam explorare eorum mentes, an ſe regiis turmis libenter aſſociarent: non tam quod ea ipſe militia magnopere tunc egeret, quam ut hoſti, ſi poſſet, abſtractas in patriam remitteret. Et res cecidit ex ſententia. Nam poſt auditum Alexandri nuncium, delegatis inde duobus, ut ipſi vocant, Raitemagiſtris, exceptiſque humaniter à Farneſio, de conditionibus cœptum eſt agi: conveniebatque inter eos, quum triſtibus iterum à Verdugo nunciis admonetur, arcem in inſula ante Zutphaniam

EXPEDITIO contra auxiliares Germanos.
Vadit in eos Alexander.
ejus copiæ,
& iter.
*Embs Fluvius*
Explorat hoſtium numerum, & conſilia
turbida in Leiceſtrium.
Inde cum eis amice agit,
ſpe abſtrahendi eos à Fœderatis.
*Alexand. ad Reg. 10 Oct.*

à Lei-

2009 Ministerio de Cultura

1586. à Leiceſtrianis captam eſſe, eumdemque exi-
tum munitioni trans Iſalam Taſſium pertime-
ſcere. Quamobrem intermiſſo haud gravate
negotio Germanos in præſens aggregandi, in
eo inſtitit, idque cum eorum legatis tranſigere
ſatis habuit, ut quem animum erga Auſtriacam
Regis domum oſtendiſſent, eumdem quum
primum è Germania evocarentur, non muta-
tis, in quas conventum erat, conditionibus, re-
*& abſtrahit:* tinerent. Sic ambo aureis torquibus Alexandri
manu induti rediere ad ſuos : qui, quæ acta
erant, conſenſu firmatis, conceſſere omnes in
*inque patriam redire perſuadet.* patrias domos. Et Alexander hoc interim læ-
tus, quod ne ſtricto quidem ferro, eam hoſti-
bus cladem intuliſſet, ut eo die Leiceſtrius
quatuor ſuorum millia deſideraverit; ipſe quo
*Ipſe Zutphaniam ſtatim repetit.* venerat itinere, Borcheloam quam celerrime
reverſus eſt : relicto Vaſtio, qui aliquot carris
frumento onerandis inſiſteret, novam inde an-
nonam Zutphaniæ illaturus.

*Prius Zutphaniam Leiceſtrius aggreditur,* Verum hæc ipſa redeuntis Alexandri feſti-
natio, ubi Leiceſtrio audita eſt, ſtimulus eidem
fuit feſtinandæ aggreſſionis, qua caſtellum
trans Iſalam Velaviæ obverſum jam preme-
bat, non ſine ſpe loci potiundi, cui ob captam
inſulam, afferri ab urbe ſubſidium ægre poſſet.
auctuſque peropportune novis Anglorum co-
piis, tantum & tyronum robore, & veterano-
rum induſtria demum valuit, ut quamvis ſemel
*& expugnat ejus propugnaculum, mox & arcem ipſam.* atque iterum à defenſoribus rejectus, tamen
propugnaculum ad caſtelli latus adjunctum,
tertium aggreſſus expugnaverit : mox & ca-
ſtellum ipſum, quod capta ea munitione de-
fendi haud poterat, Taſſio cum præſidiariis ſub
noctem Zutphaniam abſcedente, in poteſta-
tem redegerit. Qua quidem in expugnatione
non ego prætererim duorum militum in utriſ-
que partibus facinora, priſcis profecto æquan-
da, ſi nos, ut veterum admiratores ſumus, ita
noſtrorum invidi, certe incurioſi non eſſemus.
*Facinus inſigne Toletani militis,* Disjecta propugnaculi, de quo dicebam, fron-
te, ardebat inter oppugnatores defenſoreſque

ſævius

2009 Ministerio de Cultura

ſævius certamen. Defendebat ejus partem Toletanus miles ex turma Verdugi. nomen haud proditum: unde tota hominis gloria in patriæ nationiſque decus ceſſit. Hic prætenta minaciter bipenni haſta, dum hoſtes aſcenſu arcet, infligitque in audaciores paſſim vulnera, ipſe non integer; grandiore hoſtis gladio in vertebram adacto, dextera ei manus obtruncatur. Retinuit is tamen haſtam manu altera: paulumque ſe prælio ſubtraxit, non ut pluenti ſanguinem brachio fomentum quæreret, ſed ut hoſtibus malum adornans, haſtam mutilato brachio alligaret, adſtringeretque. Quo facto, ad pugnæ locum ſimilis furenti ſe ſe referens, brachium læva adjuvans ac moderans, tanta non dexteritate modo, quamquam ſine dextera, ſed vi etiam niſuque vibrare ac intorquere bipennem haſtam cœpit, ut non manu imminutus una, ſed auctus plane tertia videretur. perſtititque alios cædendo, aut ſauciando, alios inſolita ferocia miniſque perterrendo: nec ante à prælio deſiit, quam hoſtes, deſperato ex ea parte aſcenſu, ſimul & aliunde repulſi, irrita tunc quidem aggreſſione diſceſſere. Eat ad poſteros hujus quoque bellatoris fama cum Attilio Cæſaris milite, veterum præconiis decantato: qui navali ad Maſſiliam prælio, abſciſſa gladio dextera, quam puppi injecerat, umbone ſiniſtræ geſtamine tamdiu obvios ègit, ac vultu terruit, dum navem pulſis hoſtibus victor obtinuit. Nempe uterque miniſterium amputatæ manus virtute ſupplevit: ſed ille uſum dexteræ amiſſæ in lævam tranſtulit, hic ne in amiſſa quidem relinquens percuſſori locum gloriandi, ſuam manui vim reſtituit, vulnuſque ipſum in hoſtem ferocius armavit. Vt profecto Toletanus non infra Romanum facti gloria, quandiu nomine carebit ſuo, in Attilii cognomentum adoptari merito poſſit. Sed apud Anglos felicior militis virtus fuit. Redierat jam tertium ad eamdem munitionem oppugnandam Leiceſtrius: pluribuſque quam antea

1586.

*Alabarda*

Ejus cum Cæſariano milite comparatio: *Val. lib. 3. Sueton. & Plut. in Vit. Cæſaris*

*Attilius Toletanus*

Par quoque factum Angli Centurionis,

2009 Ministerio de Cultura

1586. antea muralibus machinis quatefactam, certatim hinc Angli Belgæque invadere, inde Hiſpani Walloneſque defendere conabantur. Ducebat Anglorum manipulum Eduardus *Stanlæus* Stanlæus; properuſque capti decus propugnaculi præripere manipularibus ſuis, partem ruinæ intrepidus aſcendebat. quum obvius hoſtis directa in pectus haſta ſubeuntem transfixiſſe credebatur. Sed is injecta celeriter in haſtam manu, non modo ictum à pectore ſubmovit, ſed eadem ambabus manibus apprehenſa, vi ſumma niti cœpit, ut aut illam è manu hoſtis extorqueret, aut hoſtem ipſum pertinacius adhærentem haſtæ, ad ſe pertraheret. Contra alter tanto validius contentiuſque renitebatur, quanto eripi ſibi telum impatientius ferebat. Tunc Eduardus, quoniam à concertatore, ſeu loco ſeu lacertis prævalente, evinci ſe, attollique à terra ſentiebat, mutato ex occaſione conſilio, dum alter quantis maxime poteſt polletque viribus haſtam ad ſe trahit, ipſe aſtu vires eluſurus, laxato retrahendi conatu, elevari ſe cum haſta ſinit, adjuvanſque niſum attrahentis hoſtis, ſaltu emicat in murum: tantumque ludificatis defenſoribus improviſo illo aſcenſu terrorem injecit, præſertim ſecutis ducem manipularibus, ut deſerto poſt leve prælium propugnaculo, in caſtellum aufugerint, atque inde Zutphaniam, non expectata, uti dicebam, aggreſſione ſe receperint. Eduardus autem complexu, ac laudibus exceptus à Leiceſtrio, creatuſque non ſine dotativo auratus eques, propugnaculi gloriam, nova ſcandendi machina ſuperati, à militum plauſu reportavit: docuitque NON SEMPER virium contentione rem confici: eſſe interdum, ubi cedendo, atque obſecundando, altius aſſurgatur. Sic Leiceſtrius expugnata ante urbem inſula, captiſque ac munitis quaquaverſum caſtellis, non minus à ſe obſeſſam teneri Zutphaniam, quam Bercam à Farneſio, gloriari poterat, ſi (quod hic caverat Berchæ) novi rurſum

plauſum inde magnum ac dona conſecuti. *600 Floren.*

com-

2009 Ministerio de Cultura

commeatus ſubvectionem arcuiſſet à Zutphania. Namque ubi Vaſtius multa cum annona, aliquot poſt Alexandrum diebus, Borcheloam venit; iterum in urbem commeatus, Alexandro ipſo ductore, pugnæ copiam hoſtibus offerente, ſed Leiceſtrio dum germanica deeſſent auxilia detrectante, invectus eſt. In quo Fœderatorum Proceres, civitatumque Magiſtratus non ſine querimoniis conſilium Leiceſtrii admirabantur: quod ad hæc accerſenda Germanorum robora, quorum acceſſu ſiſti potuerunt ejuſmodi ſubvectiones in urbem, ipſi animo nimis quam lento ac vario fuiſſet: pecuniamque ad Germanos evocandos ab Ordinibus abunde numeratam, alios in uſus erogaſſet: adeo, ut multi ſuſpicarentur, in ſpeciem à Leiceſtrio quæſitos è Germania milites: nempe vereri illum nimia ejus nationis ſtudia in Naſſavios, inque Holachium Germanum hominem, quem ipſe palam averſaretur; ideoque augeri exercitum germanica militia noluiſſe. Sed erumpebant aliunde complures Ordinum, ac in primis Hollandorum querelæ adverſus regimen Leiceſtrii: quod in arces, atque in oppida Gubernatores contra patrium morem induceret: quod locorum præfecturas, diſtracta in plures juriſdictione, confunderet: quod in Anglos ſuos, nullo provincialium reſpectu, honorifica, & quæſtuoſa quæque tranſmitteret. neceſſarium prope malum, & cuique nationi, quæ ſe externorum dominationi ſubjiciat, expectandum. Has porro querimonias quum non modo jactari per Belgium, ſed etiam in Anglia, Reginæ ad aures admoveri Leiceſtrius plane ſciret; non omittebat ipſe, ejuſque aſſeclæ contraria in vulgus ſerere: ſubmiſſiſque ad Reginam litteris, Fœderatorum Proceres uti inconſtantes, intoleranteſque externi regiminis inſimulare. Acciditque per eos dies aliquid, unde accreſceret Leiceſtrio concepta pridem ſuſpicio, ne provinciæ, Anglorum pertæſæ redire in gratiam cum Hiſpano cogitarent.

1586.
*Farneſius*
Commeatus Zutphaniæ rurſus invehitur,

magnis Ordinum querelis in Leiceſtrium, non accerſentem præſidia Germanorum.

*apud Reid. lib. 5.*

Aliæ eorundem querimoniæ adverſus regimen Leiceſtrii,

& Leiceſtrii in illos:

2009 Ministerio de Cultura

1586. Inde ejus ſuſpicio, ne provinciæ Regi reconciliarentur. 24 *Mart.* Iuvit ſuſpicionem officium Poloni Regis, è *Soc. Ieſu* conantis hanc reconciliationem Ordinibus perſuadere, *Stephanus* Rex hiſce litteris.

rent. Etenim paucis ante menſibus Stephanus Bathoreus Poloniæ Rex, bello ac pace inclytus, rogatu Alexandri, miſſo Chriſtophoro Gloshovio nobili aulico à ſecretis, Hollandos Zelandoſque commonuerat, ne commercia navium è Poloniæ regnis in Hiſpaniam, Luſitaniamque, & Galliam commeantium retardari paterentur. Per eam occaſionem, ſuaſu in primis Antonii Poſſevini, magnæ apud Regem promeritæque authoritatis, viſum eſt Principi egregie pio, eoſdem ad concordiam adhortari, litteris ſeorſim additis, per Staniſlaum Sobocium militarem nobilemque virum perferendis. Quarum partem litterarum (namque ad Parmenſem Principem exemplum earum Rex ipſe tranſmiſit) hic ego attexere non gravabor. Poſtquam enim priſtinam eorum felicitatem, præſentemque excuſſo Regis imperio calamitatem memoraſſet, quamquam dolere ſe dicit, quod ſpe ceciderit, qua ſibi perſuaſerat, poſt captam Antverpiam, provincias ad obſequium, debitamque Principi ſuo obedientiam redituras; omittere tamen noluiſſe, quin eos hortaretur, ne diutius bellum protraherent, hæſurum haud dubie ſemper intra eorum viſcera, ipſiſque, liberiſque, conjugibuſque, ac fortunis ſuis exitiabile futurum. Quod ubi multis diſſeruit, cauſam ſuſcepti conſilii ſui ſubjicit in hæc verba. *Quod autem Gratitudines veſtras hortaremur, non curioſitas aliqua noſtra, vel quod rebus alienis immiſcere nos velimus; verum graviſſimæ quadam cauſæ nos impulerunt. Ac in primis, quod etſi remotiore inter nos vicinitate disjuncti ſumus, humanum tamen, & ab officio Chriſtiano non alienum aut remotum eſſe judicamus, rebus alierum optime conſultum velle, & de periculis eos præmonitos habere. tum quod Gratitudinibus veſtris multarum rerum commercia noſtris cum hominibus intercedunt. denique quod plurimum totius Chriſtianæ Reipublicæ intereſſe arbitramur, ſedari inteſtinas iſtas turbas: neque Sereniſſimum Regem Catholicum, Principem potentiſſimum, iis diſtineri, quominus* vires

2009 Ministerio de Cultura

*vires ſuas contra Chriſtiani nominis hoſtes convertat.* Cum hoc litterarum exemplo peculiarem epiſtolam Rex adjunxit, tradiditque Thomæ Saillio Poſſevini aliquandiu comiti in Belgium redeunti, gratias Alexandro perhumaniter agens, quod Balthaſſarem fratris ſui filium regia inviſentem caſtra, uſumque militiæ è Farneſiana ſchola addiſcere cupientem, officioſe ſuſceperit: juvenemque, quandiu in Belgio fuerit, ejus fidei commendatum cupit. Hæc autem, quæ agitabantur, Leiceſtrio comperta, quamquam à principio illum non magnopere ſollicitum habuere, quod proceſſus inde nullos obſervaret; perculere tamen additis ad eundem movendum lapidem aliunde machinis. arcanis ſiquidem è Germania litteris certior eſt factus, rogatum fuiſſe Cæſarem à multis Imperii Principibus, ut diſcordiarum incendio, inter Catholicum Regem, & Fœderatos Belgas in dies magis inardeſcenti, proximamque Germaniam ſenſim afflanti, aliquid remedii afferre dignaretur: & Cæſarem, deſignata jam legatione, decreviſſe cum provinciis agere, ut Principi ſuo reconciliatæ, finem aliquando imponerent ejuſmodi bello, quod tam multos Chriſtianæ Reipublicæ Principes damnoſe involveret, cum magno Germaniæ Imperiique periculo, ſi forte Hungariam, inter hæc vicina rerum turbamenta, communis hoſtis invaderet. Quin etiam ubi Leiceſtrius comperit, non ſolum legatos à Cæſare nominatos eſſe Salentinum Comitem Iſemburgenſem, & Othonem Bilantum Dominum Rederenſem, qui cum Parmenſi Belgarum Gubernatore, & cum Fœderatis provinciis agitarent: & Coloniam, ſedem conventui proponerent; ſed etiam provincias congreſſus hujuſmodi præter morem non aſpernari; tunc vero Anglorum tædio id fieri ratus atque ad ineundam cum Hiſpano concordiam Belgas addictúros animum ſibi perſuadens, Eliſabethæ aperuit omnia, ſatis hinc cauſæ

1586.

Addit ad has litteras, alias ad Alexandrum pro fratris ſui filio, *è Soc. Ieſu*

Eamdem ſuſpicionem firmant *Leiceſtr.*

audita Germanorum Principum conſilia:

Et decreta Cæſaris legatio ad Hollandos ſuper ea concordia:

Ex quibus Leiceſtrius occaſionem captat accuſandi Ordines apud Reginam.

*Leiceſtr.*

2009 Ministerio de Cultura

1587. ſæ nactum ſe eſſe arbitratus probandi apud illam conſilii ſui, ſi minus Belgis fidere, ac pleraſque arcium præfecturas Anglis tantummodo credere voluiſſet. Verum hæ Poloni Regis, ac Cæſaris curæ ſucceſſu caruere: & Angliæ Reginam parum illis motam accepi, non ſolum quod hujuſmodi legationes officioſe magis quam anxie inſtitui à Principibus interpretaretur: & Hollandos Zelandoſque crederet, molares eſſe præduros ac prægraves, qui ab aqua niſi rapide immiſſa non evolvantur; ſed etiam quod alia tunc ei mens eſſet, urgeretque domi major in dies cura, indicto regni conventu de Mariæ Scotorum Reginæ cauſa celebrando. Ad quem quum Leiceſtrius ante omnes evocaretur à Regina: ac ſatis jam expertus eſſet, poſt belli adverſa, minus ſibi venerationis in Belgio exhiberi; occaſionem haud neglexit ſubtrahendi ſe pauliſper à Belgarum præſentia, apud quos (ut ferme VICTIS nova clades eſt aſpectus ſuorum quaſi exprobrantium) ſe ſignari oculis, factaque ſua ſermonibus everberari, non ultra ſuſtinebat. Itaque Hagæ in frequenti ſenatu, expoſita diſceſſus ſui cauſa brevemque reditum, & validiora ab Reginæ liberalitate ſubſidia pollicitus, deligendum proponit; cui Gubernatoris vices, dum ipſe aberit, committantur. Ac præcipuos quoſque percurrens, Mauritio imparem ætatem obtendebat: Holachium bonum militia haud negabat, ſed faſtu immodicum, nec amicis quidem tolerandum: Meurſium præfectu ris Geldriæ, Zutphaniæ, Tranſiſelaniæ, atque Vltrajecti oneratum implicitumque diſſerebat. denique præter Anglos, homini Anglo placebat omnino nullus. Nec inter ſuos in Norritium, quamvis veterem partium Tribunum, magnopere inclinabat, pronior in Guillelmum Pelhamum, in Rolandum Iorcum, atque in Guillelmum Stanlæum, quos ut beneficiis affecerat, ita ſecurius inter beneficia ſua

Sed Regis ac Cæſaris officia irrita fuere.
Et Angliæ nihil illis mota eſt,

ſatis aliunde ſolicita.

*Novemb. Menſe*
Revocatur Leiceſtrius in Angliam,

non invitus.

Diſceſſum ſuum in Senatu pronunciat:

diſſeritque de Gubernatore, qui abſentis vicem ſuſtineat.

Non probat niſi Anglum.

2009 Ministerio de Cultura

ſua imperium deponebat. Verum quum Anglorum nemini ſenatores belgæ accederent, placuit ab hiſpanis Belgii Gubernatoribus exemplum petere: quibus Belgio aut vita abeuntibus, Reipublicæ cura regio ſenatui credi conſueverat, à quo provinciæ, Regis nomine annuloque adminiſtrarentur; ita in ejus qualicumque abſentis mora poſſe committi Rempublicam Ordinum ſenatui, qui cunctis in actis decretiſque, Leiceſtrii ſignum ac nomen uſurparet. Ita rebus compoſitis, Leiceſtrius, ſcriptis ad provincias litteris de regimine per abſentiam ſui ſenatoribus relicto, in Angliam diſceſſit, Procerum nonnullis palam offenſus, populo, cujus patrocinium præſeferebat, acceptior. Et Parmenſis Zutphania jam profectus, quam commeatu ad quinque minimum menſes ſuffecturo, & bis mille præſidiariis contra vim hoſtium famemque communierat, ſæviente jam hieme, Bruxellas abiit. Qua in urbe cives excepturi reducem, poſt aliquot jam menſes, Graviæ, Venlonæ, Noveſii, aliarumque arcium munitionumque victorem, multa publicæ argumenta gratulationis apparaverant. Sed nuncius paulo ante allatus de obitu Octavii Parmæ ac Placentiæ Ducis, luctu omnia corrupit. gaudiorumque loco, milites triſtium ſecundorumque conſortes, lugubri pompa communionem doloris obtulere pro allevamento Imperatori ſuo. Ipſe autem, compoſitis de patris obitu litteris ad Pontificem Xyſtum per Comitem Anguiſciolam, (quem ſuo novi Ducis nomine præſtare Pontifici obedientiam voluit) & ad Rodulphum Cæſarem per Soragnæ Marchionem: & ad Philippum Regem per Comitem Nicellium perferendis; Regem ſupplex oravit, liceret ut ſibi per clementiam ejus in Italiam redire, reſque ſuas aliquando reviſere. *Civitatum illarum ſtatum, ut ferme novum, atque à turbidis ingeniis non ſatis adhuc firmum, valida regentis manu opus habere. Octavii* *men-*

1585. Sed non accedentibus ſenatoribus Belgis,

vicarium regimen Senatui committit,

& abit. 26 *Novembris*

& Alexander Bruxellas redit,

feſto apparatu excipiendus.

Sed morte Patris gratulationem reſpuit. Deque ea docet Pontificem, *Alexand. Com. Anguiſc.* Cæſarem, Regem: *Io. Petr. Com. Nicell.* Atque ab hoc reditum in Italiam petit his de cauſis.

2009 Ministerio de Cultura

1586. *mentem periculoſo regimini parem fuiſſe : quam-*

Mortua Febr. ante ejuſdem anni.

Ranut. & Odoard.

*quam nec adverſus illum ſeditioſorum machinamen-
ta ceſſaſſe. eo extincto , & Margarita Auſtriaca pa-
rente dominaque ante virum prærepta , ſupereſſe
quidem liberos , ſed ætate experientiaque minores :
& Cardinalem patruum , multa prudentia , at ſe-
nio gravem , urbaniſque muneribus implicitum. Si-*

Alexand. Farneſius Cardinal.

*bi decretum antea fuiſſe , inter ea armorum diſcri-
mina tamdiu ætatem agere , donec , vel cum vita
jactura , Belgium Regi ſuo reſtitueret , nunc , quando
unus ipſe qui domus ſuæ privatis præeſſe rebus publi-
ciſque poſſit , à filiis , atque à populis evocetur ; æquum
exiſtimare , ſeu Principem , ſeu patrem ſe cogitet , ſuos
utique non deſerere , dummodo Majeſtas ejus , cujus im-
perio vitam ipſe ſuam filiorumque perpetuo manci-
patam habet , ſuſceptum conſilium non abnueret.*

Non impetrat ,

Sed abnuit Rex ; tribuſque hac ſuper re epiſto-
lis , poſtquam & conſolationem ob mortem pa-
tris , & pro reportatis ea æſtate victoriis , gra-

Rege ita reſpondente. pr. Dec.

tias miſcuiſſet ; in una earum , *Conſiderantem ſe ,*
ſcribit , *quanti referat , non omitti ab eo provinciam ,
quam in manibus habet , regitque ſummo cum Reli-
gionis regiarumque partium beneficio , indulgere illi re-
ditum in Italiam non poſſe. Nam quod ad ipſius domus
ac populorum neceſſitates attineat , jubere illum om-
nem animo ſollicitudinem exuere : quippe ſe non alio
prorſus affectu curaque in res Farneſiorum , quam in
ſuas ( quando uti ſuas vere habeat ) inſpecturum.
Poſtremo cogitare eum debere , ſi intra paucos dies
utroque parente orbatus ipſe ſit , ſupereſſe ſe , qui ei-
dem utriuſque loco ſit futurus.*

Alexander , non deſperato in aliud tempus

1587. reditu in Italiam , interim audiendis popu-

MISSIONIS caſtrenſis auxilio Alexander auget militarem diſciplinam.

lorum controverſiis , firmandæque in pri-
mis militari diſciplinæ , quæ illi cura perpe-
tuo cordi erat , anni principium ſedulo im-
pendit. Et habuit , unde per eos dies de re
caſtrenſi unice mereretur. Qui litteras è Moſ-
covia ab Rege Battoreo ad Parmenſem Du-
cem attulerat Thomas Saillius è Societate
Ieſu , juſſus ab Rege fuerat , arcana quædam ,

Author ejus ,

haud tuto conſignanda litteris , cum eodem
com-

2009 Ministerio de Cultura

communicare. In eo iterato ſæpius congreſſu, quoniam viri prudentiam ac ſanctimoniam Dux mirifice probaverat, placuit eum deligere, apud quem animæ noxas, earum pœnitens expiaret. Habuitque exinde Saillium ad extremam uſque vitam conſcientiæ ſuæ moderatorem. Hinc aliqui ex aulæ belliqueProceribus, ſive hominis ſuavitate capti, ſive Ducis gratiam hac quoque imitatione captantes, eumdem ad ſacras confeſſiones adhibuere. Quin & per exercitum celebratus (namque ad gregarium quemque pari alacritate ejus caritas porrigebatur) expeti à multis ad hoc miniſterium cœptus eſt. Gratum id Alexandro, qui jampridem meditabatur ex eo religioſorum hominum ordine, certum aliquod inducere in caſtra ſubſidium animarum. Etenim noverat, ſæpe adhibitos, cum magno præliantium ac præliorum bono, Societatis Ieſu Patres à Gubernatoribus Albano, ac Requeſenio. Viderat, quanti eorum operam feciſſet Auſtriacus. expertus ipſe jam erat, illorum dexteritate, & quadam tractandi hominum animos peritia, multa in caſtris perſanata, quæ deſperatæ curationis habebantur. Acceſſit ejuſdem gravis abalienatio à Sacerdotum compluribus ex iis, qui legionibus veluti curiones adjungi ſolent: quod illorum aliquos hæreſi aſperſos, aſpergenteſque eadem labe legionarios: non neminem ab hoſtibus pretio emptum, adque ad eos explorata tranſmittentem certo compererat. Igitur aliis in horum locum inductis, ad rem certius ſtabiliendam, egit cum Saillio, ut in eam operam ſocios ex ſuo ordine complures evocaret. Evocati ſunt è variis Collegiis Sacerdotes omnino duodecim, ac totidem Sacerdotum adjutores, in quibus honeſti aliquot juvenes ejuſdem Societatis candidati. Hoſce omnes in familiam ſuam Dux primum admiſit, ac pro domeſticis habitos ære ſuo aliquandiu aluit. poſtea regiis libris illorum nomina inſcribi voluit militarem in modum;

1587.
& occaſio.

Patres Societatis Ieſu adhibere ſtatuit Alex. ad hoc militum auxilium:

exemplo præcedentium Gubernatorum, *Io. Auſtr.*

& præſertim tali occaſione.

*Cappellani*

*Cæſar Palazzolus in milite Eccleſiaſtico*

Evocat eos in caſtra,

ſuis primum,



©2009 Ministerio de Cultura

1587. post regiis alimentis ſuſtentandos. certiſque eleemoſynis ( eæ fuerunt nummi aurei ducenti quinquaginta in ſingulos menſes) ad ſubſtentandam vitam, ſtipendiorum loco attributis, ſacrum manipulum legionibus immiſcuit. Factum & Philippus Rex magnopere

Rex factum probat.

probavit, & ſecuti per Belgium Gubernatores pari omnes cura tenuere: haud dubie intelligentes, æquum non eſſe, abſque peculiari auxilio præteriri catholicos milites: qui, quod nos ſuorum objectu corporum defendant, plus aliis commerentur: quodque inter quotidiana mortis pericula verſentur, præſentiore animæ ſubſidio opus habent. Atque hoc eſt, in quod novæ huic cohorti ſedulo incumbendum fuit, viris ad eam rem accurate delectis, qui & firmitudine animi, & robore virium, & peritia linguarum, juvando variis è nationibus militi pares eſſent. Porro in hunc modum diſtribui primum cœpti. Saillius apud Ducem, alii partim in legiones ſparſi, partim in tormentorum ſtatione collocati: in itinere peculiaria illis plauſtra ad ſacram ac domeſticam ſupellectilem attributa: in caſtris ſuum eiſdem tabernaculum ſeorſim erectum, quo, quantum per publicas curas liceret, identidem convenire poſſent. Idem autem omnibus ubique labor, inſinuare pietatem in caſtris, & cum Ducis induſtria in exercendis varias per artes militibus, concertare: ut diſciplinam quantum ille bellicam, tantum ipſi Chriſtianam exigerent: dumque ille militiæ legibus, ipſi Chriſti præceptionibus bellatores imbuerent: eodemque tempore Dei timorem insererent iis, quos hoſtibus timendos Imperator efficeret. Sed nuſquam intentius hoc certamen exercebatur, quam inſtante ad hoſtes expeditione. Tunc enim ordinum præfectis reficere cibo corpora, armore ferro exercitum, ſpe prædarum, & acceſſione gloriæ, animare ſuos ſatagentibus: iſti animarum inſtructores partes ſuas interim ducebant, eodem frequenti expiatione delictorum, tamquam

Munus ac labor eorum, in caſtris, Dux in expeditionibus,

quam depoſito onere expeditiores, & Divini 1587.
refectione Panis, hoc eſt immortalis armaturæ munimento tutiores, in prœlium emittere; publicis ante concionibus, privatis alloquiis, inſtitutis ſupplicationibus, atque aliis divinæ iræ placamentis; cæleſtem pugnaturis opem polliceri. At vero quum mota utrinque acie, infeſtis ſignis concurrebatur: aut in mœnia obſeſſæ urbis, facta impreſſione, conſcendebatur: aut adverſus invadentem ſcandentemque hoſtem urbs defendebatur; tunc ſacrorum horum militum conſtabat opera, & par operæ fructus. Sacerdotum adjutores obſervatis qui ſaucii pugnam deſerere cogebantur, ad eos per furentes quaquaverſum pilarum emiſſiones conferebant ſe, ac manu prehenſos, aut ſi incedere nequirent, in humeros ſublatos ad Sacerdotem deducebant: apud quem, accerſita medentium ope, corporis ſimul atque animæ plagis curatio intendebatur. Quod ſi qui milites in ipſo pugnæ loco animam agerent, non deerant ex hoc Sacerdotum numero animoſiores, qui capitis ſui periculo alienæ ſaluti poſthabito, illuc per cæſorum cadavera proreperent, pugnantibuſque & cadentibus immiſti, morientibus in tempore adeſſent, illaque decretoria æternitatis hora, delictorum veniam impertirent. ut quorum vitam ſua cujuſque militaris virtus, ac Imperatoris induſtria ex hoſtium manibus non ſervaverat, eorum animas culpis expiatas è tartarei prædonis ore ſubtraherent. digni corona tanto, quam civica, illuſtriore, quanto ſervaſſe civem non qua parte morti debitus eſt, ac brevi moriturus, ſed qua immortalis, parque Cælitibus habetur; profecto præſtantius, nec paulo perennius beneficium eſt. Vt mirum non eſſet, ſi hæc Patrum caritas, ut amorem iis venerationemque per exercitum conciliabat, ſic eiſdem aditum latius aperiret, unde militaris licentia ſæpius repreſſa: rixæ, ac nationum certamina, (qualia inter armatos, & gloriabundos facile con-

*In acie & pugna.*

*Laborum fructus.*



2009 Ministerio de Cultura

1587. ſeruntur ) in hoſtium perniciem melius traducta: injectus militibus ardor ulciſcendi contumelias in Dei Sanctorumque imagines ab hoſtili impietate inferri ſolitas. quin etiam per hujuſmodi occaſiones auctus in caſtris Sanctorum cultus, eorum nomina in expeditionum tutelam aſſumpta, Magnæ Matris imagines vexillis militaribus adjunctæ, atque adeo animati per ea milites, velut admiſſis in ſocietatem belli centuriatiſque Cælitibus. Hæc autem fovebat in primis Alexander, invento ſuo quotidie lætior. Atque ex uberiore fructu, quem rei militari inde provenire præſens agnoſcebat, ad expeditiones quoque maritimas adhibere ſacrum hunc ſalutaremque manipulum opportune ſtatuit. Nec poſt multo ad hiſpanæ claſſis adventum trajecturus britannicum mare, quatuor ac viginti ex eodem ordine ſelectis, ac Dunquercanas in naves diſtributis, non leve inde ſubſidium navigaturo in Angliam bello deſignavit. Et quamquam ea tunc belgicarum navium tranſmiſſio effectu caruit, Parmenſis tamen Ducis conſilium tenuit, & exemplum valuit: donec poſt aliquot annos, adnitente Marchione Spinula, claro illo per Belgium armorum Duce, cura claſſiarios navalemque turbam in maritimis expeditionibus adjuvandi, Iſabellæ Archiducis ſolenni diplomate, Patribus Societatis demandata eſt. Sic terra marique bellum ſequi cœpere Patres, certa ſacrorum procuratione attributa. magnis quidem ipſorum laboribus, multis in utroque bello diſcriminibus, campiſque ac maribus ſæpenumero eorumdem cruore conſperſis; ſed magno quoque caſtrorum claſſiumque bono, quorum felicitas non magis interdum armatis præliantium corporibus; quam exoneratis animis, tanquam prægravantium mercium jactu, comparata eſt. Sane Aytonæ Marchio, prudens acceptuſque Belgarum populis Gubernator, quum in bellico ſuorum Senatu, multa in Hollandorum militia multi col-

*Ad maritima quoque deſignat eos Alexander:*

*& publico diplomate adhibentur, 1623.*

*non ſine magnis eorum diſcriminibus,*

*ſed paricum emolumento.*

*Dictum magni viri ſuper hiſce miſſionibus.*

2009 Ministerio de Cultura

collaudarent, reſpondiſſe fertur; Vtcumque illa ſe haberent, una in re Hollandos ſuperari, miſſione caſtrenſi: ob quam vel ſolam ſperare ſe, Deum fortunaturum Catholicorum arma. Atque hoc eſt celebre illud in belgico exercitu militaris diſciplinæ additamentum. 1587. *ex lib. 6 Imag. p. Sæculi*

In hujus autem procuratione, novum ingredienti annum Alexandro, uti dicere paulo ante incœperam, multa feliciter obvenere. Siquidem intra menſem arx Wova, caſtellum ac munitio apud Zutphaniam, atque urbs Daventria, in poteſtatem venere. Et in Wovam quidem arcem valide munitam haud procul à Bergis ad Somam, Marcantius Gallus, armorum eo loco præfectus, ſive odio incitatus adverſus Firminum Wovæ Gubernatorem, à quo (uti rara ferme eſt inter militarem, civilemque præfecturas concordia) jampridem diſſidebat: ſive allectus pecunia à Steenbergæ Præfecto, Alexandri nomine promiſſa; Firmino abſente, præſidiarios à Steenberga milites induxit: ipſe ejuſque centuriæ duæ ad Regis ſe militiam tranſtulere, ſexdecim aureorum millibus donati: quam tamen ſummam reperta ibi annonæ armorumque copia exæquavit. At vero ex Daventria, urbe Tranſiſelaniæ principe, ac poſt Antverpiam, atque Amſtelodamum, emporio totius Belgii celeberrimo, quantum regiis partibus acceſſit? Præerat urbi cum præſidiariis mille ac quadringentis, Anglis ferme atque Hibernis, Guillelmus Stanlæus, nobilis Anglus, Comiti Leiceſtrio adeo carus, ut quamvis Catholicum eſſe, ac Hiſpano Regi militaſſe Comes non ignoraret, tamen Daventriam illi credere, diſſentientibus Fœderatorum pleriſque, non dubitaverit. Is poſtquam Taſſio Zutphaniæ Gubernatori conſilium reſtituendæ Regi Daventriæ aperuiſſet, ſola, ut ajebat, conſcientia permotus; Taſſiuſque Parmenſi præſens indicaſſet; cum Taſſio convenit, ut ſecum de remuneratione pretiove,

Felices Alex. ſucceſſus.

Wova arx deditur,

à præſidii præfecto. *Berghopzom*

deditionis cauſa,

& merces.

Daventria, *Overyſel*

Præfectus ejus Stanlæus

cum Taſſio agit de tradenda urbe.



2009 Ministerio de Cultura

1587. quod præterquam à Deo, admiſſurus non erat, nequaquam ageretur: tantum caveretur urbi, quam Hiſpanus nulli civium noxius intraret; præſidiariis vero, ſi qui Regis in partes ſecum tranſirent, illico ſtipendia ſolverentur. Ita condicta nocte, aperta ab Hibernis rei conſciis porta, Taſſius ac ſexcenti pedites, equiteſque quadringenti admiſſi ſunt: deductique velut amicam in urbem, forum adeo pacato agmine tenuere, ut Magiſtratus, ac civium plerique, accitas à Stanlæo Hibernorum cohortes ad muniendam urbem exiſtimarent. Sed ubi Taſſium agnovere, & captam urbem; trepidos, ac fugam molientes ſiſtere Stanlæus Taſſiuſque juſſerunt, ſecuros inductis copiis nihil hoſtile in quemquam parari, ſolum quæ Regis ſint, repeti. atque hac una tantummodo cauſa motum ſe ad dedendam urbem Stanlæus adjunxit, non autem largitionibus, aut honorum titulis, proditorum pretiis: quæ, quamvis oblata, reſpuerit, uti aliena à majorum ſuorum claritudine, vitaque ſua. nec queri quemquam poſſe, fidem ab ſe fractam; quando eam nulli Magiſtratuum obligatam haberet: & obſequii, quod uni Comiti Leiceſtrio addixerit, obligatione ſolutum ſe ab eodem, teſtes eſſe litteras, quas protulit Comitis manu exaratas. Sic ille ratione ſui reddita, non tamen perinde ab omnibus accepta, in Regis militiam tranſgreſſus cum præſidiariorum parte (fuere illi omnino ſexcenti) deditæ urbis regimen aliquandiu tenuit, donec in Hiſpaniam ab Rege accitus eſt. Præmiſſis autem litteris Alexander commendaverat apprime Regi inſolitam viri moderationem, addictumque Religioni ac Majeſtati ejus animum, dum ſpoliatus licet ab irata Angliæ Regina ob Daventriæ jacturam, fortunis ſane non modicis: raptiſque inſuper in carcerem uxore filiiſque; paratum ſe tamen oſtenderet, hujuſmodi occaſiones amplificandæ Religionis vita ipſa mercari. Ideoque Regem oraverat, ne permitteret, tantam animi magnitudinem inhonoratam regio in

*Margin notes:* hiſce conditionibus. — Intrat ea n Taſſius — nulli civium noxius. — Stanlæus facti ſui rationem docet, — poſt abit in Hiſpaniam, 21 *April.* — litteris Alexandri commendatus.

©2009 Ministerio de Cultura

in exercitu monſtrari: ſed quam ille facti ſui 1587
mercedem ab una Dei manu expectaverit, hujus interim pignus à manu Regis, æmula Divinæ benignitatis acciperet. ut, ſi non hominis, certe virtutis, atque adeo exempli habita fuiſſe ratio videatur. Sic ille æque magnanimus, dum manu instructa calamo, contra Regis ærarium pro virtute pugnat: ac dum armata gladio, pro regiis opibus decertat adverſus hoſtem. Quo die Daventria, eodem caſtellum apud Zutphaniam traditum eſt Taſſio à Rolando Iorco Eboracenſi: quem cum octingentis peditibus, & equitibus centum, loco impoſuerat Comes Leiceſtrius, ut ex ea munitione & Zutphaniæ immineret, & Velaviam tueretur. Addixerat hic quoque Hiſpano Regi jampridem operam ſuam, ac Bruxellis ab Alexandro captis, in Antverpienſi obſidione perquam ſtrenue arma tractaverat. Inde in Angliam reverſus, regiis partibus magis relictis, quam damnatis, Reginæ ob virtutem bellicam honorifice habitus, ac Leiceſtrio Belgium petenti inter militares comites additus eſt. mox arci ad Zutphaniam præfectus (contra quam agi cum refugis debuerat, qui ſecurius habentur immiſti aliis, quam impoſiti,) nactuſque occaſionem, cujuſmodi aliquam circumſpectabat animo, ac Parmenſi jam ſignificaverat, cum Taſſio rem tranſegit. Atque ubi primum audiit, Daventriam veniſſe in Regis manus, ſparſo de induſtria inter ſuos rumore, creditoq; adventare victorem Taſſium cum Hibernis Regi adjunctis, ſimul præſidiarios Zutphanienſes erumpere; ſimulato metu fugam ſuaſit, ac primus arripuit, relicto propugnaculo. quod defenſoribus vacuum, ſed largo commeatu, ac majoribus aliquot æneiſque tormentis à Leiceſtrio communitum, Taſſius intravit. Rolandus ad Farneſium profectus cum turmalibus ſuis non diu Catholico in exercitu militavit, veneno, ut ajunt, extinctus. Hi porro complures conjunctique rerum felicium ſucceſſus tanto gratius Alexandro accidebant, quanto nulla ſuorum jactura, nulla

*Alexand.*

Caſtellum apud Zutphaniam,

Rolandus ejus præfectus

deſerit ſimulato metu:

& ad Alexandrum accedit:

poſtea extinguitur.



2009 Ministerio de Cultura

1587. caſtrorum aggerumque mora aut impendio, nullis aggreſſionum ac præliorum periculis, tradita repente victoria fruebatur. quaſi hoc eſſet, relicta hereditate uno die impune diteſcere, non per incerta & longa mercaturæ diſcrimina lucrum facere. Quamquam hoc quoque ſubitarium vincendi genus, ut ſua negotiatione plerunque non caret, ita non tam felicitati, quam ſolertiæ Imperatoris accedit.

DISCORDIA inter Anglos & Belgas. *6 Febr.* Se invicem dubiæ fidei inſimulant,

Augebat Alexandro lætitiam, quod, ut ad Regem ſcripſit, provideret animo, accepta hoſtibus damna magnam fore inter Anglos & Belgas materiam querelarum. Neque enim Belgas omiſſuros, quin, ſicut Angli poſt amiſſam Graviam Belgarum nationi vecordiam dubiamque fidem, ſcriptis etiam libellis, objecerunt, adeo ut Leiceſtrius dicere auditus ſit, Nullius ſe arcis ſecurum, cui Anglus non præeſſet; ſic Belgæ paria in præſentia referentes, Anglorum gentem perfidiæ ac proditionis inſimulent, ex quo ſperari poſſit, exaſperatos in hunc modum nationum animos in apertas brevi diſcordias erupturos. Nec diu diſtulere, quin erumperent.

Et apud Reginam Angliæ, litteris contendunt.

Etenim poſtquam litteris è Belgio ad Reginam querulis, ad Leiceſtrium audacibus: ex Anglia reſponſionibus modo ambiguis, interdum aſperis, aliquandiu certatum eſſet: Ordinum Proceres præſenti jactura perculſi, & futurorum metu anxii, partem authoritatis Leiceſtrio abrogandam, ſibi, Comitique Mauritio aſtruendam, decreto ſanxere.

Belgæ abrogant Leiceſtrio authoritatem:

allegatiſque ea de re ad Reginam, atque ad Leiceſtrium nunciis, utrumque ſubmiſſe rogaverunt, ut factum tanquam præſens unicumque remedium opprimendis proditionum initiis, quæ paſſim deprehendebant, excuſatum vellent: veniret ipſe Leiceſtrius, haud dubie conſilium ei, & cuicumque ſalus Reipublicæ cordi ſit, probatum iri.

offenduntque Reginam, & maxime Leiceſtrium.

Verum nec Regina æquo id animo accepit, quod hujuſmodi remedium peti à prudentia ſua maluiſſet: & Leiceſtrius palam offenſus, rediturum ſe in Belgium primo negavit:

2009 Ministerio de Cultura

gavit: mutavit tamen poſtea ad amicos ſcribens, *Sibi quidem multis Procerum injuriis irritato ſatis cauſa eſſe, Belgarum curam ab ſe rejiciendi; tamen innocentis populi, ſibique cari commiſeratione motum redire decreviſſe.* Quæ, aliaque in hanc ſententiam, ſicuti Leiceſtrio conciliabant populi ſtudia adverſus Ordinum Magiſtratus; ita diverſis Regina litteris quotidie fatigabatur: dum alii Leiceſtrii defendentes acta, culpam avertebant in Belgarum Proceres, qui regere ipſi ſe nequirent, & rectorem pati nollent. alii, quidquid domi atque inter arma peccatum eſſet, ambitioni ſuperbiæque Leiceſtrii, conſiliorum intolerantis adſcribebant. Itaque quum & in Belgio ſciſſis fœde provinciis, aut favore, aut odio in Leiceſtrium inter primores ac populum certaretur: & in Anglia à Senatoribus aulicisque varie attolleretur, deprimereturve Leiceſtrii regimen, Reginæ viſum eſt, in Belgium mittere Thomam Sachvillum Burchuſti Dominum, primarium Senatorem, qui diſſidiorum cauſis inquiſitis compoſitiſque, viam Leiceſtrio, ſi remittendus videretur, emolliret. Sed hic nonniſi poſt menſem ſolvit ex Anglia. Interim Eliſabetha, quæ dedecori ducebat ſibi Angloque nomini, res Belgarum, poſt ſuſceptum eorum patrocinium, domi militiæque in deterius quotidie verti, plures emiſſura in Belgium ac validiores copias, magnam pecuniæ ſummam in Regni conventu popoſcerat. quam, quia ſignificatum ſibi fuit, nunquam è populis exigendam, ni ſententiæ in Mariam Reginam Scotorum latæ executionem imperaret; ipſa occaſionem inde feſtinandæ regiæ cædis aut habuit, aut quæſivit. Quo id autem modo peractum ſit, quoniam ſuper Mariæ fine, miris partium hinc odiis, inde ſtudiis hodieque concertatur; ego ſecura inter infenſos & addictos narratione, in medio ponam, intermiſſo paulum rerum ordine, non ut opus varietatibus diſtinguendo, amæna Lectoribus deverticula conquiram,

1587.

Quem Belgarum alii defendunt:

alii accuſant.

Ad has controverſias componendas mittit Regina Senatorem in Belgium:

& pecuniam poſcit à ſuis ad exercitum augendum:

*Tit. Liv. l. 9. id facere ſe non negat.*



2009 Ministerio de Cultura

1587. ſed ut facti memorabilis hiſtoria, quæ noſtro adnexa eſt operi, incorrupta ad poſteros fide, quoad per me liceat, extendatur.

DE MARIÆ Scotorum Reginæ morte.

Et profecto rara unquam vel in tragicorum ſcenas Regina prodiit, quæ nobiliori gratiarum comitatu, in admirationem amoremque ſui: dein lugubriori ſpectaculo in commiſerationem & lacrymas theatra converterit. Nata eſt Maria Iacobo Stuarto, centeſimo quinto, ut Scoti numerant, Scotorum Rege. Ipſam quatuor Regnorum inſignia ornavere, ſed forma, cui parem ea ætate fuiſſe nullam memorant, digna Europæ totius imperio habebatur. Æquabat decori corporis ſpeciem verborum gratia, quam excellenti promptoque ingenio, non formæ, tanquam ejus lenocinio captus, imputares. Sed ſuper omnia Religio fuit, & erga veteres ſacrorum ritus, Sedemque in primis Apoſtolicam reverentia: uti ejus addecebat heredem regni, in quo tres & octoginta Scotiæ Reges eadem fidei conſtantia obſequioque in Chriſti Vicarium floruere. Septimo poſtquam nata eſt die, regnare Maria cœpit, amiſſo patre. adeo ad cunas ipſas exornandas præfeſtinaſſe viſi ſunt regales tituli. Octavo menſe diadema regni, ſceptrumque inter feſtas populorum acclamationes accepit. Statimque coronas, & regias filiorum nuptias hinc Henricus Octavus Angliæ, inde Henricus Galliæ Secundus obtulere. Quin etiam ad haſce nuptias armata ſunt regna: Scoti gravi propterea bello terra marique ab Anglo laceſſiti, à Gallo adjuti, à Legato Pontificis animati: qui Roma miſſus, ad Scotos, ut in avita religione perſiſterent, adhortandos; viſa regia infante, laudaſſe eos dicitur, quod pro cæleſtiſſimæ indolis Principe adverſus obſcœna hæreticorum monſtra bellum gererent, relaturi non paulo plus ſolidioris gloriæ, ut ajebat, pro hac Helena, quam pro Græcia relatum eſſet apud Trojam. Deſponſa decimum Franciſco, Henrici Regis filio, Galliæ Del-

Vetus ejus origo regia, *Scot. Gall. Angl. Hibern.*
Regales tituli,
Forma,
Ingenium,
Religio.
Infans Regina
coronatur.
Vxor expetitur à multis,
etiam armatis.
Legati Pontificii de ea præconium. *Patriarcha Venet.*
*Henr. II.*

2009 Ministerio de Cultura



MARIA STVART, D. G.
*Scotiæ Regina et Douag. Galliæ.*

2009 Ministerio de Cultura

2009 Ministerio de Cultura

Delfino, atque illuc armis traducta, inter nuptiarum ſolennia, Reginæ Scotiæ, atque Angliæ, atque Hiberniæ titulum aſſumpſit, Henrici ſoceri ſuaſu: quod mortua per eos dies Maria Angla, Hiſpani Regis uxore, affirmaret Henricus, non ad Eliſabetham Henrici Octavi ſpuriam, ſed ad Mariam Stuartam, Iacobo Quinto Henrici nepote genitam, pertinere Angliæ regnum. Retinuitque aliquandiu eam appellationem mortuo ſocero, inaugurata conſecrataque Galliæ Regina. Atque hinc duci cœpta ſunt fila funereæ illius telæ, quæ infelici ſternenda ſuggeſto, Mariæ ſupremis parabatur. Etenim Eliſabetha ad Angliæ regnum aſſumpta, Stuartæ jampridem æmula invidaque, ubi audiit, illam miſtis Angliæ, Galliæque inſignibus, utriuſque regni Dominam appellari, ut ferme POSSESSORES malæ fidei timor poſſidet, verita ne per Gallorum potentiam attentaretur aliquid in Anglia, turbandum ſibi Scotiæ regnum diſtrahendumque abſente Regina, exiſtimavit, occaſionem apprime tunc nacta. Nam Iacobus Stuartus Iacobi Quinti nothus, Catholicæ Religionis, ac monaſticæ familiæ deſertor, quum Moraviæ in Scotia Comitatum inſane ambiens repulſam ab Regina ſorore paſſus eſſet, odio inflammatus præſidium ſibi quæſivit ab hæreſi, ubique parata turbantibus. Aggregatiſque ſibi, quos Calviniana licentia jam allectos in Scotia, eoque Mariæ adverſaturos intelligebat; ſacrum ordinem, quaſi merito illum deſeruiſſet, inſectari, templa, ac cœnobia evertere: in opulentos Eccleſiæ reditus invadere, ſacraque inde pecunia multos Nobilium ineſcare: demum impetrato à nimia ſororis facilitate Moraviæ Comitatu, ſpes ſuas attollere: ac mortua Guiſia regni pro abſente filia moderatrice, mortuoque poſtea Franciſco Galliæ Rege ejuſdem marito; Scotiæ regimen ſibi polliceri, ac tractare cœpit. Hinc illum & Angliæ Reginam facile junxit commune in Mariam odium,

1587. Galliæ Delfino deſpondetur, aſſumpto trium Regnorum titulo.

Galliæ Regina conſecratur.

Ægre fert Eliſabetha aſſumptum à Scota titulum Angliæ Reginæ;

Inde Scotiam turbat, per Iacobum Regis Scotiæ nothum: *Prior Monaſterii S. Andreæ* qui religionis deſertor, *Maria Stuarta* & hoſtis,

regimen Scotiæ pro abſente Regina invadit: *Maria Guiſia*

Iuncto fœdere cum Eliſabetha.



2009 Ministerio de Cultura

1587. junĉto fœdere cum Eliſabetha. *Moravius Regina* in utroque regno religio cadit.

odium, & propria cujuſque utilitas. Ictoque fœdere adverſus Catholicos, quibus dominantibus neque hæc diu tueri ſe poſſe regnum, neque ille adepturum ſe aliquando ſperarent; vetus utrobique Religio miſeris ſane modis labefactata: ac duo præſtantiſſima Europæ regna, una hinc ſpuria inſtigante, unoque inde notho adnitente, à complexu Eccleſiæ, legitimæ matris, abſtracta ſunt. Et Maria quidem, cujus non minus perculit animum Religionis in Scotia, quam in Gallia mariti Regis interitus, in Scotiam reverſa nullum præſentius remedium objicere turbatoribus regni, quam conjugium & ſpem ſobolis, meliorum perſuaſione, decrevit.

Redit propterea in Scotiam Maria,

& ſpargit novi conjugii famam ad terrendos hoſtes.

Quamobrem evulgato Mariæ conſilio, jamque variis legationibus expetito certatim matrimonio, præſertim à Cæſare pro Archiduce Carolo, atque à Philippo pro Carolo Hiſpaniæ Principe, intercedere protinus Angliæ Regina, perque Moravium Mariæ ſuadere, ne maritum extra inſulam quæreret, conata eſt. Nec illa diſſentiebat, quæ jam animum adjecerat ad Liviniæ Comitis filium, Henricum Stuartum Darlæi Dynaſtam. Cauſa hujus conſilii fuerat, quod Darlæus genitus ex Henrici Septimi Angliæ Regis nepte, ſecundus heres Angliæ regni habebatur. ideoque reputaverat apud ſe Maria, poſſe illum, ſi ex potentioribus Angliæ familiis uxorem duceret, Anglorum viribus ſubnixum ſibi aliquando negotium faceſſere ad ſucceſſionem. Accedebat decora juvenis ſpecies undeviginti annos nati, par morum ſuavitas, & à Catholica Religione commendatio. Itaque feſtinavit accerſere illum ex Anglia, ubi cum patre extorri à patria jampridem agebat: fruſtra conjugium improbante Eliſabetha, ac Darlæi loco Leiceſtrium Comitem offerente. non ut Leiceſtrium Stuartæ junctum vellet, hunc enim deſpondiſſe jam ſibi Eliſabetha ferebatur; ſed (præter ea quæ alibi memoravimus) ut, dum moras nectendo, alium alio pelleret, nec alium, nec aliquem

Multi illam expetunt: *Maria*

*Lenox*

ſed illa in Darlæum inclinat,

ob has cauſas.

19.

Leiceſtrium offert maritum Eliſabetha:

callide.

2009 Ministerio de Cultura

quem ad extremum induceret. id quod ad firmandum ſibi Angliæ ſceptrum ipſa referebat: & Moravii in primis intererat, ne Scotiæ & præſens regimen, & devoratum ſpe regnum amitteret. Sed jam illa properato matrimonio, ac filio poſtmodum aucta, quem Scotiæ atque Angliæ Regem vidimus, quantum ſollicitudinis Angliæ Reginæ Scotiſque rebellibus incuſſit, tanto ipſa validioribus inſidiis, ſtruente Moravio, involuta eſt: ſparſo in vulgus rumore, decreviſſe illam, firmato jam prole regno, veterem ſacrorum cultum reſtituere, atque Eccleſiæ bona in pleroſque Nobilium tranſlata, ab uſurpatoribus repetere. eoque à conjuratis proceſſum eſt, ut armis palam ſumptis, mox, quoniam aperta vis improſpere ceſſerat, occulte diſcordiis inter Reginam Regemque jactis, ſed brevi compoſitis: denique Darlæo Nobilium conſpiratione perfide interempto, viduam Reginam in poteſtatem aliquando redegerint. Neque hic ceſſatum. Nam Iacobus Epburnus Botvelii Comes, Scotici maris Præfectus, quem Moravius ad cædem Regis incitaſſe, eidemque promiſiſſe Reginæ nuptias eo conſilio ferebatur, ut invidia regiæ cædis apud Mariam inextricabilis adhæreret, ſi ipſa cum mariti interfectore matrimonium contraxiſſet; hic inquam Botvelius poſtquam iiſdem authoribus, quibus ſcelus patraverat, eſt abſolutus; armata militum manu Reginam Sterlino redeuntem invaſit: ac nuptiarum promiſſa proferens publicis Procerum tabulis obſignata, ad conjugii aſſenſum adegit, non ante tamen, quam ipſe operam ſuam pro Catholicæ Religionis inſtauratione cum Regina ſociandam, ſacramento multis coram obligaſſet. Hoc autem ubi à primariis Calvinianæ factionis auditum, verſis in odium ſtudiis, concitaque plebe, Botvelius regiæ cædis author, Pontificius ſatelles, patriæ proditor vulgo proclamatur. & gliſcente rebellium armatorum numero, Regina quum ſe imparem ſubitæ inopinatæque aggreſſio-

1587.

Maria tamen Darlæo nubit, & filio augetur.

*Iacobus VI*

Creſcunt turbamenta Regni, hac Moravii arte.

Armis ac dolis agitur.

Darlæus Rex interficitur.

Ipſa cogitur nubere Botvelio Regis interfectori:

qui ſi religionis defenſorem Reginæ promittit.

Ex quo odium in Botvelium,



2009 Ministerio de Cultura

1587. greſſioni videret: ac ſperaret, elapſo Botvelio, tumultum facile ſedatum iri, clam illum emittit, conniventibus hoſtium ducibus, quippe veritis, ne capto, vocatoque ad quæſtionem Botvelio, ipſi regiæ cædis ſocii renudarentur. Nec ideo quievere: quin etiam Reginam, quæ rejecto multorum obſequio ad ejus tutelam certatim confluentium, in rebellium caſtra ſponte proceſſerat, impacati aggrediuntur, captamque in privatas primum ædes, dein necis in maritum patratæ inſimulatam, in arcem quam arctiſſime cuſtodiendam inducunt. Hic Maria, quum à Moravio triſtiora in dies, ac ſuprema expectaret, fideli ſubditorum opera virilem veſtem induta, ex arce fugam arripuit. Ac varios poſt caſus, commiſſumque ad eam retrahendam prœlium, ubi ſe ab inſequentium inſidiis expeditam ad Regni fines vidit, incerta animi quo progrederetur, quum comitum alii Belgium petendum, alii Galliam ſuaderent; ipſa, cunctis magnopere diſſuadentibus, Angliam antepoſuit. Mota dicitur ad hoc conſilium capeſſendum, recordatione promiſſæ opis ab Eliſabetha: quæ paucis ante annis, ſecti adamantis partem alteram Mariæ dono mittens adjecerat, *Si quando bipartita illius gemma ſymbolum remitteret in Angliam Maria, quibuſcumque circumventa neceſſitatibus; ſtatim ſe eo monitore excitatam auxilium ei, quantum expectari à ſorore poſſet, allaturam.* Sed nimirum FACILIUS ſectus adamas iterum coire, quam diſſociati animi contentione religionis & regni, coaleſcere inter ſe poſſunt.

& ejus fuga.

Regina in arcem captiva deducitur.

Inde habitum mentita fugam arripit.

incerta quo ſe conferat,

Angliam anteponit, *Flor. Remund. l. 6. & alii* ob hanc cauſam.

Hac datæ fidei & hoſpitii teſſera ad Eliſabetham præmiſſa, in Angliam ſecura pergebat, quum à militari Tribuno obviam facto, paulum ſubſiſtere, Reginæ Eliſabethæ nomine, rogatur. Inde in Bortonum pagum deducta, appoſitiſque cuſtodibus cincta, tunc ſero ſenſit, ac damnavit credulitatem ſuam: tantoque magis, quanto mox dicendam ad cauſam coram Eliſabetha de Darlæi cæde, qui Londini natus ad

Maria in itinere ſiſtitur.

& uti rea evocatur ab Eliſabetha.

2009 Ministerio de Cultura

ad Reginam Angliæ pertinere videbatur, evocata eſt. Quod illa averſata primum, dein teſtata, Reginam ſe nulli mortalium, uni ſolum Deo, & Chriſti Vicario ſubjectam; Legatos ſuos ad illud tribunal non tanquam ad judicium, ſed ad colloquium emiſit. Ibi multis ſane argumentis, & confeſſione famulorum Botvelii, qui ob eam cædem ſuſpendio necati Mariam inſontem inſciamque, populo coram, teſtati ſunt; (uti hoc idem poſtea Botvelius ipſe captus à Danis in quæſtione juravit) Maria à ſuſpicione objectæ cædis, omnium qui aderant judicio, exempta eſt: immo in altero etiam conventu ſuper eadem re indicto, rejecto in accuſatores, Mortonum in primis atque Moravium, crimine, propius ſupplicio fuere, qui ſupplicium intentaverant. Quamquam Mortonus ſupplicium diſtulit, non evaſit. ſiquidem aliquot poſt annis, Darlæi cædis manifeſtus, ob idque juſſu Regis Mariæ filii, ſecuri percuſſus, Mariæ innocentiæ teſtis fuit. Nec Moravius in hac Darleanæ cauſæ retractatione abiiſſet impunis, niſi multo ante ab inimico interemptus, ſpiritum, quem patibulo debuerat, præfeſtine reddidiſſet. Verum primis hiſce ad Mariæ exitium fruſtra tentatis, occaſiones dein aliæ non defuere. Pontificiæ Pii V litteræ diro Eliſabetham anathemate ferientis, regnorumque jure ſpoliantis: mota in illam in boreali Anglia nobilium arma: fama nuptiarum Mariæ cum Thoma Houvardo Nolfolciæ Duce: auditus Albani Ducis adverſus Angliam belli apparatus in Belgio, atque inde tranſmiſſus in inſulam Marchio Vitellius: hæc ſimul omnia comperta, & tanquam ad Scotiæ Reginam liberandam, & in Angliæ imperium, oppreſſa Eliſabetha, ſuſtollendam comPoſita, novum ei ſeveriuſque judicium intenderunt. deportataque in arctiorem cuſtodiam, atque illuc miſſis ab Eliſabetha è prima nobilitate judicibus, rationem eorum, quæ objectabantur, afferre juſſa eſt. Nec illa negavit, quæſitam

1587.

Legatis pro ſe miſſis,

*Camdenus & alii apud illum* innocens reperitur:

accuſatoribus non impunitis.

*Idem & alii*

*Iacobus VI.*

Novæ accuſationis capita.



2009 Ministerio de Cultura

1587. *Ad ea Mariæ reſponſio.*

ſitam à ſe libertatem ex ea cuſtodia, qua contra jus faſque, Regina nulli ſubdita, detinebatur. ob eamque rem imploraſſe ſe Romani Pontificis preces atque opem : litterarum autem, quas Pontifex in Reginam Eliſabetham emiſerit, ignaram ſe eſſe. non ſe reſpuiſſe vicina Ducis Albani arma, quibus ipſa in regnum ſuum, non in alienum ſtatueretur. non ſe repudiaſſe conſilium de nuptiis cum Norfolcio, nempe oblatum à Moravio Eliſabethæ arcanorum conſcio : non tamen ultra conſultationem proceſſum eſſe. poſtremo non ſe ulli miſcuiſſe conſpirationi nobilium, quamvis illi honorificum liberandæ Scotorum Reginæ titulum armis ſuis impoſuerint. Quæ aliaque in hanc ſententiam poſtquam Maria diſſeruiſſet, ſcriptis ad Eliſabetham litteris, expoſitoque quam indigne ſecum actum eſſet; oravit, ut aut permitteret ire ſe in Galliam ad cognatos Guiſios, à quibus ſperaret eam opem adverſus rebelles ſuos, quam impetrare in Anglia à ſorore nequiviſſet : aut certe non arceretur ab ejus conſpectu colloquioque, apud quam ſuſpiciones omnes facile purgaturam ſe non dubitaret. Sed non modo neutrum impetravit, Duce ipſo Norfolcio ob eam cauſam ſecuri percuſſo, ſed novis iterum ſuſpicionibus, novis criminationibus Regina infelix appetita eſt. Nempe quo plures in libertatem ejus intendebant, eo cauſam indeprecabilius aggravabant : ac juvandi ſtudio, altius nocebant.

*Ex adventu Ioan. Auſtriaci in Belgium,*

Venerat in Belgium Ioannes Auſtriacus Caroli Cæſaris filius, opera in primis Gregorii XIII qui miſertus indignam Mariæ ſortem, Philippo Regi author fuerat, ut in provincias Gubernatore tunc vacuas fratrem induceret, qui & ob patris memoriam acceptus Belgarum populis eſſe, & ob propriam maritimis in bellis claritudinem ſuſcipere expeditionem in Angliam, ad liberandam Scotorum Reginam, non vana ſpe poſſet. Nec Auſtriacus quidquam omittebat, quo provincias qua-

*in Belgium*

*vide lib. 8 & 9 Dec. prima*

2009 Ministerio de Cultura

quacumque ratione componeret: ut ſolutus 1587.
omni per Belgium cura, ad Britannicam expeditionem ſe ſe accingeret. Quum Orangius arcana expiſcatus, aperuit illa Eliſabethæ: addiditque, ſibi conſtare, Mariam Stuartam Pontificis Romani, Hiſpanique Regis communi conſilio, conjugem Auſtriaco deſtinatam eſſe. Id vero varie torſiſſe dicitur Eliſabethæ animum ambigentis conſultantiſque, ſatius ne foret, Mariam in Scotiam remittere, vexandamque rebellibus ſuis tradere, certe ab Anglia occaſiones armorum procul pellere: an potius cum Mariæ morte, cauſas pro captiva conſpirandi aliquando præcidere. Et quamquam in hanc partem ferebantur plerique conſultatores, ſerio inculcantes, Maria incolumi nuſquam fore aut Reginæ, aut Religioni in Anglia ſecuritatem. eoque rem deveniſſe, ut diverbium illud de duobus olim Principibus Conradino & Carolo, nunc duabus de Reginis vulgo uſurpetur, *Aut Scotam ab Angla, aut Anglam à Scota*; Reginæ tamen publicum dedecus apud ſe ſubinde reputanti viſum eſt, callidiore conſilio ſpargere in vulgus, reconciliatam ſe Mariæ, ac brevi cum ea relaxanda tranſacturam. Sic utique ſperabat ſiſtere in præſens, ſi quæ à Belgio, aut aliunde prætentarentur: ſimul ejuſmodi conditiones Stuartæ imponere, quas illa facile aſpernante, res demum omnis in irritum caderet. Et ſane, ubi audiit Maria, peti ex ſe inter alia, ut filium cum aliquot Scotiæ Proceribus obſidum loco in Angliam accerſeret: & ipſa antiquatæ jam per Angliam Scotiamque Romanæ Religioni nuncium remitteret; indignata reſpondit, conditiones utcumque alias admiſſuram ſe: at mori potius, & ſi quid gravius eſt morte, pati velle, quam aut filium, aut animam indigne proderet: avitam Religionem à tot retro Regibus progenitoribus ſuis rite traditam & cordi & curæ ſibi perpetuo futuram. Finis colloquii fuit, mutatus anguſtiorque carcer, imminuta fami-

admonetur Eliſabetha de conjugio ejus, & Mariæ.

Conſultat quid ſibi de Maria agendum.

necandam plerique cenſent, & ſuadent: *Conrad. Suevus Carol. Andegav.* Illa tamen velut placata

reconciliationis conditiones proponit, quas Maria uti indignas averſatur.

2009 Ministerio de Cultura

1587. familia, aucti cuſtodes. Quippe implicito Belgicis turbis Auſtriaco, mox & extincto, omnem à Belgio metum exuerat Eliſabetha. Sed propior illam ſollicitudo excepit domi. Conjuravere nobiles aliquot Angli, promptiſſimo eorum Antonio Babingtono: in ſeque ſuſcepere, Anglam de medio tollere, Scotam ſubſtituere, Catholicam Religionem regno reddere. Sed prodita detectaque conſpiratione, ac repertis conjuratorum ad Mariam litteris, illico in quæſtionem ipſa poſtulatur. Septem & quadraginta viri partim è ſenatorio, partim è forenſi ordine ad cognoſcendam cauſam feſtinantur ab Eliſabetha. proferuntur conjuratorum ad Mariam litteræ: ejus aulici duo, uti conſcii arguuntur: omnia contra noviſſimum Eliſabethæ edictum attentata pronunciantur. At Maria tot inter cauſidicos & legulejos, queſta primum, agi ſecum contra quam cum Principibus rite inunctis & conſecratis agi deceat. neque enim, quod carcere attineretur, minus Reginam ſe, eoque liberam: neque Eliſabethæ, aut ulli mortalium, præterquam Chriſti Vicario, ſubjectam eſſe. Tum defenſionem orſa, Inficiata non eſt, auditas ſibi aliquoties multorum aut Anglorum Scotorumque, aut externorum Principum curas pro ſe in libertatem aſſerenda ſuſceptas: ac pio illorum officio, pro quo laudem apud poſteros merebuntur, lætatam ſe fuiſſe: &, ut exitu non carerent ejuſmodi conatus, optaſſe. Id vero an cum Eliſabethæ vitæ diſcrimine quæſitum ſit, neque ſe conſciam fuiſſe, neque in talium conſpirationes operam ſuam, aut nomen aliquando commodaſſe. A Babingtono, aliiſque poſtremo conſpiratis nullas ſe adverſus Reginam litteras accepiſſe: quæque ad eos ſcriptæ dicuntur Mariæ nomine à Mariæ aulicis, dolo malo fictas eſſe: promptamque ſe, ſi illi in conſpectum veniant, mendaci redarguere. Ad extremum tacto dextera manu ſancti Euangelii codice, averſum ſibi Deum precata

*Conſpiratur ab Anglis contra Eliſabetham.*

*Detegitur conſpiratio:*

*& in Mariam inquiritur:*

*Illa rationem ſui reddit:*

2009 Ministerio de Cultura

caта eſt, ſi quidquam contra Reginæ vitam egiſſet, aut cogitaſſet. una in re addidit agnoſcere ſe non innoxiam, calamitateſque, in quas inciderit, non immeritam: quod indulgentior in apoſtatam monachum fuiſſet, quodque poſt reditum è Gallia lenitate nimia, Dei, & Catholicæ Religionis hoſtes in Regno ſuo toleraſſet. Sed incaſſum defendebatur illa, quam judices prædamnaverant. ſtatimque & ab Ordinum in Londinenſi urbe conventu Maria læſæ majeſtatis rea pronunciata eſt: & feſtinata legatione in Galliam, miſſus ab Eliſabetha libellus regiæ damnationis ad Henricum Regem: & Mariæ, quid à Regni Ordinibus decretum eſſet, Eliſabethæ litteris ſignificatum. Illa autem nihil inde conſternata, quin vultu placido, actis nuncio gratiis, Deum precata eſt, ut quam innocentem ſciret, fortem quoque, & in Catholica Religione, pro qua libens mortem oppeteret, conſtantem vellet.

1587. una in re confeſſa peccatum à ſe eſſe. *Moravius*

*Parlamentum* Læſæ Majeſtatis rea pronunciatur: *Henr. III.*

nihil inde territa, & ad Deum verſa.

Interea appulſus in Angliam multo comitatu Pomponius Bellevræus ab Henrico Rege ad Eliſabetham allegatus cum reſponſis ad ſingula damnationis capita, magnis urbem rumoribus implevit, quaſi propediem ſecuturam Mariæ libertatem. Ferebaturque, in mandatis Bellevræus habuiſſe, omnem operam adhibere Galli Regis, Galliæque univerſæ nomine, ut Scotiæ Reginam imminenti periculo ſubtraheret. Quamquam Bernardinus Mendoza, Hiſpani Regis apud Henricum Orator, vir aulæ Principum intelligens, affirmavit ad Alexandrum ſcribens, Videri, Reginæ liberationem fuiſſe minimam cauſarum decretæ legationis. illa potius Regi curæ eſſe, legatoque impenſius injuncta, ut Angliæ Reginam induceret ad pacem Bearniæ, Condæique Principibus, & Turenæ Vicecomiti, pro ea qua erat apud illos authoritate, perſuadendam. ſimul ut de fœdere cum aliquibus Germaniæ regulis ineundo, Anglę mentem exploraret, ac certi aliquid cum ea conficeret. quod confectum

Legatio è Gallia. *Londinum* vulgo pro Maria liberanda: aliis alia potior legationis cauſa creditur. 22 *Dec.* 1586. *Rex Navar.*

2009 Ministerio de Cultura

1587. fectum fuiſſe à Bellevræo, ex aliquorum
16 Mart. 1587. conjectura ſcripſit poſtea Alexander ad Regem. Sed ſive Mariæ cauſam minus anxie curaverit Galliæ Rex: ſive potius illum, ne in eam curam totus atque armatus incumberet, inteſtina Galliæ bella retardaverint, certe ab ejus legato non modo pro captiva Scotiæ Regina peractum eſt nihil, ſed hæc ipſa legatio (ut cetera ad illum diem tentamenta) Mariæ in perniciem vertit, ac ſupremum ei fatum maturavit. Etenim poſt diſceſſum Bellevræi, quum ex bimeſtri dilatione ſupplicii, nutare crederetur Eliſabethæ animus gallica legatione ſuſpenſus; ingens profecto ſollicitudo invaſit cum hæreſum antiſtites, tum aulæ conciliique primores, Leiceſtrium, Cæcilium, Valſinganum, alioſque nonnullos, certum ſibi à Mariæ incolumitate, in quam capitis ſententiam tulerant, infortunium metuentes. Quippe ſecum reputabant, poſt exceſſum Eliſabethæ, haud dubie Stuartæ deberi Angliæ regnum, hac autem rerum potiente, de ſe pariter omnibus actum eſſe. nempe novam fore regni faciem, multo quam ſub alia Maria, novo Euangelio infeſtiorem: adeſſe enim Scotæ altiores ſpiritus, & odium in hoſtes catholicæ Religionis longa carceris injuria proritatum. Inde ad Eliſabetham converſi eo quidem audacius, quo grata ſe offerre non ignorabant; queruntur, tot Procerum Senatorumque judicium, ac regni totius votum tandiu prolatando contemni: *ea procraſtinatione nihil effici, niſi ut ad novas excitandas impiorum conjurationes ſpatium extendatur. poſſe in adyta irrumpere, qui toties in veſtibulo fuerunt: nec ſemper aberrare, qui ſæpe jaculantur. Itaque liberaret ſeque & regnum ea ſollicitudine: pateretur Angliam uni parere, nam duo jam regni capita monſtrari. nec magis Eliſabetham Anglicanæ Eccleſiæ Principem rite coli, quam Mariæ ad aram confugere Catholicorum reliquias.* Neque hoc contenti, comitiorum, quæ tunc agebantur, opportunitate

obfuit certe ea legatio:

ſollicitis anxiiſque hæreticis,

ob has cauſas.

*Maria Hiſp. Regis uxor.*

& mortem ejus urgentibus,

apud Reginam,

varias per artes.

2009 Ministerio de Cultura

tate utentes evincunt, ut ſubſidium, quod ad reparandum in Belgio bellum enixe petierat Eliſabetha, comitiorum decreto non exigeretur ante, quam capitis ſententia in Scotiæ Reginam jampridem lata executioni mandaretur. Sic, & Leiceſtrio pecuniam ad delectum novi exercitus urgente: & Eliſabetha illam qualemcunque neceſſitatem ad explendam cupiditatem amplexante, Mariæ feſtinata mors eſt. Igitur Eliſabetha poſtquam videri poterat ex ſupplicii dilatione meruiſſe clementiæ laudem, & compulſa ad executionem imperandam declinaſſe invidiam; jubet cum rea juxta regii Senatus Ordinumque regni ſententiam agi, conficique de ſumendo ſupplicio mandatum, quod à Buchorſto ſupremo Angliæ Quæſtore, atque à Roberto Beſlæo à regni ſecretis, ad Mariam in Fodringanum oppidum, ubi illa attinebatur, perlatum eſt: ultimaque ei neceſſitas, Reginæ, & regni nomine, indicta. Nec imparatam, aut averſam feralis nuncius invenit. Hunc enim illa diuturni carceris exitum expectabat, haud inſcia, in MAGNIS Principum injuriis non incipi, ut deſiſtatur. Illud gravius accepit, quod evocatum ad ſe ſacerdotem, aulicum ſuum ab eleemoſynis, ut apud illum animi noxas, uti conſueverat, expiaret, aditu excluſerint, multa in hæc priſcæ pietatis ſacramenta, ceu ſuperſtitionum inania ſuperaddentes: ipſamque ad hujuſmodi deliramenta Catholicorum, in eo ſaltem articulo deponenda, certatim cohortantes. Quos illa quum faceſſere ab ſe juſſiſſet, certos non alia ſe proceſſuram via, quam quæ ab Apoſtolis, ac Pontificibus Apoſtolorum ſucceſſoribus monſtrata eſſet: proque ea mortem libenti animo ſubire; uſque adeo copioſe atque conſtanter adverſus noviſſima apoſtatarum commenta diſſeruit, ut admiratus inter eos, qui cauſæ præerant, vir ſane primarius, continere ſe haud potuerit, quin palam diceret, *Neceſſario tollendam è medio fuiſſe illam, cujus vita timeri poſſet, ne re-*

1587.

**Mortis ſententia ad Mariam perfertur.**

*Theſaurarius, ſed poſtea.*

**quæ de Sacerdote ad confeſſionem non admiſſo dolet:**

***ſic impie ipſi impii***

**& in ſacramentorum irriſores invehitur.**

***Cantii Comes***



2009 Ministerio de Cultura

1587. *ne reformatæ religionis mors eſſet.* Ad quæ gaudio ipſa prægeſtiens (namque ſimilia his audierat ab iis, qui ſibi nunciū mortis attulerant) egiſſe dicitur Deo grates, quod ad Religionem catholicam in ea inſula reſtituendam, inſtrumentum haberetur. Hæc autem ad eum, quem dicebam modo, ſacerdotem Maria perſcribens, orat, ut ſe omni humano deſertam auxilio, in illa noctium ſuprema non desereret ipſe: ſed confitenti peccata ſua ſoli Deo, quando apud hominem confiteri prohiberetur, veniam à Patre miſericordiarum impetraret. Ac præterea compoſitis ad Eliſabetham Reginam, ad Henricum Galliæ Regem, ad alios litteris; commendatoque, inter monita ad filium Regem anxie tranſmiſſa, amore ac patrocinio catholicæ Religionis, pro qua mater occumberet, & in qua majores ſui Reges ante deceſſerant; in retractius cubiculum, dimiſſis etiam pleriſque fideliori-bus ancillis, noctem illam precibus traductura ſe abdidit. Atque humi proſtrata ante Domini è cruce pendentis effigiem, actis ſuppliciter gratiis per commemorationem beneficiorum, inter quæ mortem mox ſubeundam adnumerabat; Sacroſanctum Chriſti Domini corpus clam apud ſe ſervatum (poteſtate, quam Mariæ ob ſingularem in fide conſtantiam, ad hunc uſum indulſerat Pius Quintus) è ſuis ipſa manibus venerabunda ſuſcepit.

*Camden. in Eliſab.*

Tum ſcriptis aliquot epiſtolis: *Henr. III.* commendataque filio Regi catholica Religione,

precibus ac ſumpto Chriſti corpore ſe ad mortem parat.

*Georg. Conæus in vita, Florim. de har. & alii*

Hæc dum Fodringani agebantur, ferunt Londini eadem ipſa nocte, quam Eliſabetha curis agitata inſomnem ducebat: matronam in ejus conclavi dormientem, repente ſpectris expergefactam exclamaſſe, *Videre ſe Mariam Stuartam capite obtruncari, mox & Dominam ſuam plecti eadem ſecuri.* Quibus clamoribus Eliſabetham, quæ ſimilibus quoque imaginibus diſtrahebatur, exterritam ſollicite mandaſſe, advolaret illico nuncius Fodringanum, ac Mariæ ſupplicium differri ſuo nomine imperaret. Sed ſero hæc parabantur, peracta jam, quatuor ante nuncii adventum horis, Reginæ

SOMNIO Matronæ

*Regina Eliſabetha* exterrita Eliſabetha Regina, ſupplicio differri mandat: *Ex litteris Bern. Mendoz ad Alex. 1 Mart.*

cæde.

2009 Ministerio de Cultura

cæde. Etenim albeſcente vix dum die, feſtinantibus qui Mariam adſervabant, atque admonentibus, cuncta parata jam eſſe ad ultimum illum actum; paucis ſuorum comitata, juſſiſque (in queſtus enim & ejulatus eruperant) ne lætiſſimum ac triumphalem diem importuna lamentatione corrumperent; in aulam ſupplicii locum proceſſit, pretioſioribus veſtibus induta, piaculari corolla ad latus accincta, & crucifixi Domini ſignum utraque manu ſuſtollens. Ad ejus aſpectum audiri tota ubertim aula cœpere, quamvis premerentur, ſuſpiria, & ſingultus. Crevitque palam comploratio, ubi illam conſpexere ferale pegma, impar ſane Regiæ Majeſtati ſolium, aſcendentem, ſequente carnifice. Hoc è ſuggeſtu Maria ſolito lætior pulchriorque, (nam viſam omnibus perhibent mira decori vultus ſpecie prænitentem: ſive nativam oris formam commiſeratio intendebat, ſeu vicinæ beatitudinis aliquis jam tum fulgor afflabat) converſa ad multitudinem oravit, qui inter eos adeſſent, Catholicæ Religionis cultores, ut ſecum in eo vitæ mortiſque confinio, preces conſociarent apud Deum: quem ut innocentiæ ſuæ cauſam ac teſtem adorabat, ita ab eodem veniam mortis ſuæ authoribus ex animo poſcebat. Poſtremo provoluta in genua, poſtquam ipſa ſibi velum è capite ſubmovit, & collum lacte candidius nudavit, crucifixum Dominum arcte complexa oſculataque, cervices carnifici Regina ſubjecit. à quo tremebundo atque inhorreſcente, non niſi poſt tertium vulnus, avertentibus oculos ab eo ſpectaculo etiam qui mortem ejus concupierant, regium Mariæ caput, ſacras inter preces, amputatum eſt. Hunc exitum habuit Scotiæ Regina: magnum, ſi quod aliud, utriuſque ſortis exemplum. Forma, ingenio, regnis Scotiæ atque Galliæ, quæ adminiſtravit, & quæ debebantur Angliæ, Hiberniæque titulis fortunatiſſime cumulata, Sed verſa felicitate, à nothi fratris

1587. ſed ſero.

Ipſa ad ſupplicii locum accedens cohibet ſuorum fletum;

ac ſolito lætior & pulchrior,

paucis circumſtantes allocuta,

inter preces, & crucifixi Domini oſcula,

caput amputandum præbet.

Elogium ejus.

2009 Ministerio de Cultura

1587. *Co. Morav. Reg. Eliſa- beti.*

fratris odio prodita, à Reginæ ſororis invitatu decepta, ab hæreſi periclitante criminationibus circumventa, à Magnatum Iudicumque privatim ſibi præcaventium ſententiis oppreſſa, ab Eliſabetha amittendi regni metu damnata, nullo teſte coram producto, ſine quo ex regni lege damnari ne privatus quidem potuit, poſt viginti fere annorum captivitatem, poſt mutati ſexdecies carceris illuviem, tanto vitæ ſpatio inter cuſtodum injurias traducto, deſtituta omni inviſentium ſolatio, præter aliquas Romanorum Pontificum litteras clam illatas; regnis, libertate, vita, ſpoliata eſt carnificis manu.

LVCTVM ſimulat Eliſabetha,

Audita morte ejus Eliſabetha, ad abolendam fuſi regii ſanguinis infamiam, ſimulato mærore, lugubria induit: & quaſi extortum ſibi capitale mandatum, & contra quam ipſa

& in feſtinatæ necis miniſtrum inquirit, *Daviſonus Secretarius* non ſine multorum riſu:

injunxiſſet, feſtinatum fuiſſet à ſecreti ſcrinii miniſtro; ſtatim reum illum agi, pecuniaque, & carcere mulctari voluit: multum irridentibus, qui eodem tempore Londini videbant, feſtis ignibus, campanarumque ſonitu, edi lætitiæ ſigna ob Mariæ cædem. ac poſtea in ejuſdem miniſtri Apologia, qua is nihil ab ſe, niſi è Reginæ mente factum eſſe palam teſtatus eſt, evolutam palliatæ fabulæ telam amplius agnovere. Certe Eliſabetha publicum non

& odio Principum:

evitavit odium Europæ Principum, violatam in Mariæ ſupplicio Majeſtatem regiam ſucenſentium inſulaque in ipſa auſos vidit, qui

& ſepulcrali execratione:

poſito ad tumulum lapide, facinus illud, *neſarium judicium, barbaram & tyrannicam crudelitatem* notavere. Et Mariæ abſtulit illa quidem & regnum, & vitam: nempe res caducas, & brevi auferendas: ſed redditum ei ævum in cælo beatum, & manſurum imperium, pro ejuſmodi jactura, creditum eſt. Sane ſcribens ad Philippum Regem Parmenſis

& judicio de ea Alexandri Parmenſis, 22 *Mart.*

Dux Alexander, poſtquam dixiſſet, Mariæ finem vulgo lamentandum, ipſi ad immortalitatem gloriæ appetendum fuiſſe; affirmare non

2009 Ministerio de Cultura

non dubitavit, *Poſſe Scotiæ Reginam in martyrum numero, qui in Anglia fudere ſanguinem, merito cenſeri, atque adeo in cælo degere corona præcinctam, multo quam quæ ei ablata eſſet in terris, pretioſiore.* Immo neque illo, neque ullo poſt tẽpore defuere complura & decora ingenia, à quibus vario ſtyli genere, Mariæ laudes per omnem ejus vitam, inque ipſa præſertim morte conſtantiſſime pro Religionis patrocinio ſuſcepta, litteris commendatæ ſunt. Vt profecto horum ſcriptorum authoritas facile præhaberi debeat uni Georgio Buccanano, (nam reliqui ferme ex hoc lutulento fonte turbidum hauſere) qui partim odio in Iacobum Regem Mariæ patrem, à quo propter hæreſim exulare juſſus fuerat: partim ſpe inductus à Moravio, ſi hic regno potiretur, ſe in Scotiæ Patriarcham aſſumendum; ea adverſus Mariam, deq; Scotiæ regno ſcripſit, quæ & à regni Ordinibus damnata ſunt, & ipſe poſtea, ut nec in perfidia conſtans erat, coram Iacobo Rege Mariæ filio tanquam contumelioſe immeritoque concinnata reprehendit. Et ne hoc Iacobi gratiæ datum videretur ab homine commutabilis fidei, morti proximus, quum adulationi nulla merces, optaſſe dicitur tantum vitæ ac ſpiritus, quantum revocare ac retractare, quæ emiſerat, maculaſque Mariæ falſo aſperſas, ſuo utique ſanguine delere poſſet.

1587. cum litteris ad Regem. *Pontifex Vrban. Card. Peron. Card. Bellarm. Flor. Ramunm de har. Georg. Conaus in vita Mariæ Spondan. in Annal. & alii permulti. & heretici aliqui ut Gul. Vdall. in vit. Mar. Guliel. Camd. in Eliſabetha.* & plurium inſignium virorum præconiis de ejus vita obitu que. Quidquid Buccananus in Mariam inſanierit, qui tamen dicta ſcriptaque ſua retractavit.

SLVSÆ obſidio.

Iam vero Eliſabetha poſt Mariæ cædem, pecunia regii ſanguinis authoramento, à populis accepta, Leiceſtrio mandaverat, ut milites in Belgium tranſmittendos tanto celerius contraheret, quanto aſſiduis inde nunciis affereba-tur, dominante per eas provincias Parmenſi Duce, ſimul Oſtendæ, ſimul Bergis ad Somam, poſtremo & Velaviæ timeri. Et vero aggredi Oſtendam conſilium Alexandro fuerat: illucque jam præmiſerat Mottæum, hoſtium vires exploraturum. Sed à Regina, dum delectus habebatur, miſſo ex Anglia Rogerio williamo Norritii Vicario, qui ſe cum aliquot cohortibus Oſtendam protinus inferret, atque adeo

Eliſabetha Regina milites in Belgium mittit. *Bergoprom.*



2009 Ministerio de Cultura

1587. munito novis præſidiariis loco, Alexander, mu-
*Sluis.* tato conſilio, de Sluſa obſidenda cogitare cœ-
Conſultatur ab Alexandro de Sluſæ obſidione: pit. Et quanquam in bellico ſenatu multos
fuiſſe comperio, qui arcem illam prope inſupe-
rabilem, & Antverpiam alteram differerent:
certe labores fore ſummos & diuturnos prædi-
cerent. uti vera eos dixiſſe expertus inde Ale-
9 *Aug.* xander, negavit poſtea ad Regem ſcribens, ſe
in operoſiore ad eum diem obſidione laboraſſe;
tamen & Flandrorum neceſſitates, qui mariti-
mam illam oram à Sluſanis miſere vexari que-
rebantur: & continuata Alexandri in arcium
expugnatione felicitas, ad eam expeditionem
decernendam traxere demum omnium ſenten-
decernitur. tias. Sluſa è quinque Flandriæ provinciæ por-
Situs ejus, tubus, à mari aliquanto retractior, ſitum ſibi
delegit propemodum inacceſſum. Munit illam
à natura prope inacceſſus. à meridionali affluens oceano prælargus, atque
olim quingentarum navium capax alveus: qui
ubi Sluſam adit, in geminos canales ſeparatur:
alter ad dexteram Iſendicam verſus, ad lævam
alter Dammum ac Brugas iter flectit. Prior vi-
Sluſam deſerit, quum in alia atque in alia ca-
nalium diverticula flexioneſque diſtractus, at-
que identidem in ſe reciprocus, Sluſenſem a-
grum ad oppidum uſque Ardenburgum, parvas
in inſulas ſcindit. Poſterior, qui Sluſæ mœnia
propius alluit, bifariam & ipſe diſcedit. pars
Dammum gemino rivo recta procurrit. pars
non procul à Sluſa divertens in plures canali-
culos minutim ſpargitur: qui rurſum Arden-
burgum verſus errabundi, primiſque ad dexte-
ram alveis ſe ſe immiſcentes, tam multis va-
riiſque meandris ac labyrinthæis flexibus Slu-
ſam quaquaverſum implicant, atque abſcon-
dunt; ut profecto alicujus Theſei filo ad eam
adeundam opus eſſe videatur. Accedit, quod
hæ tam multiplices aquarum ſparſiones ſicut
mari ſubſidente ipſæ quoque ſubſidunt, atque in
paludes ac ſtagna pigreſcunt: ſic eodem attol-
lente ſe, auctæ inundanteſque omnem circa
tractum alluvionibus integunt, atque hoſti ur-
bem

2009 Ministerio de Cultura

bem aggreſſuro maris undas objectant. Nec minora hiſce naturæ munimentis, ars adjunxit. Nam, præter arcem ac munitiones urbis, in inſulis, quibus ajebam frangi Sluſæ campos; propugnacula paſſim erexerant contra inundationes aggeribus ita ſepta, ut apertis iis obicibus, aquarum vis in hoſtes immitti facile poſſet. Inter alia prægrandem arcem ante portam, quam Brugenſem vocant, inde venientibus objecerant. ac in utraque canalis magni parte, hinc quidem, Dammum verſus, caſtellum exſtruxerant, cui à S. Anna nomen: illinc autem per Catſandiæ inſulam, quam idem canalis, & aliud à mari brachium contra Fliſſingam efficiunt, munitiones complures ſparſerant, quæ & aditum canalis, quo urbs aditur, & ejuſdem canalis divortium prope urbem tuerentur. Huic porro tam valide compacto corpori par animus ac vires inerant, Gubernator inquam Arnoldus Groneveltius, clarus militari laude Tribunus: & præſidiarii ex Anglis Belgiſque delecti mille ac ſeptingenti, præter eos, qui ſparſim per caſtella & ſtationes agitabant. Denique, ne quid ad loci ſecuritatem deeſſet, prompta habebantur externa ſubſidia, quæ partim à Fliſſinga Zelandiæ portu, brevi interjectu in Catſandiam advehi licebat: partim ab Oſtenda ſubmitti, pedeſtres præſertim copiæ, tanto facilius poterant, quanto medio in itinere Sluſam interatque Oſtendam, arx Blanchenberga interjacebat, commeanteſque auxiliares exercitus defenſabat.

1587.

ab arte ſolerter communitus:

*Dicchi*

à præſidiariis valide cuſtoditus:

& accipiendis externis auxiliis opportunus.

Alexander loci, hoſtiumque haud ignarus, principio ad diſtrahendas hoſtium vires, miſſo equitum Magiſtro Roſendaliam, quaſi Bergas ad Somam obſeſſurus, ubi audiit advolaſſe illuc Comites Mauritium, & Holachium, tum ipſe Sluſam aggreſſurus, ante alia ſtatuit urbi ſubſidium ab Oſtenda intercludere, juſſo Carolo Mansfeldio cum aliquot Wallonum ſignis Blanchenbergam præcurrere, arcemque illam hoſti adimere. Qua in poteſtatem ante expectatum

Arma alio Alexander intentat: *Marchio Vaſt.*

ac ſtatim in Sluſam vertit.

 redacta,

2009 Ministerio de Cultura

1587. redacta, quippe præſidiariis celeritate oppreſſis, protinus Alexander modico ſuorum comitatu, VI idus Iunias, Bruxellis Aloſtum abiit, ſequenti nocte Gandavum, ac poſtridie Brugas. quam in urbem juſſerat murales machinas viginti Gandavo tranſvehi: exercitum vero Ardeburgum, decretam armorum ſedem, convenire. Hic luſtratis copiis non pluribus peditum quatuor millibus & quingentis à principio, poſtea quinque millia exceſſere, & equitibus ferme ſeptingentis: (nam & cohortes aliquot turmaſque Vaſtius ſecum duxerat, & plures ad Rhenum continebat Altapennius: & devictæ continenter urbes ac provinciæ non modicam ab exercitu partem quotidie ſubtrahebant ad locorum præſidia) ex his duo millia Mottæo tradidit, Duci ſtrenuo, ac maritimæ illius oræ peritia, ceteris prælato. mandavitque, à Dammo, ubi ille tunc erat, Sluſam peteret, verſus Annæum propugnaculum: eoque capto, inibi caſtra poneret; ipſe ad alteram partem, ex Ardemburgo reliquum exercitum moturus. Et Mottæus quidem Dammenſi vectus canali, ſubitaque exſcenſione, capta ante ædem S. Annæ munitiuncula, mox facta à tormentis atque à milite impreſſione, caſtellum ipſum expugnavit, loco ad ſuorum caſtra, qui plerique wallones erant, attributo. At vero Alexander ex Ardemburgo, expectato dum deflueret mare, brachium ejus ſeu canalem dexterum, qui Sluſa ad Iſendicam vergit, ingreſſus, in Oſtburgum modicam inſulam trajecit: inde inferiore alio brachio ſuperato, exercitum ex Hiſpanis Italiſque ac Germanis conſtantem in Catſandiam deportavit. Conſilium illi erat, captis ejus inſulæ caſtellis, ad latus oſtii canalis caſtra figere: ut diſpoſitis hinc ex Catſandiæ inſula, inde ex S. Annæ continenti munitionibus, aditum Fliſſinganis auxiliis intercluderet. Sed quum tranſverſarios per Catſandiam aggeres, ſuper quos, ſolo ubique ſtagnante, incedendum erat, ab hoſte interruptos paſſim

*Margin notes:* A præmiſſo Mansfeldio capitur Blancheberga. 8 *Iun.* — Ipſe luſtratum Brugis exercitum cum Mottæo partitur. *Dammum medium inter Brugas & Sluſam* — Mottæi ſucceſſus, & Alexandri. — *Dicchi*

2009 Ministerio de Cultura

ſim offenderet: atque adeo niſi hujuſmodi ſe- 1587.
cturæ obſtruerentur, tormenta tranſmitti haud poſſent; tantum in eo laboris ac moræ interjectum eſt, ut ſubſidiariæ hoſtium naves canalem ingreſſæ Sluſam advolaverint. Gronevelius enim Gubernator, intellecto Alexandri conſilio, ſtatim in proximam Zelandiam miſerat petitum à Fliſſingæ Præfecto Gulielmo Roſſelio ſubitam opem. Iſque naves undeviginti, quot in promptu tunc erant, expediit, annonæ bellique ſubſidia vehentes, ac milites omnino mille, pleroſque Anglos ductore Rogerio Williamo, qui cum primoribus aliquot ejus gentis ad famam obſeſſæ urbis illuc Oſtenda ſe tranſtulerat. Hæ autem naves magna exceptæ obſeſſorum gratulatione, auſæque poſt biduum, contemptis hoſtibus, alveum remetiri Fliſſingam petituræ, non eamdem fortunam expertæ ſunt omnes. Namque interim Alexander tota ferme Catſandia potitus, tormentis ad inſulæ ripas collocatis prope Oſtenſe caſtellum poſtremo expugnatum, quatuor earum obruit, reliquas fuga ſubtraxit: Neque tamen ceſſatum à Fliſſinganis. Poſtridie undecim eorum naves, partim bellicæ, partim onerariæ, non procul à canalis aditu apparuere, operientes dum mare ſubcreſceret, quo ſe Sluſam incitarent. Quin etiam ex iis ſeptem, non expectato æſtus acceſſu, nocte ventoque fretæ alveum jam ingrediebantur. ac licet deprehenſæ à tormentis in eam partem antea deportatis noxie peterentur, à principio tamen non ſe hoſti ſubmittere, ſed, ut erant majoribus minoribuſque tormentis inſtructæ, pugnam capeſſere tanto quidem obſtinatius, quanto proſpecta non procul navigia, quæ Oſtenda properabant, viciniori ſpe animos alebant. Deinde vero, quoniam ſingulis ferme ictibus diſcerpebantur, è claſſiariis ſane plures: hærentibuſque ſicco navibus neque receptui, neque declinationi locus relinquebatur; pars ſe in aquas immittere, ac nantes ad ſuos

*Interim naves à Zelandia 19. annonam & militem Sluſæ inſerunt.*

*In reditu pars earum tormentis ab Alexand. directis obruuntur.*

*Redeunt aliæ audaciores,*

*& tormentis pariter lacerantur.*



2009 Ministerio de Cultura

1587. ſuos tendere: multi, (namque æſtus maris appetebat) navigia moliri, ac retrorſum vertere connitebantur. Atque hic iterum ſuorum militum ardorem ferociamque, non ſine admiratione, ſpectavit Alexander. Nam quum ei ad ſiſtendam, quam Fliſſingani parabant fugam, paucæ adeſſent rates, (captis videlicet ab hoſte earum pleriſque, dum Gandavo Sluſam peterent,) non defuere Hiſpanorum complures, qui aquas ingreſſi, nanteſque arreptis ore gladiis, cetera inermes, ac tantum audacia ſua tecti, in hoſtem ſive natatu fugientem, ſive è navibus ejaculantem impulerint intrepide ſe: naves ipſas, immiſſo terrore ſui, certatim inſcenderint: captaſque è bellicis duas, cum ſexdecim tormentis, multoque belli apparatu, & ex vectariis annonariam unam, reliquis in altum ab æſtu ſublatis, ad Alexandrum victores adduxerint. Video equidem, hæc ingentium animorum ac virium oſtenta multis fortaſſe plus admirationis allatura quam fidei. Nam & qui præſens ea contemplatus litteris dein tradidit, attonitum hæſiſſe ſe ſcribit: affirmatque, multis ſe in Belgio, perque Europam bellis interfuiſſe, nuſquam tamen aut ſpectatum à ſe, aut in veterum ſcriptorum monumentis obſervatum aliquid, quod militum horum plane aquatilium tam hic in Sluſæ mari, quam in Covenſteniana alluvione, audaciam adæquaverit. Sed

*Summo Hiſpanorum in eas ardore, Nam prius idem viderat apud Covenſtenium aggerem*

*ac fortitudine plane mirabili.*

*Paul. Rinaldus in comment.*

NON raro videmus præſertim in bello, dominos vitæ fieri alienæ, qui fuerint contemptores ſuæ. Hæc quamquam feliciter eveniebant, conſiderabat tamen Alexander, obalvei latitudinem, hoſtilibus navigiis ægre aditum præcludi, niſi objectu aliquo pontis. Itaque è Catſandia trangreſſus in continentem ad Mottæi caſtra, inſpectoque multis in locis alveo, juſſit non procul ab oſtio, adactis in aquas trabibus, adjunctiſque, quæ nuper Gandavo acceperat, quæque ex hoſtibus eripuerat, navigiis pontem ſterni, obicem hoſtibus, ſuis tranſitum communicationemque. Tum Mottæo

*Alexander ad claudendum navibus aditum*

*In canali pontem extruit:*

2009 Ministerio de Cultura

tio admonito, cum ſuis wallonibus Sluſæ ad Brugenſem portam aggeres admoveret: ipſe ex altera parte urbem aggredi curæ ſuæ duxit. Quam in partem, regreſſus in Catſandiam, quum primum Hiſpanos movit, excepere illum, transmiſſo canali Iſendicam verſus flectente, ingentes ſane difficultates, quales nec cum aliis ipſe militibus, nec milites alio ſub Duce facile ſuperaſſent. Sæpe veluti nando in pleraſque inſulas enitebantur. ibi quamquam madidis feſſiſque, hoſtium munitiones expugnandæ occurrebant: non raro intercifis aggerum itineribus, inter paludes reſiſtebat agmen, dum viarum fracturæ exæquabantur. Acceſſit tanta tamque ſubita ciborum penuria primis illis diebus (nam poſtea abunde alimentorum fuit) ut milites evulſis undecumque herbarum radicibus, calamiſque ſuper aggeres enaſcentibus, pellere famem cogerentur. Sed nihil æque impeditum infeſtumque experiebantur, ac multiplices alluviones. Namque intumeſcente mari, apertis ab hoſte aquarum ſeptis mergebantur inſulæ, militeſque pectore tenus inundabantur. Quam dum illi perniciem evitantes, aliam in inſulam feſtinabant, novis ibi occurrentibus canalium rivis colluctandum erat. vixque inde ſatis expeditos alii rurſus atque alii coëuntes alvei comprehendebant implicabantque, ac pro obſeſſis ſurda quadam conſpiratione depugnabant. Vt ſane, quæ hominum cum fluminibus prælia cecinit antiquiſſimus Poëtarum, hic extra lyram, & fabulam Alexander, ejuſque milites, experti ſint.

1587.

& aggreſſurus urbem, è Catſandia ſuos movet,

diffi ultates paſſus inauditas.

*Dicchi*

*Ho. Iliad. 25 de Achil. & Scamanſlum.*

His demum longo circuitu ſuperatis, hinc Alexandri, inde Mottæi agmina, in conſpectu inſulæ, quæ urbi adjacet, conſtitere. Nam ex duobus, queis adiri urbs poterat locis, ab aqua & terra; alterum quidem arx præalta, & maris brachium defendebant: in altero autem, qui aggredientibus promptior erat, omnem muniendi curam adhibuerant oppidani.

In inſulam prope Vrbem conſiſtunt Alexand. & Mottæus, *ab aqua à terra*

Inſulam defendebant Arx,



2009 Ministerio de Cultura

1587. Munitioni ſitum præbuit, quam dicebam, inſu-
la ante urbem, campis ac Brugis obverſa. A-
cem in ea prævalidam excitaverant, propugna-
culis, foſſa, tormentis, ac militibus ſupra quin-
gentos, pleriſque Anglis, communitam. & pu-
res ſubmittere ex uſu poterat urbs ponte in-
ſulæ conjuncta. Proximam huic munitionem
addiderant, vallo, & militibus magna ex part
transfugis Wallonibus, inſtructam. quam, qui
doliis quamplurimis terra fartis, ejus loricas
armaverant, (quæ vinaria vaſa Hiſpanis tonelli
dicuntur) Tonellatam appellavere. Vix in hanc
inſulam appulſis, & communire ſe Hiſpanis,
Wallonibuſque ſeorſim aggreſſis, trecenti è
Tonellata erumpentes, delecta ad pavorem in-
tempeſta nocte, ſtationem Wallonum inva-
dunt; excubiiſque, mox & vicinioribus in-
teremptis, aliis clamore excitatis, prælium
committitur, initio timidius ab Wallonibus, vi-
rium numerique hoſtium ignaris: poſtea Mot-
tæi acceſſu, compertaque invadentium pauci-
tate, funduntur ac fugantur ad munitionis ci-
que vallum Tonellarii: Mottæo ipſo fugitan-
tium tergis ante alios inſtante, donec pede
pila ſauciato, pugna illum abſiſtere vis dolo-
ris coëgit. Hiſce autem eruptionibus quo cre-
brius Wallones Hiſpanique petebantur, eo in-
citatius feſtinare munimenta utrique ſatage-
bant. Sed, ut varia in parte munientes, diſpa-
ri ſorte utebantur. Namque promotis non
procul ab arcis foſſa Hiſpanorum aggeribus,
Wallones in primis adhuc ſuffoſſionibus hære-
bant nacti paluſtrem & reſtagnantem humum,
quæ vix infra ſeſquipalmum aperiebatur,
quum ſubſiliens aqua feſtinare non ſinebat ope-
ra tarde cohærentia, & ſtatim fluxa. Adverſus
hæc non parum remedii petitum eſt à ligneis
capſis, pedes duodecim longis, latis tribus: rotis
quatuor inſtar curruum adjectis ad latera, ſed
fronte quam lateribus altiore ſolidioreque, ac
feneſtellis ad tubos inſerendos aperta. quæ à
cimbis in inſulam illatæ, tum à militibus pro-
motæ,

*& arci proxima munitio,*

*à tonellis dicta.*

*ex hac erumpentes Tonellarii invadunt ſtationem Wallonum.*

*ſed repelluntur.*

*Difficultas fodiendi ſoli*

*ſuperatur novo invento:*

2009 Ministerio de Cultura

motæ, ac ſacculis terra gravibus firmatæ, aggerum loco ſtatuebantur: non tamen abſque multorum ſanguine, dum illi non intermiſſis irruptionibus turbare opera, hi tueri ac producere pari conſtantia nituntur. Sed longe acrius, ac juſta propemodum acie poſtea certatum eſt. Nam quum feſtinatis demum acceſſibus, ante vallum Tonellatæ conſtitiſſent Wallones, in eamque tormenta jam diſponerent; Tonellarii, acceptis ab urbe auxiliis, non expectata oppugnatione, in hoſtes procurrunt: exceptiſque inſtructo agmine à Mottæo, qui curato utcumque vulnere ad ſuos redierat, dum magnis utrinque animis viribuſque pugna protrahitur, erumpentes Angli ex arce Tonellatæ proxima, (ita enim inter eos convenerat) contra Hiſpanos in parte alia curantes tanto pronius feruntur, quanto eorum aliquos tranſiſſe ad Wallonum ſubſidium obſervaverant. ciebaturque duobus in locis anceps obſtinatumque prælium, Alexandro in hanc modo partem, modo in illam excurrente, & utroſque, repræſentata veteri æmulatione, ad pugnam animante. Et favit Wallonum virtuti ſors. Nam Claudius Barlotta Wallonum Tribunus, quem è Rheni cuſtodia evocaverat Alexander, in ipſo ardore certaminis cum aliquot cohortibus ſupervenit: redintegratoque prælio, ſimul verſis Alexandri juſſu in Tonellatam muralibus machinis; tranſfugæ ad Barlottæ nomen territi non ſuſtinentes recentium Wallonum impetum, & munitioni ſuæ metuentes, effuſa fuga propugnaculum repetunt. nec ibi conſiſtere auſi, (namque frons ejus facto hiatu diſceſſerat, parſque corruerat) deſerta Tonellata, vicinam in arcem ſe ſe conjiciunt. Cecidere ex his circiter ducenti, capti non pauci; ex victoribus deſiderati ferme quinquaginta, ſaucii permulti: quos inter, Mottæus dexterum brachium pila trajectus, ac Brugas curationis cauſa delatus, non niſi ſecto brachio demum convaluit: conſolatus jacturam ſuam, quaſi abſciſſi brachii loco,

1587. quo tanquam aggere utentes Wallones,

aggreſſionem adornant.

erumpunt in hos Tonellarii:

& Angli erumpunt ex arce in hiſpanos.

utrobique acerrime pugnatur,

ſed novis auxiliis forte acceptis,

ſuperant Wallones capta Tonellata.

Numerus utrimque occiſorum, ſauciorumque:



2009 Ministerio de Cultura

1587. iuter quos Mottæus amiſſo brachio:

Tonellata, quam ipſe hoſtium arci abſciderat, brachium ſibi glorioſius futurum eſſet. At vero Alexander, qui nihil ad viri optime meriti curationem poſtea omiſit, impetrata (quæ curatio non minor fuit) Regis ad eum epiſtola conſolationis ac ſpei plena; in Mottæi locum, dum ille abeſſet, Marchionem Renthiacum ſuffecit, juſſum inſtare fabricandis navigiis, quorum adjumento aggredi arcem ſtatuerat, præſertim Tonellatæ propugnaculo deſtitutam: non tamen deſtitutam animis & auxiliis, quibus ab urbe acceptis, apparebat Anglos nequaquam ceſſuros, quamvis perculſi poſt amiſſam Tonellatam, confeſtim receptui ab irruptione ceciniſſent.

ARCIS oppugnatio, ejus propugnaculum prius quatitur: *Approc. i Mansfel. torment. magiſt.*

Iamque ad arcis oppugnationem parata erant omnia. Nam & ad propugnaculi foſſam aliquanto ab arce porrectioris, infeſtiorisque operibus obſidentium, Hiſpani Walloneſque productis certatim obſidionalibus viis acceſſerant: & Mansfeldius roſtrum ejus quinque muralibus machinis jam decuſſerat: & Renthiacus navigia duo conſtruxerat, tabulatis in medio erectis turrium inſtar è ſolida materia, atque ab ictu ſclopi majoris innoxia: incluſis in quamque turrim ſclopetariis vicenis quinis, habito delectu.

mox invaditur: & expugnatur. *Rozerius William Anglorum ductor.*

Igitur Alexandri juſſu, propugnaculum per ruinas disjectæ frontis invaditur, hinc Hiſpanos atque Italos animantibus Aquila, & Capiſucco: inde Wallones Germanoſque ducentibus Barlotta, Sterpinioque. Pugnatum primo magna utrinque vi. deinde quum regii prævalerent, Williamus loci defenſor intercidi viam, quæ in arcem à propugnaculo ferebat, novumque inter arcem & propugnaculum duci vallum jubet; Anglis, dum hæc fierent, pugnam ſtrenue ſuſtinentibus. Quibus perfectis, retractoque in arcem milite, regii propugnaculo quidem potiti ſunt, ſed avulſo ab arce, quam ſimul intrare ſe putabant.

Tum ad oppugnationem arcis ſe comparant.

Itaque novo illis integroque labore aliud hoſtium vallum tranſeundum, foſſa alia ſuperanda,

2009 Ministerio de Cultura

da, perque alias ruinas in arcem enitendum 1587.
erat. Sed plurimum afferebat adjumenti captum propugnaculum, ex quo imminentes arci in defenſores collineabant. Denique admotæ à Renthiaco naves, quæ turribus ſuis proximam canali æquabant arcem, quum repentinis ictibus foderent Anglorum latera: ſimul à fronte Hiſpani vallum ſupergreſſi, aſcenſum intrepide pararent; prope erat, ut arx eo die caperetur, niſi intercedentibus tenebris, à nocturna aggreſſione arcere milites viſum fuiſſet Alexandro, promiſſa in ſequentem diem illuſtriore victoria. quam tamen hoſtes ultro conceſſere, invitati à vicinæ urbis, in quam ſe reciperent, opportunitate: non ſemper optanda Ducibus opportunitate. ut propterea hujuſmodi externæ munitiones ad munitam urbem additæ, viſæ ſint multis anceps auxilii genus, ſuis ſæpius obfuturæ, dum minus conſtanter à propugnatoribus transfugium in tutiora reſpectantibus defenduntur. In hunc modum Angli rebus ſuis, quo loco eſſent, æſtimatis, ſub mediam noctem incenſis contuberniis arcem deſerunt: ac tranſmiſſo ponte, ſtatimque disjecto, in urbem confugiunt tam inſana trepidatione, ut telorum multum ac fabrilium inſtrumentorum præ feſtinatione reliquerint, nonnullis etiam Anglorum, prævertente fugam incendio, abſumptis. Cecidit in hujus arcis expugnatione Sterpinius, fortis ac ſtrenuus Altapennii ſubtribunus: Marchio Renthiacus plumbea glande brachio accepta graviter ſauciatus eſt. immo nec Alexander ipſe periculo plane caruit, dum Nerio foſſoribus præfecto neſcio quid ex præſenti uſu mandat, ſub latus ſiniſtrum tranſvolante globo leviter ictus. At milites cognita ex nocturno incendio ſubita inopinataque hoſtium fuga, magnis utique curis ac periculis, in quæ ſe ſe ſub naſcentem diem comparabant, exempti; arcem læti ingrediuntur, mutua gratulatione geſtientes, quaſi jam finis laborioſæ expeditionis inſtaret, atque urbis brevi expugnandæ

*Vallum tranſcendunt.*

*Præſidiarii opportunitate vicinæ urbis.*

*in eam deſerta arce profugiunt.*

*Io. Baptiſta Nerius Florentin.*

*Gratulatio militum arcem intrantium.*

 pignus

2009 Ministerio de Cultura

1587. pignus accepiſſent. Et vero hanc perſuaſionem non regii modo exercitus fuiſſe, ſed aliorum quoque, audita Sluſanæ arcis amiſſione, comperio. Certe Henricum Galliæ Regem, quum ſuper menſam ea de re diſſereretur, non aliud protuliſſe judicium, in litteris obſervavi Mendozæ legati. Scribens enim ad Alexandrum, inter alia, Regem ait, dum publice convivaretur, magnopere laudaſſe victoriam captæ ad Sluſam arcis: addito, non dubitaſſe ſe, ubi primum accepit, illam à Parmenſi Duce oppugnari, quin brevi expugnaretur: uti nec de ſimili urbis fato capta jam arce dubitare. At non hæc Angliæ Reginæ à principio mens & judicium fuerat. Nam Groneveltius Gubernator, poſt aliquot dies, quam clauſa undique ab obſeſſoribus Sluſa fuit, miſſo ex urbe homine nandi perquam perito, auſoque per obſeſſos canales inobſervatum meare, Reginam admonuerat de ſtatu urbis, docueratque annonam ſibi tres intra menſes abunde ſuffecturam: contra vim autem aggreſſionemque, ſatis à loco munimentiſque, & à militum virtute cautum eſſe. Et illa donatum centum aureis nuncium tum quidem læta remiſerat; at ubi de trajectis in inſulam ante Sluſam regiis copiis, deque arcis periculo audivit, (capta nondum erat) increpita Leiceſtrii mora, feſtinare illum, ſolvendæque obſidioni adhibere vim omnem ac celeritatem juſſit.

*Hen.* III, & Regis Galli judicium.

17 *Jun.*

& Angliæ Reginæ ſenſus. à principio lætantis,

poſtea Leiceſtrium ad opem impellentis.

Ducebat Leiceſtrius exercitum ſeptem peditum millium atque equitum ſexcentorum. Acceperatque à Regina librarum ſterlinæ monetæ decem millia ad ſtipendia militum, quæ ipſa Belgis in ſingulos annos erat pollicita. Vix autem ab inſula ſolverat, quum audito, captam à Regiis arcem, quam inexpugnabile rebatur urbi munimentum, anxius turbiduſque, feſtinata navigatione, Oſtendam petiit. De cujus diſceſſu ex Anglia certior factus Alexander, quando animatos jam ſuos expugnatione arcis animadvertebat, eo pronius ſollicitandos putabat,

Leiceſtrius accurrit 40 *millia aureorum* cum copiis & ſtipendio:

*Anglia*

2009 Ministerio de Cultura

putabat, *Vt inſtarent perterritis ac fugitantibus, ſuoque illos metu pervincerent. Quantum locorum circa urbem amiſiſſent hoſtes, tantum eos amiſiſſe urbis: nempe* ANIMAM *agere urbem illam, cujus vires ac ſpiritus paulatim ab extremis munimentis, ad intimas tanquam cordis anguſtias retrahantur.* Et opportune aderat Divi Hiſpaniarum Patroni pervigilium, ejuſque fauſtis ſemper auſpiciis oppugnari urbem tormentis quatuor ac viginti, partim è capta jam arce, partim ex inſulæ ora, imperavit. Nec plane ceſſavit ſecuta inde nocte, quo Sluſanos è mœnibus jaculantes interſisteret diſtraheretque, dum pontem canali imponeret inter urbem atque inſulam fluenti Dammum verſus. Erat hic ſuper navibus, (pleitas vocant) Farneſii juſſu ingenioque fabricatus, longitudine paſſuum quadringentorum, latitudine quantam ſeni milites pariter incedentes occuparent. latera ejus adverſus majorum ictus tuborum, duplex lorica ceſpite interjecto ſtipata, ſolide firmabat. ſuperadditum quoque tectum, quo ſe miles à plumbea tempeſtate ſubduceret. Nocte una cum accedente die, ſternendo ponti inſumpta, (nulla navium, nonnulla fabrorum cæde) commeare per illum milites, ac mœnibus admoveri ad invadendum cœpere. Namque tormenta continenter exploſa mœnium partem, ſpatio centum circiter paſſuum, ac portam cum geminis turribus aperuerant. Ad hanc autem inſpiciendam, æſtimandamque murorum ſtragem, miſſos ab Alexandro Hiſpanos quinque ac viginti, cum Centurionibus Antonio Gomeſio & Ioanne Pacio, aggreſſus repente eſt Sluſanorum manipulus: conſertoque prælio, quamvis Centurionum altero interfecto, altero ſauciato, pervicere tamen Hiſpani: pulſiſque defenſoribus, turrium unam ſubeuntes, in ejus faſtigio, unde in urbem proſpectus, ſe ſe utcumque muniere. Quin & Aquila Tribuno accurrente, prope erat, ut turris altera expugnaretur. Sed tormentis ab hoſte converſis in ſemirutas jam turres, ac

1587. Alexand. ſuos ad oppugnationem urbis animans,

eam quatere incipit:

& pontem canali imponit.

*Pons*

Structura pontis.

per eum mœnibus accedunt alicubi quatefactis.

Miſſos ad explorandum Sluſani invadunt:

*Gomeſius occubuit*

repelluntur interfecto tamen hiſpano Centurione:

& Aquila Tribuno ſauciato.



2009 Ministerio de Cultura

1587. *Aquila*

Tribuno haud ſane leviter ſauciato, Hiſpani, ne parietum ruina obruerentur, utrinque decedere coacti ſunt. Interea ſub primas tenebras obſervari cœptum, ex edita urbis arce attolli collucentes faces: earumque variato ſubinde numero poſituque ſignificari aliquid, ac per ejuſmodi igneos characteres admoneri haud dubie Fliſſinganos de ſtatu civitatis. nam eodem tempore è Fliſſingæ portu conſimiles luminum notæ, atque ignium ductus proſpiciebantur. Aperuitque dies arcanum noctis. quum mane quantum maris inter Fliſſingam & Catſandiam patet, ſtratum hoſtium navibus repente apparuit. Eodem die trepidis nunciis ab Iſendica, ac Blanchenberga certior fit Alexander, illic timeri novum hoſtem è Zelandia, hic ab Oſtenda. Nec poſt multo affertur, Comites Mauritium & Holachium, vaſtato flammis ferroque Campiniæ agro, admoviſſe copias Buſcoduco, facile periclitaturo, niſi accuratur. Enimvero ingens mæſtitia ac deſperatio Regios inceſſit, quaſi à meta, quam tanto cruore propemodum attigiſſent, iterum ad carceres, tot inſumptis fruſtra laboribus, retraherentur. Quippe apparebat, hoſtium conſilium eſſe, aut avertere Alexandrum à Sluſæ obſidione: aut, ſi perſiſtat, eodem tempore Iſendicam aggredi ac Blanchenbergam: quæ videlicet arces, ad Sluſæ dexteram lævamque, caſtra Dammi & Catſandiæ defendentes, ſi caperentur; facile poſſe aut expugnari caſtra, aut in horum defenſione Regios diſtineri, dum interim Zelandiæ naves, quæ ad oſtium canalis acceſſerant, cum auxilio ad urbem ſecuræ pervaderent. Sed jam Alexander, quum primum audiit, ſolviſſe Leiceſtrium ex Anglia, nulla interjecta mora ad Iſendicam quidem cum octingentis peditibus, ac loricatorum turma, Petrum Caetanum: ad Blanchenbergam autem cum trecentis ſclopetariis equitibus, ac tribus peditum ſignis Comitem Arembergium immiſerat. Pontem vero in canalis aditu jam antea fabricatum, plu-

[Margin notes:]
Luminum ſigna ex arce attollunt Sluſani

Reſpondent Fliſſingani per ſimiles notas: & effectus apparuit. *ab Iſend. à Blanch.* Præterea arma à Fœderatis alio atque alio inferuntur *Bolduc*

hoc conſilio.

Quæ ab Alexan. præviſa.

*Corazze* atque iis obviam itum eſt:

2009 Ministerio de Cultura

pluribus tormentis, ejuſque capita validis utrinque ſtationibus communierat. Plus ei curarum Buſcoduci diſcrimen afferebat, cujus in primis ſecuritati, ut conſuleret, evocandum ſibi duxit è Rheni finibus Altapennium: qui parte ſuorum ad Rheni tutelam relicta, parte ſecum ducta, obviam iret hoſtium conatibus. Sed dum Altapennius moratur, Loona ac Boxtela arces, Helmontium, Eindovia, aliaque per Brabantiam oppida pagique ad deditionem compulſa venere in Holachii manus. 1587. & evocatus ad Buſcoduci defenſionem Altapennius.

Cauſa morandi fuit, potiundæ Geldriæ ſpes Altapennio facta à Pattono Scoto, qui urbem pro Schenchio Scotorum Tribunus adminiſtrabat. Hic Leiceſtrio infenſus ſæpius minato, ſe illum loco moturum: & recente in Schenchium ira, quod orto inter pocula jurgio, Schenchius in eum manus intendiſſet; ſtatuit hujus injuriam ulciſci, & illius minis antevertere. Communicatoque conſilio de tradenda Regi urbe cum Altapennio, qui è Rheno in Brabantiam illac contendebat; ſpondet, ſe illi proxima nocte, portarum unam recluſurum. Sed tardiorem aliquanto reddebat Altapennium, recens in conſimili negotio diſcrimen Appii, cui pactus Wachtendonchæ Gubernator, ſe oppidum arcemque traditurum, ſi reſtitutis bonis à Parmenſi Duce, in gratiam reciperetur; Appium ea pollicentem cum certo etiam pecuniæ additamento, in ſequentem noctem invitavit. Nec diſtulere ad condictum tempus aut apparere Appius, aut prodire è porta Gubernator. Sed hic ad cancellos progreſſus, quaſi demiſſo ponticulo Appium excepturus, contorta haſta in pectus militis, quem ceteris anteſtantem, inter eas tenebras Appium credidit, intra urbem repente ſe clauſit: irrita tunc quidem Appii ſpe, ſed irritatis inde Regiorum armis, effectum eſt, ut expugnata poſt aliquot menſes Wachtendoncha, ejus loci victoria non jam cujuſquam dolo, ſed Regiorum virtuti deberetur. Hoc documento cautior Alta-

GELDRIÆ urbis deditio Altapennio promiſſa *Vrbs Geldria Pattonus* ab irritato loci Tribuno. *Leiceſtrii* Dubitat Altapennius, exemplo Appii *App. de Comitibus.* à Gubernatore Wachtendonchæ decepti. *A Manſfeldio vide lib. 10.* Inde cautius ſe Tribuno committit;

2009 Ministerio de Cultura

1587. tapennius, non ante ſe Pattono committendum putavit, quam & ejus animum altius exploraſſet, & adſcitos in ſocietatem facinoris fratrem ejus, Scotorumque centurias comperiſſet. nam ab reliquis Geldriæ præſidiariis Anglis & Geldris non magnopere timebat, quos ob dilata ſtipendia ſegnes pro Leiceſtrio, & tam fide quam ære vacuos fore ſperabat. Ergo ſub mediam noctem cum duobus equitum ſignis, tribuſque peditum centuriis pergit deſignatam ad portam: reperitque egreſſum jam inde nullo comitatu Gubernatorem, qui ſe urbemque Altapennio dedens, oſtendit patentem regiis militibus ſecurumque in urbem aditum: tantum admonitis rogatiſque, ne civium vitæ fortuniſque, uti convenerat, graves eſſent. idque ſervatum integra fide: armis in neminem diſtrictis, præter quam in Anglorum manum reſpugnare primo auſam, moxque deditam: reliquis præſidiariis fugam per averſam portam arripientibus, vis omnis prædantium in Schenchii ſupellectilem verſa eſt. Feruntque tantam ibi repertam armorum, veſtium, vaſorumque, & militarium in primis equorum copiam, quarum ille prædarum pro conditorio Geldriam habebat; ut triginta aureorum millia, queis Pattonus, ejuſque frater, & Scoti præſidiarii, Parmenſis nomine donati ſunt, longiſſime ſuperaverit. ſic unius hominis offenſio & Leiceſtrium principe urbe, & Schenchium opimis ſpoliis intervertit: docuitque, IMPORTVNE lædi eum, cujus fide opus habeas. Nec ſatis remedii malo adhibitum eſt ab ultione de Scotis militibus ſumpta, quos Wachtendonchæ in præſidio agentes, ad unum omnes loci Gubernator, audita defectione, contrucidavit. ignarus, abalienata per eam ſævitiam natione, complures Pattono ſimiles armari, qui hoſtilem induentes animum, non jam proditores inde ſe, ſed innoxii ſanguinis, ac læſæ patriæ vindices habituri eſſent. Interim Altapennius, adjecta regiis partibus Geldria urbe,

*ab eoque in urbem ipſe ac milites inducuntur:*

*præda eaque permagna ſolum è Schenchii fortunis capta:*

*Vltio de Scotis alibi ſumpta ob iram proditæ à Scoto Geldriæ:*

©2009 Ministerio de Cultura

urbe, cognominis provinciæ capite, aſſertaque inde vicinarum urbium locorumque ſecuritate; poſtquam civilem ejus bellicumque ſtatum utcumque compoſuit, in Brabantiam, quo ad opem Buſcoduco ferendam evocabatur, intento curſu militem rapuit. 1587.

Trajecto amne ad Venlonam, excepere Altapennium copiæ Antverpia ſubmiſſæ à Mondragonio, ductoribus Werpii Domino, & Emmanuele Vega, Wallonum, Hiſpanorumque, & Stanlæo Hibernorum Præfectis. Quibus ad ſuos, quos ducebat è Rheno, adjunctis, exercitum numeravit trium millium ducentorumque peditum, & equitum mille. Cum hiſce copiis iter Helmontium celeriter intendens, oppidum ardere procul videt, ſubjecto ab hoſtibus igne, quum primum adventare Altapennium accepere. quin & deſerta Eindovia, mox etiam Tilburgo, vires omnes tranſtulerant apud Engelam, arcem Buſcoduco proximam: quam plures jam dies Holachiani obſidebant adverſus Fabium Reginam loci Gubernatorem, ſperantes ab hujus expugnatione pendere Buſcoduci fatum. hinc verſa Holachii feſtinataque cura ad firmandam contra hoſtium conatus obſidionem. Et quoniam Engela hinc Moſam aſpicit, inde aſſidet Diſæ fluvio, qui ex Dommela, & Aade Buſcoducum confluentibus ortus, in Moſam brevi ſe tractu devolvit; Holachius ſtrato ſuper Diſam ponte, armatiſque aliquot in Moſa navibus, atque auctis militum copiis, qui quatuor peditum millia exceſſere, paulum infra mille equites erant, ſpem obſeſſis omnem præcidiſſe viſus eſt. At vero Altapennius animadverſo Buſcoduci diſcrimine ab Engelæ ſtatu, quum primum hoſtes in conſpectu habuit, pugnæ avidus, in hunc modum copias inſtruxit. Ductorem equitatus Appium præire cum parte equitum juſſit, ſequi Hiberna Stanlæi ſigna immiſta Wallonibus Werpii, medios ſtare Megæ Comitis Germanos, poſtremo agmen claudere

Bo-

*Moſa*

PVGNA apud Engelam.

Altapennius ad defendendum Buſcoducum properat.

ejus copiæ.

*Bolduc*

Holachius Engelam Buſcoduco proximam obſidet,

*Aa*

ejus exercitus.

Altapennius ſuos inſtruit ad pugnam.

2009 Ministerio de Cultura

1587. Bobadilliam legionem. Nec minus interritus animi Holachius ſuos in aciem eduxerat. compoſitoque ex Anglis Hollandiſque agmine, frontem ejus curruum ac vehiculorum vallo ſepſit, terga fluvio ac ponte muniit: &, ſi vallum perrumperetur, navium à Diſa atque à Moſa ſubſidium, à quibus quaterentur hoſtium latera, deſtinavit. præterea ſeorſim ab aliis, quingentos ſclopetarios, pleroſque pedites qui pugnam inferrent, agmini præpoſuerat. Vix ſignum ab Altapennio datum, quum in hoſce anteſignanos provolat Appius, ſuccedunt Hiberni, Walloneſque: atque, ut erant illi longe ab agmine progreſſi, antequam ab Holachio auxilium accederet, impares numero magna paſſim ſtrage ab Appii equitatu impune ſternuntur. Sequitur felix pugnæ principium Altapennius: promotiſque Germanorum haſtis, invadit perrumpitque vehiculorum vallum. Sed vallum longe firmius obtulere illico ſe denſato agmine Holachiani. Quippe nexi conſertique non excepere modo, ac repreſſere invadentium impetum; ſed, niſi propere hiſpanam legionem Altapennius admoviſſet, ejus inclinatura jam acies videbatur. Verum dum ipſe cum Hiſpanis in hoſtem vi tota illatus, prælium integrat, atque ante alios Dux idem ac miles præit, ſmerilli globo Moſana è navi emiſſo, collum trajectus, ex equo in terram ſubito procidit: pallioque à Vega properare tectus, ne Ducis caſus militem conſternaret, vitæ dubius clam inde Buſcoducum amotus eſt. Nec ideo, dum infortunium vulgo latuit, quidquam remiſit reſtituta jam pugna. Quin immo regiarum partium ductores, poſt æquatum aliquandiu prælium, dolore iraque vires ac ferrum acuente, uſque adeo valuere, ut penetrato per obſtantium cædes agmine ultra progreſſi, contempta, quæ non ſine multorum cæde, ingruebat è navibus pilarum tempeſtate, ſubſidium Engelanam in arcem poſtremo intulerint. Verum ſparſus per utrumque exer-

*Margin notes:* & ſuos Holachius. *quam Vega ducebat* — *Holachiani* Primum agmen Regii fundunt: — & vallum vehiculorum perrumpunt: — nihil cedentibus Holachianis. — Cadit Altapennius. — Superant tamen Regii, — & Engelæ inferunt ſubſidium.

©2009 Ministerio de Cultura

exercitum proſtrati Altapennii rumor, attonito 1587.
magis, quam territo regio milite, Holachianos
nova ad pugnam alacritate revocavit. Non tamen Appium, werpium, ac reliquos Duces animus aut ratio deſeruere: raptimque coëuntes, & quid in re trepida opus foret conſultantes, ſtatuunt, Appii conſilium ſecuti, progreſſos in eum locum milites, ubi ab infeſtis navibus tuto eſſe non licebat, haud diutius continendos; ſed quando jam ſubſidium induxerint, quamprimum inde revocandos, ita tamen ut ſpeciem pugnantium, non recedentium hoſtibus præberent. Idque facturos, ſi ſervatis ordinibus, promptis in hoſtem armis, pedem non faciem referrent. Receperuntque in ſe ſe, Appius quidem ſtatutis in fronte equitum turmis, primam hoſtium vim excipere, ac retundere: Vega autem legionarios ſuos, quibus pro abſente Bobadilla imperabat, prima in acie immiſtos equitibus continere. Paria his reliqui ordinum ductores ultro polliciti, animanteſque regiminis quiſque ſui milites, tanto omnes ardore ferociaque prœlium inſtaurant, ut non ſuſtinere, ſed inferre pugnam viderentur. Et vero patuit, quid poſſet aut concordia Ducum, (rara inter pares præſertim in bello virtus) aut multis collecta præliis militum experientia. Nam & primores belli ſimul imperando, ſimul parendo, nec magis ſe ſuis militibus Duces, quam collegis ſuis milites ſe præſtando: & milites non expectatis Ducum imperiis, gnari ipſi per ſe quid in præſens uſui foret, nunc addenſando ordines, nunc laxando: nunc pro cadente commilite, (namque indeſinenter à navibus petebantur) integri objectu locum explendo: ſemper autem pugnam regreſſumque miſcendo, unumque altero occultando; eo tandem loci devenere, ut Holachiani dum eos recedere non putant, ſenſerint receſſiſſe, atque extra ictum fulminantium navigiorum peditatum omnem emigraſſe. Quin etiam, quoniam vis Holachii tota

Tum de revocando exercitu conſultant,

Reſtaurant pugnam;

& pugnantes recedunt,

magna Ducum, ac militum laude,

2009 Ministerio de Cultura

1587. tota in Appii equites ferebatur, Hiſpani pedites aliarumque nationum, novo ſe rurſum ordine inſtruentes, quaſi reſumpto in hoſtem impetu redituri; inhibuere inſequenti Holachio curſum, magnopere admirato virtutem militum pugnaciter adeo ordinateque, amiſſo Duce, recedentium: ſimul inſidias verito, quarum auxilio freti hoſtes majora viribus auderent, eoſque, à quibus modo receſſerant, provocarent. Itaque haud tentandam novæ pugnæ aleam ratus, retro flexit, non amiſſa ſpe Engelam expugnandi, novo quamvis ſubſidio firmatam. At regii milites ac Tribuni, ut in acie adverſus hoſtem mire concordes, ita poſt pugnam diverſi incertique, cujus interea ductum imperiumque ſequerentur; ad Alexandrum mittunt, referentes quæ geſta eſſent: recuperata pleraque Campiniæ loca: in Engelanam arcem præſidium inductum: commiſſo prælio cæſos ex hoſtibus circiter nongentos, è victoribus vix ſeptuaginta deſideratos: ſed ob Altapennii infortunium non auſi ſunt triſtem nempe victoriam Alexandro gratulari, ſolum orare, ut, quoniam expeditionis Dux ſi non deſperata, quod verebantur, certe lenta curatione perdiu abfuturus erat ab exercitu, quam primum aperiret, quem ejus interim loco iis copiis ipſe præficeret: quidque eiſdem agendum, ſi Sluſam redeundum non eſſet, injungeret.

& Holachii admiratione, qui ab obſidione diſcedit.

Nuncius victoriæ ad Alexand.

Numerus utrinque cæſorum. *Altapennius*

At evulgata in Sluſæ caſtris Altapennii morte, (ſic enim primum credita eſt) luxit eum exercitus ſupra privati Ducis morem. mox audito illum vivere, lætiora ſperare cœperat: quum noviſſime nunciato, quarto, poſtquam Buſcoducum illatus fuerat, die occubuiſſe, milites quaſi perfuncti jam mærentium officio, mortem audivere ſegnius, quam mortis opinionem ante doluerant. Sed Alexander non aliam ſuorum jacturam ægrius tulit. Quippe à teneris eum annis in militiam & clientelam acceperat, commendatum ſibi non ſolum à familia nun-

Luctus exercitus apud Sluſam, audita morte Altapennii: lætitia ex contrario nuncio, iterumque dolor certo jam obitu. Præcipuus Alex. mœror.

2009 Ministerio de Cultura

nunquam interruptæ in Regem parteſque fidei, 1587.
(qua laude conſtantiæ non utique infructuoſæ
aut pœnitendæ, nulli Belgarum Proceres ante
Barlamontios monſtrabantur) ſed maxime à
propria adoleſcentis indole ſane præfervida ac
martiali: quam mature introſpectam primis
militiæ rudimentis informandam ſibi ſumpſerat
Alexander, alueratque in ſpem magni aliquando Ducis, collatis in eum prætoriarum cohortium, & Germanicæ legionis, & Geldrorum provinciæ præfecturis. quas ille ut accuratius adminiſtraret, intentis in Farneſium oculis, inde ſingula intentandi, ac peragendi excipiebat exemplum, adeo ut, quum interdum aliqua nimis quam audacter aggrederetur, hoc quoque inter imitamenta computaret. idque nec gratiam ei, aut opinionem apud Alexandrum imminuebat, ſua videlicet agnoſcentem: & lætum habebatur, ac plauſibile militari vulgo non aliam magis admirari fortitudinem ſolito, quam quæ inter præcipitia pendeat, & in confinio temeritatis pedem figat. Quod tamen Altapennii juventæ, nimium certaminis avidæ, admoviſſe cauſam mortis creditum eſt. Quamquam quum non magis audacia obſuerit Altapennio, quam cautio non profuerat Hiergio fratri ante annos octo in obſidione Trajectenſi pila ſimiliter enecato; profecto NON recte ſemper contuleris in errata præliantium eventa præliorum plerunque fortuita: facilius affirmaveris, QVO die ſe militiæ quis addixit, eo primum die reum ſe omnium bellicorum ſucceſſuum obtuliſſe.

*& Elogium Altapennii.*

*Ægidius Hiergii Dom. poſtea Com. Barlamont.*

DE

2009 Ministerio de Cultura

1587.

# DE BELLO BELGICO

## DECADIS SECVNDÆ

## LIBER NONVS.

ENGELA Holachio dedita.

INTERIM Alexander miſſo Florentio Floiono Barlamontii Comite, qui pro Altapennio fratre Geldriam, ac Rheni ripas curaret; non diſtulit, uti rogabatur, ſuis per Campiniam copiis extemplo conſulere, impoſito illis

Vaſtius per Campiniam copiis impoſitus

Marchione Vaſtio, cum mandatis, ut illico Buſcoducum peteret, ac tueretur adverſus hoſtem. quem ſi forte ad opem Sluſæ ferendam movere inde conſpiceret, armis ſtrenue objectis iter intercluderet. Et Vaſtius quamquam illuc Sluſanis è caſtris advolavit, reperit ta-

Engelam accurrit, diu defenſam.

men Engelam obſidione preſſam ab Holachio jam reverſo, ſuprema inter diſcrimina laborare. Defenderat illam ad eum diem pari animo ſucceſſuque cum Burgundorum manipulo

Sed Holachius auctu fluminis inundantis

Fabius Regina: donec Holachius aucti fluminis occaſionem nactus, apertis obicibus, ad arcem armatis cum navibus acceſſit. ex quibus (namque altius arce fluitabant naves) quum in defenſores continenti pilarum ignium-que emiſſione fulminaret, militeſque ac domos juxta proſterneret; Fabius, omiſſa ſpe au-

arcendo acceſſum auxilii,

xilii, cujus acceſſum inundatio ſubmovebat, non contemnendis conditionibus arcem dedit: tanta Holachii ac Fœderatorum gloriatione, ut quaſi ex ea jactura, regiorum animi & corda contabuiſſent, crepuiſſentque, everſa Engela,

arcem obtinet,

novam inibi erectam arcem Moſæ propiorem,

Crepi-

2009 Ministerio de Cultura

Crepicordium nominaverint. Quamquam ſuperioribus annis poſt captum ab Ordinibus Buſcoducum, ad ejus urbis præſidium, ſuper ruinis veteris Engelæ, Engelana rurſus munitio excitata eſt. Eodem tempore Vaſtius minore ſui pompa, & majore hoſtium damno, non ſolum Boxtelam arcem iiſdem fere conditionibus deditam cœpit, ſed etiam Buſcoducenſem urbem fame, hoc eſt acriore intus hoſte laborantem, frumento inducto, ab inteſtina illa obſidione liberavit. Pergebatque Vaſtius, Loonam haud dubie recepturus, quum revocatus à Farneſio, jubetur cum Bobadillia legione Sluſam properare, quippe gliſcente hoſtium numero ad ſolvendam urbis obſidionem quotidie confluentium.

1587. & aliam erectam Crepicordium nominant.

1629. Vaſtius inducto in urbem frumento,

Sluſam evocatur ab Alexand.

Convenerat inter Leiceſtrium, & Mauritium, ut hic aſſumpto ſecum Præfecto Zelandici maris Iuſtino fratre, cum Carolo Howardo ſupremo Anglicanæ oræ mariſque Gubernatore, claſſem ex Anglis ac Zelandis inſtructam apud aditum canalis, qua iter eſt Sluſam, continerent: ipſe copias ſuas Blanchenbergam deportaret, eaque capta pedeſtre inde prælium obſidentium caſtris inferret. Et Leiceſtrius quidem eo appulſus, tanta celeritate ad Blanchenbergam arcem quatuor Anglorum millia e navibus admovit, ut primos ſtatim cancellos ante arcis portam, pulſis inde præſidiariis, occupaverit. Et quamquam defendi arx diu poterat, ejus tamen audito periculo Alexander ex nuncio, qui teſtis capti veſtibuli excurrerat feſtinatus ab Arembergio, ſtetit parumper deliberabundus cum iis, qui aderant belli Ducibus, an immitteret illuc auxiliares aliquot copias: quod ex una parte, ſubducto è caſtris ac ſtationibus milite, infringeretur obſidio, hoſteſque ad invadenda raris præſidiariis loca invitarentur: contra ſi nihil extenuata obſidione perſtaret in caſtris miles, caputque ſuſceptæ rei urgendo, cetera fortunæ permitterentur; expugnata Blanchenberga, fractoque illo maris clauſtro,

Conſultatio Fœderatorum pro Sluſa.

*Maurit. Iuſt. nothus Leiceſtrius.*

Leiceſtrius Blanchenbergam invadit.

Sollicitus de ejus periculo Alexander

2009 Ministerio de Cultura

1587. clauſtro, atque adeo aperta hoſtibus ad Sluſam
via, defendi ex ea parte caſtra vix poſſent. Ergo
libratis utrinque momentis, quum dilatis, quæ
ab Arembergio in præſens petebantur, auxiliis,
certa eſſet arcis amiſſio; viſum eſt, HAUD ſapien-
ter proſpici ſummæ rei, ubi à jactura partis in-
cipitur. nec ſibi gratam fore Sluſæ expugnatio-
nem addidit Alexander, ſi capta Blanchenberga
audiret, Arembergium tamquam in triumpho
per Hollandiam trahi à Leiceſtrio, aut Leice-
ſtrianæ victoriæ teſtem in Angliam Reginæ
ſubmitti. Itaque ire ipſe ſtatuit, Sluſanæ obſi-
dionis aliquanto ſecurior: namque aggeres, ca-
ſtella, ac reliquas munitiones paulo ante luſtra-
verat: & intentiore cura canalis præſidium, un-
de præcipuus timor ab hoſtili claſſe contra e-
jus oſtium excubante, ex ſingulis Hiſpanorum
centuriis quinos elegerat grandiore tubo arma-
tos, ac ſtationariis illic pontem ex utraque ripa
tuentibus immiſcuerat, ceu nervos molliora
corporis firmaturos. Igitur pro ſe, impoſito uni-
verſæ obſidioni Renthiaco: juſſoque Vaſtio cum
parte equitatus circumire caſtrorum aggerum-
que terga; trecentos Wallones leviter armatos
Blanchenbergam verſus illico præmittit, ſequi-
turque mox ipſe cum parte Bobadilliæ legio-
nis, duobus Raitrum ſignis, ac prætoria turma:
certus cum modicis hiſce copiis Leiceſtrium
ad pugnam laceſſere, arcemque obſidione li-
berare. Haud multum viæ ab Ardemburgo con-
fecerat, quum Leiceſtrius, audito Alexandri
conſilio adventuque, non explorato, quantus
eſſet hoſtium exercitus, ſatis magnum ratus
quemcumque duceret Alexander; à congreſ-
ſione abſtinuit, fugiens belli aleam compara-
tionemque, nec interim ſe minorem hoſte ha-
bendum exiſtimans, quandiu inter ſe virium
periculum non feciſſent. Itaque eadem nocte
retractis in naves militibus, à Blanchenberga
Oſtendam verſus propere ſolvit pugnandi ne-
ceſſitatem antevertens: quum tamen militum
numero ſupra dimidium ſuperior foret. Adeo

Ire ipſe ſtatuit, ac rebus apud Sluſam ordinatis,

relicto pro ſe Renthiaco,

contra Leiceſtrium movet,

qui non expectato hoſte diſcedit.



2009 Ministerio de Cultura

SOLA Ducis fama interdum bella profligat. 1587.

At vero Sluſani aliquid interim auſuri per abſentiam Alexandri, Fliſſinganam claſſem admonuere, ut eadem nocte, dum ipſi proximum urbi pontem invaderent, claſſis in pontem alterum oſtio canalis injectum, impetum faceret. Et claſſis quidem fecit. ſimulque Sluſani incendiariam navem, Antverpianarum in morem attemperato cuniculo, conſpirante maris æſtu, incitavere in pontem. Sed Renthiaci proviſu, ſoluta extemplo compage navium, quibus pons inſiſtebat, viaque inimicæ navi rapido curſu vadenti patefacta, nulli noxia cuniculi peſtis erupit. Nec feliciore ſucceſſu Fliſſingani, poſt impetitum eminus pontem multiplici flammarum jactu, retentata cominus aggreſſione eumdem non inſtrenue adorti, ſtrenuiore ſemper Hiſpanorum virtute rejecti ſunt. Vna demum Sluſanis eruptio, ea nocte, poſt incendiariam navem fruſtra emiſſam, fruſtra non fuit. Etenim non procul à Brugenſi porta munitionem erexerant Hiſpani: eam egreſſi repente oppidani, inter tenebras metumque ad defenſionem pontis accurrentium Hiſpanorum, raptim invadunt; fugamque arripiente Centurione, cui locum defendendum tradiderat Aquiliæ legionis Inſtructor, munitione potiuntur, præſidii dedecore majori, quam clade. Sed brevi recuperata ſunt & locus, & decus. Namque Farneſius, cognito Leiceſtrii diſceſſu, reverſuſque celeriter ad ſuos, quantum lætitiæ traxit ex defenſis valide pontibus, tantum doloris iræque ex amiſſa munitione concepit. Obvioque legionis Inſtructore. *Egregium tu quidem Centurionem*, inquit, *tanti momenti loco impoſuiſti*. Cui ille quum audacter reſpondiſſet, *non alium ab ſe impoſitum, quam ex iis, quos ejus celſitudo legiſſet*; ad improviſam liberamque reſponſionem paulum reticuit, mitigataque ira, *Vere tu quidem*, ſubdidit: *& iſte, & reliqui in exercitu Centuriones à me ſunt, ſed alii juſtitia, alii gratia ſuffragio creati: ideoque non omnes aeque*

Sluſani pontem urbi proximum aggrediuntur,

incendiaria cum navi.

fruſtra,

& Fliſſingani pontem alterum

pari ſucceſſu.

Amittitur munitio ignavia hiſp. Centurionis.

*Sergente Maggior*

Quæritur Alex. ea de re cum inſtructore:

qui libere reſpondet:

& Alex. civiliter accipit reſponſum,



2009 Ministerio de Cultura

1587. *agneſco meos.* Haud obſcure ſignificans, eſſe ali-
quos inter militiæ præfectos, quibus non ſuo
ipſe judicio, ſed hiſpanæ aulæ commendatio-
ne regimen aliorum attribueret. Valuitque ea
Alexandri vox, ut alius ex eadem legione Cen-
turio, ſive nationis ignominia perſtrictus, ſive
propriæ laudis ex aliena ignavia petendæ occa-
ſionem nactus, onus in ſe ſuſceperit invadendæ
munitionis. hortatuſque centuriam ad repor-
tandam non minus ex ſuis, quam ex hoſtibus
expoſitam fortibus viris palmam, locum ma-
gno animo aggreſſus, hoſtes loco proturbavit,
decus ſuis reſtituit, ſibi auxit. Nec poſt multo
utraque turri in poteſtatem denuo redacta, me-
dioque murorum ſpatio inter turres ſuffoſſio-
nibus ac tormentis quatefacto, expoſcebant
jam milites aggreſſionem & pericula, pars tæ-
dio laborum, multi oſtentatione virtutis, ple-
rique metu ne per deditionem præda frauda-
rentur. Nec militum alacritatem fruſtraturus
erat Imperator, quum Sluſæ Præfectus ac ci-
ves, audita Leiceſtriani exercitus fuga, ſpecta-
to Fliſſinganæ claſſis irrito conatu, cujus etiam
tum naves complures à canalis aditu receden-
tes videbant; eoque deſperatis aliunde auxi-
liis, ac intra lacera apertaque urbis mœni[a]
male tuti, deditionem obtulere. Et Alexander[,]
comperto armari rurſus Angliam ad Sluſæ au-
xilium: ac brevi, uti ferebatur, viginti bella-
torum millia inde ſolutura; veritus, ſi rei fa-
ma, licet in majus aucta, ad obſeſſos pervade-
ret, ne illos tanti ſpes auxilii ad ſuſtinendam
obſidionem aliquot inſuper dies, quod ſane po-
terant, obfirmaret: atque adeo ne oblata tun[c]
ultro victoria, poſtea dubio ſucceſſu, certis pe-
riculis, multo utique ſanguine eſſet emenda[,]
colloquium facile admiſit: eodemque die, q[ui]
fuit octavo idus Auguſti, acceptis ac datis ob[si]-
dibus, hinc Caetano & Cæſio, inde totidem e[x]
Anglorum primoribus, intra horas omnino qu[a]-
tuor confecta deditio eſt. datumque hono[ri]
inexpugnabilis loci, defenſorumque virtuti[,]
ut mi-

[Margin notes: & Centurio alter Hiſpanus — munitionem recuperat: — Aggreſſionem expoſcunt milites: — ſed deſperatis auxiliis, — atque aperta multis in locis urbi deditionem offerunt Sluſani. — qui clementer accipiuntur ab Alex. — *9 Aug. Petr. Caet. Nicol. Caſ.*]

©2009 Ministerio de Cultura

ut milites abirent cum ſua quiſque ſupellectili, explicatis vexillis, incenſis ſcloporum funiculis, ac reliqua alienæ victoriæ pompa; facili ad ea Farneſio, quippe expugnationi urbium intento, & ſua victis ſolatia non invidente. Immo Groneveltio Gubernatori ſubmiſſe petenti litteras, quæ apud Angliæ Reginam fidem facerent operæ in defendenda urbe ab ſe militariter impenſæ, peramplas is tradidit cum perhonorifica teſtificatione regiminis ejus. Fuere, qui egreſſi ſunt urbe, ſub tredecim ſignis, præſidiarii paulum ſupra nongentos. præter ſaucios, qui ferme quadringenti ratibus duodecim ferebantur. Omnes extra canalem à Regiis deductos naves auxiliarium accepere. Cecidiſſe autem toto obſidionis tempore, ex Sluſanis ferme ſeptingentos proditum eſt, ex Regiis deſideratos infra ducentos & quinquaginta, ſaucios aliquanto plures omnino patuit.

1587. & dimittuntur liberaliter præſidiarii præcipue Gubernator impetratis ab Alex. litteris. Integri ex præſidiariis abeuntibus, & ſaucii, mortui ex victis & ex victoribus.

Poſt hæc Alexander inductis ad urbis arciſque præſidium novem Hiſpanorum centuriis, deſignato Gubernatore Ioanne Rivio ſpectati animi conſiliique Centurione, quem ex Teneramundæ præfectura evocavit, ſubmiſſo in ejus locum Centurione Chaſco, notæ pariter virtutis; egit ipſe, agique ab univerſo exercitu voluit, ſacra ſimul ac militari pompa, grates Dei clementiæ, ob expeditionem illa militum paucitate perquam arduam, optatum ad exitum, brevi mora perductam. Et vero admiratos comperio vel ipſos qui vicere, potuiſſe à quinque peditum millibus, ac ſeptingentis equitibus obſideri urbem tot caſtellis, inſulis, mari, ſeptam: tot paludibus, aggerumque obicibus, eorumque ſecturis, atque alluvionibus acceſſam. ut non minus profecto difficile videretur Sluſam invenire, quam vincere. Suffeciſſe tam modicas copias adverſum eodem tempore conjuratas ad Sluſæ auxilium hinc Zelandiam Fliſſingana claſſe, inde Angliam Leiceſtriano exercitu, aliunde Friſiam atque Hollan-

Alexander gratias Deo ſolenni pompa perſolvit, *Io. de Rivas* ob victoriam, ſpectata invadentium paucitate, & difficultatibus invadendi & hoſtium numero,



2009 Ministerio de Cultura

1587. diam Schenchianis Holachianiſque agminibus: atque ita ſuffeciſſe, ut, non modo hoſtium alios exſcenſionem aggreſſionemque auſos in naves rejecerint: alios deſperato impenetrabili caſtrorum acceſſu, quærere alibi obſidionis avocamenta compulerint; ſed ultro etiam obviam auxiliaturis proceſſerint, eoſque terrore ſui, quo nil conficientius inter arma, fugaverint. Denique intra dies non amplius quinquaginta, erexiſſe periniquo loco, ac novo more aggeres: expugnaſſe toties caſtella, arcemque in primis ante Sluſam, hoc eſt Sluſam alteram: ſeptis ac pontibus conſtrinxiſſe maris brachia: pugnaſſe cum fluminibus, hoſtium odia atque arma gerentibus: Sluſam ipſam multo præſidio validam minima invadentium clade in poteſtatem reduxiſſe; profecto in Sluſenſi expeditione, ſi unquam alias, intellectum eſt, SAPIENTIA Imperatoris, ac virtute militum numerari exercitus, ac parari victorias. At vero Alexander poſtquam Renthiaco ac Vaſtio mandavit, ut copias è Sluſenſi agro deductas, deſignata per loca diſtribuerent; & pontes atque opera circa urbem excitata deponerent, ne hoſti ad Sluſam invadendam invitamento atque uſui forent; quod, dum hæc ſcribo, factum eſt ad Ariam in Arteſia, iiſdem munitionibus ab Hiſpanis mox receptam, quibus fuerat à Gallis capta, Bruxellas rediit, civili bellicæque adminiſtrationi ex ea urbe conſulturus.

*& temporis brevitate.*

*ex ligneis ſeptis*

*habitam merito maximam.*

*Ipſe compoſitis Sluſæ rebus Bruxellas abit.*

*DISCORDIA inter Fœderatos & Leiceſtrium.*

Sluſæ jacturam ſecuta eſt inter Leiceſtrium ac primarios ordinum inſanabilis diſcordia (conſuetum nempe malum, & ſecunda eorum, qui victi ſunt, clades) dum quiſque in alterum rei infelicis eventum referendo, acrius tunc factioſis concionibus, ac libellis, inter ſe decertabant, quam ante cum hoſte conflixerant. Querebatur Leiceſtrius generatim de Ordinum deſidia inconſtantiaque, qui & bellum non pararent, & pacem non admitterent. Præcipue vero ferebantur ejus querelæ in Holachium, & in Iuſtini Naſſavii navales ſocios, quod

*Hujus querelæ:*

*Holachio*

2009 Ministerio de Cultura

1587.

quod ille deſtinatam Sluſæ opem intempeſtive alio derivaſſet: hi quod navibus raro milite inſtructis auxilium liberandæ urbis in ſpeciem oſtendiſſent. ideo è claſſiariis uno in carcerem tracto, & quæſtioni ſubjecto, nihil omittebat, quo Ordinum culpam maligne pecuniam militemque ſubmittentium palam faceret. Nec minore in ipſum, quamquam occultius ab Ordinum Proceribus regerebantur: turbis uſque adeo per Hollandiam in primis, Friſiamque gliſcentibus, ut renovatis veterum motibus diſcordiarum, urbium aliquæ obedientiam Angliæ Reginæ, atque Leiceſtrio præ ſe ferrent, eamque Comitis Mauritii, ac Senatorum imperiis præhaberent. Ex quo & Ordines permoti ſunt ad Leiceſtrii præfecturam circumſcripta poteſtate coarctandam: & Leiceſtrius irritatus ad eamdem præfecturam, quam ſponte obtuliſſent, & nunc adverſus pacta conventaque repeterent, conſtabiliendam. Sic eluſum dictitans Archiducem Matthiam: ſic Ducem Alenconium coactum vim atque arma firmando imperio adhibere. Et aderant Leiceſtrio validiora, quam Alenconio, populorum ſtudia, ac profeſſoriæ potiſſimum linguæ concionalium miniſtrorum, à quibus authoritatem Ordinum in Anglos transferre cupientibus, ultro incitabatur, ut aliquid ſupra inane præfecti nomen auderet. idque in promptu fore, ſi urbem ex primariis aliquam, ſibi novis conditionibus Leiceſtrius adjungeret, in qua potentiæ non utique precariæ ſedem figeret. Nempe Alenconianum exemplum, licet eventu damnatum, probabatur tamen ab hominibus magis Alenconii deſignatione ac ſpe allectis, quam fine deterritis: VITIO generis humani, tentata infeliciter ab aliis retentare non dubitantis: ſpectantiſque magis, quid illi facere potuerint, quam quid fecerint. Igitur firmato conſilio, delectoque ad id Lugduno, urbe Leiceſtrianæ factionis, res in hunc modum compoſita eſt; Vt peditum in urbe Præfectus, quaſi litteris Leiceſtrii excedere

Et per Fœderatas provincias turbæ:

multis in Leiceſtrium inclinantibus.

diminuta propterea ejus authoritate ab Ordinibus.

Inde acriores ejus querimoniæ: *Hæreticis*

& ſuſcepta conſilia

*Leida* Lugduni invadendi. *Nicolaus Maldanus*



2009 Ministerio de Cultura

1587. dere Lugduno juſſus, portæ inſiſtens tympano ſignum ederet: acclamatiſque Reginæ, ac Leiceſtrii nominibus, ſimul conſcia armatorum civium manus curiam invaderet, ſimul equitum agmen haud procul à porta latentium, urbem irrumperet: comprehenſoſque è Magiſtratibus eos, qui Ordinibus favebant, venturo Leiceſtrio adſervarent. Sed raro latuit diu, quod ſparſum eſt in plures: ſemperque paucorum fuit ſilentium, & fides. Quamquam Lugdunenſium conſpirationem ſors magis aperuit, quam perfidia. Etenim dum conſulendo tempus teritur, conſpiratorum unus in carcerem privatam ob cauſam abducitur. inde omnes, quaſi detecta conſpiratione perculſi, nec etiam poſtquam patuit, illum ære alieno gravem ob vetus debitum in jus vocatum, ſecuri quievere, ſuſpicati eam callide cauſam obtendi ad occultandam indicatæ jam conſpirationis conſcientiam. Itaque eorum unus, ut præmia aut certe veniam feſtinato indicio præriperet, conſpirationem, & ſingulorum nomina edocuit Lugduni Magiſtratum. Statimque iis, qui capi potuere, (nam plures evaſerant) in vincula pertractis, tribuſque publico capitis ſupplicio affectis, deſiit magis Lugduni tumultus, quam ſecuritas rediit. Immo nec aliis in civitatibus ſuſpiciones factioneſque quidquam remittebant: funes factioneſque quidquam remittebant: ſuper Leiceſtrio, quod talia de ſe jactarentur, ſumptumque de reis ſupplicium fuiſſet, inconſulto ſe. Quare quum plenis convitiorum libellis perſtreperent omnia: quantoque illum effuſius inter initia præfecturæ in cælum extulerant apud Angliæ Reginam, tanto nunc eumdem emiſſum ex Anglia ad Belgii diſſidium, velut Orionis ſidus lucidum ſed procelloſum, licentius quererentur; Regina, amiſſa ſpe componendæ ultra civilis diſcordiæ, nec ſatis probata Belgarum licentia adverſus Leiceſtrium; ad ſe illum in Angliam revocat, haud invitum, quippe loci hominumque jam pertæſum: quemque non minus aver-

*hoc aſtu,*

*Conſilium detegitur.*

*& conſpiratorum aliqui plectuntur:*

*creſcentibus turbis,*

*& revocato in Angliam Leiceſtrio.*

2009 Ministerio de Cultura

averteban tà Belgio indeclinabiles turbæ, famæque in dies decreſcentis, immo ipſius vitæ diſcrimina; quam aula, & voluptates, & Reginæ favor, in Angliam invitabant. Quo is appulſus, compoſitis ad Ordines litteris iræ odiique manifeſtis, Belgica ſe præfectura tandem abdicavit. Sic nimirum Gubernatores ab Ordinibus anxie poſtulati, cum plauſu excepti, glorioſe regimen exorſi, eventu demum infauſto exire è Fœderatorum Belgio conſuevere. expertis jam tertio eorum provinciis, quantum præſidii in aſcititiis rectoribus, ejecto Domino, collocandum ſit. & externis Principibus pariter expertis, quam non diuturnum ineatur cum iis fœdus, qui ſe tibi hactenus dedunt, tuum dum nomen ac vires hoſtibus objectent: mox deficientem viribus, famaque vileſcentem abjiciunt, ac fortunam, quam ſibi concilient, alibi quærunt. Et tamen offenſus nuper in Matthia fratre Rodulphus, offenſus poſt in fratre quoque Alenconio Henricus, offenſa nunc in Leiceſtrio Eliſabetha: nec minus irritati adverſus horum tentamenta Fœderati Ordines; pari utrinque diſſimulatione non modo nihil in ſe ſe hoſtiliter agitarunt, ſed Gallia, Britanniaque Fœderatorum arma inſuper adjuverunt. non aliam opinor ob cauſam, niſi quia OFFENSÆ devorantur, ubi majori, quod inſtat, malo occurrendum eſt.

1587.

qui Belgii præfectura ſe demum abdicat:

expertus ipſe cum provinciis,

& provinciæ cum ipſo, eamdem ſortem quam Matthias & Alenconius.

Et vero tempeſtas, quæ hoc tempore imminebat Angliæ regno, pronius multo Reginam cum Fœderatis Ordinibus conjunxit. Id autem bellum, dum extra Belgium Hiſpania meditatur, ac Parmenſi Principi aliquid avocamenti à domeſticis tumultibus impertitur; me quoque (quaſi bellicorum diſcriminum particeps non tam calamo, quam ferro accinctus Alexandrum, alioſque utrinque Duces inter arma comitatus fuerim) juvabit interea paulum interquieſcere: atque à continuatis obſidionibus, ab hominum cædibus, à locorum excidiis, ad mitiora de pace conſilia, quæ molien-

Quieſcit inter aliorum diſſidia Alex.



2009 Ministerio de Cultura

1587. tibus hoc tempore magnis Europæ Principibus ſuſcepta ſunt, curas ſtylumque convertere. Spectabat Alexander Ordinum Anglorumque diſcordias, ut multis videbatur, otioſus; quod Fœderatorum provincias inteſtinis factionibus diſtractas, ac minime tunc quidem Fœderatas, per eam opportunitatem non invaderet. Ille tamen belli gerendi percallidus, apud ſe reputans, quum partes civilibus diſcordiis confligunt, ex aggreſſione externa facilius coire, vireſque ſi non animos conſociare; ſpatium haud illibenter illis permittebat, quo ſuis ſe viribus attenuarent, attenuatiſque recenti ipſe cum milite ſuperveniret. Quamquam ſatis negotii erat Alexandro, qui hoc tempore partim magnis de concordia legationibus audiendis, mittendiſque: partim apparando terra marique bello longe maximo, animum, atque operam adhiberet. Quæ porro hæc concordia inter Hiſpanos, Angloſque, ac Belgas agitata, quæ ejus prima conſilia, quæ media, quæque poſtrema fuerint: ſimul quanto Regnorum ac provinciarum apparatu motum ſit bellum, quibus illatum viribus, quo geſtum eventu, ego in præſentia, ſeparato pacis bellique negotio, quamquam eodem tempore utrumque ferbuit, ex authographis arcaniſque litterarum, complexus, multorum menſium opus, haud infructuoſe memorabo. Agnoſcet utique lector, quam rara ſæpe concordia mentis ac frontis, magnos inter Principes de concordia differatur.

*cum admiratione multorum*

*ſed non abſque conſilio:*

*nec ſine cura pacificationis,*

*& bellici apparatus:*

*Originali*

Et pacificationem quidem inter Philippum Regem, & Eliſabetham Angliæ Reginam Fœderatorum partes complexam, mercatores duo negotiandam ſuſcepere, Andreas Delous Belga, & Auguſtinus Grafigna Ligur: ille Antverpiæ incola, hic Londini: uterque à mercatorum republica rogatus, ut pro eo, quem habebant, aditu in Parmenſis Ducis, Anglæque Reginæ aulas, de reſtituendo inter Anglos, Belgaſque commercio, propter provincias armis Eliſa-

*DE PACIFICATIONE inter Philippum Regem & Eliſabetham Reginam.*

*Londra*

*Initium ejus à duobus mercatoribus:*

2009 Ministerio de Cultura

Eliſabethæ palam adjutas intermiſſo, ſermonem inducerent. Nec difficilis utrique ingreſſus in rem fuit. Quippe conſtabat, Anglam de ſuſcepto pro Fœderatis bello non magnopere lætam. & plerique ejus regni Proceres haud ignari, quantum ex ſingulorum fortunis petendum eſſet ad eam armorum in Belgio continuationem, præſertim ſi quid in Angliam moveret ab Hiſpania Rex, pacem optabant. Hæc Ligur rimatus, adit primum Willelmum Burghlæium, magnum ærarii Præfectum; tum Iacobum Croftum, Regiæ Cenſorem, Contrarotulatorem vocant, quos (ut ferme adminiſtratio pecuniæ tenaciores timidioreſque homines facit) alienos à belli ſumptibus intelligebat. Apud hos mercatorum querelas deponit: rogatque, ut pro ea, qua prævalerent gratia in Reginæ animo conſilioque, viam inirent aliquam componendæ pacis, reponendique commercii. Quumque illi pronum ad pacem Reginæ animum reſponderent: &, ſi mens eadem Parmenſi foret, poſſe aliquid confieri non deſperarent; extemplo Ligur ad Deloum Antverpiam contendit: reperitque, actum ab eo cum Parmenſi omnino ex ſententia. crevitque poſtea utrique ſpes ex adventu prænobilis Dani, quem ſuper ea concordia Federicus Secundus Daniæ Rex allegaverat ad Alexandrum. Is enim audito, gratum Eliſabethæ futurum, ſi ad pacem ineundam inter Hiſpanum Regem, Fœderatoſque Belgas, atque adeo Reginam ipſam Fœderatis innexam, authoritatem ipſe ſuam atque operam adhiberet, cauſam libentiſſime ſuſcepit, more Principum, qui arbitria regnorum ambiunt, componique uſquam aliquid, ſe non appellatis, ad contemptum ſui trahunt: compoſitaq; in Hiſpaniam legatione, litteras ad Regem dedit, in quibus, (ut earum quam longiſſimarum ſummam hic attingam, laboriſque ac temporis compendium lectori faciam) poſt deploratas tot populorum calamitates, qui ob reformatæ religionis ſtudium, patria, fortunis, vita

1587.

qui negotiantur illam,

apud Angliæ proceres,

*Theſaurarius* *Iamys Croft.*

& apud Parmenſem Ducem.

*Cajus Ranzovius* 28 *Octob.* 1586.

Vrget eamdem Danus Rex per legatum ad Alex.

ſed prius litteras ad Philippum Regem dedit.

1 *April.* 1586.

quarum hæc ſumma.



2009 Ministerio de Cultura

1587. miſere ſpoliabantur: poſt oblique perſtrictam Romanorum Pontificum potentiam, nimis jam Principibus ac regnis gravem: denique poſt excuſatam Angliæ Reginam auxilia Belgis ſubmittentem ex veteri ſibi fœdere conjunctis; in eo pluribus elaborat, ut perſuadeat, ſi Belgarum populis liberum Religionis arbitrium indulgeatur, haud dubie ſperari poſſe & illos ad debitam Regi ſuo obedientiam alliciendos, & Angliæ Reginam, omiſſo eorum patrocinio, Regi ſimul reconciliandam. Additque poſtremo,

*Guillelmus vander Wenſe* ad eam rem miſſum à ſe nobilem fidumque aulicum, qui regias curas ſuas Majeſtati ejus, & (ſi ex uſu viſum fuerit) Angliæ Reginæ, ad eam pacificationem liberaliter offerat. Ad hæc quid

*Philipp. Reg.* reſponſum à Catholico Rege fuerit, libet ex ejus verbis agnoſcere, ſi tamen prius edixero, hoc regiarum litterarum exemplum, ut hic à me proponetur vacuis alicubi ſpatiis interruptum, ſic ab Rege tranſmiſſum ad Parmenſem Ducem fuiſſe, & apud me eſſe. Cauſa haud mihi in promptu: niſi forte ambigens Philippus, qua Danum appellatione, Majeſtatis ne, an re-

*Altezza* giæ Celſitudinis ſalutaret, quod eum nollet honore aut pari exæquatum, aut minore offen-

*ad Dania Reg.* ſum; juſſerit ſuum ad Dani epiſtolam reſponſum, cujus admonere quam primum neceſſe habebat Parmenſem Ducem, mitti ad hunc nullis interim appoſitis dignationum titulis, quos ipſe dein expenſos in Daniam ſcribens adjecturus eſſet. Vt ut fuerit, mihi ſatis erit, ſic uti rem comperi, in medium protuliſſe. ſic autem ex

1586 Reſponſio Philippi Regis. hiſpano ſe habet. *Benevolo animo, quem mihi Veſtra litteris ſuis prima Aprilis die exaratis oſtendit, reſpondeo ipſe pari amore amicitiaque: ac lætabor, ſi in iis, quæ ſe in poſterum offerent, occaſionibus, idem uterque continuemus. Doloris ſenſus ex magnis per Belgium meum motibus, diuturnaque rebellione; digna res eſt Veſtra, ac propria omnium Regum Principumque, quos ſubditorum à Dominis ſuis defectio, deteſtabili exemplo tangit omnes. Quod non ego talium occaſionem illis præbuerim, clarius eſt, quam ut*

2009 Ministerio de Cultura

ut diſputationi ſubjiciam. Potuerint quidem à princi- 1587.
pio perverſi quidam homines in fraudem miſeros popu-
los impellere, eorumque ſimplicitate ad ſua interim
commoda abuti; nunc certe tempus ſatis aperuit illo-
rum artificium ac dolos. Et clementia, qua tam mul-
tos, qui ſe in viam debitæ obedientiæ reduxere, ego li-
bens excepi; teſtis eſt locuples caritatis, qua cum illis
ago: & ſimul pignus eſt invitamentumque aliis, qui
idem facere animum induxerint, nihil præterea, quod
à me petant, opus habituri. Nam libertas Religionis,
qua permiſſa componi poſſe omnia Veſtra pluribus
inculcat, mihi ſane proponi non debet. Si enim alio-
rum Principum mos invaluit, ut non alium pa-
tiantur ſuis in provinciis ſacrorum cultum, niſi
quem ipſi profitentur: idque ad Religionis, regno-
rumque conſervationem pertinere arbitrantur; cur
mihi non liceat, immo cur ego non debeam in meis
provinciis id agere pro vera germanaque Religione,
quod alii pro falſis opinionibus ſuis non omittunt?
Dummodo autem ex me non petatur, ut permittam
aliquid adverſus Catholicam fidem, atque obedien-
tiam, quam ipſe meique ſubditi debemus Romanæ Ec-
cleſiæ, noſtroque admodum Sancto Patri, qui in ea
tanquam Chriſti Domini Vicarius inter homines præ-
eſt: hoc inquam excepto, nihil à me ſubditi pro ſe pe-
tent aut cupient, quod aſſecuturi non ſint. Itaque
quum ego non me menſura metiar diverſa ab ea, qua
quiſque convenire ſibi putat, ut domi utatur ſua; non
dubito, quin cauſam, quam pro me eſſe nemo inficiari
poteſt, Veſtra quoque adjudicatura ſit mihi, ac
probatura nequaquam imputanda mihi, quæ ex hiſce
bellis enaſcuntur mala, neque per me ſtare, quin ea
protinus præcidantur. Quod ſi mei decepti tandiu
populi reſumere quam debent obedientiam aliquando
velint, experientur & ipſi veniam clementiamque,
quam ad hanc diem experti ſunt omnes. Quod autem
ad malam vicinitatem attinet, quam experior ab
Anglia, omnes intelligunt, quanta eſſet cauſa, aut po-
tius obligatio, ut alia mecum ratione ageretur. Et
Veſtra judicare per ſe poteſt, quam leves ſint co-
lores, quibus factorum ſuorum culpam obtegere, ac
ſpeciem eis aliquam inducere connituntur. quum pa-



2009 Ministerio de Cultura

1587. *lam ſit veterem concordiam ejus regni cum Belgarum provinciis, non eſſe intelligendam, ſi ſcite intelligatur, niſi inter utriuſque partis Principes, non autem ut inde ſeditionum prætextus ſubditis offeratur. Nihilominus tamen ob amicum animum, quo mihi perſuadeo Veſtram adduci ad hanc inter nos concordiam exoptandam; nolui aditum negotio claudere, cui aperiendo manum adhibuit tam bonus ſequeſter, ac frater. Itaque rem omnem* Parmenſi Principi, *meo cognato, mearumque belgicarum provinciarum ſupremo Gubernatori committo, eique mando, ut, ſi adverſa pars agere ex rationis præſcripto velit, à ratione ipſe non diſcedat. idque ſi fiat, facile Veſtra animadvertet, æquum eſſe, ut inde incipiat correctio ac ſatisfactio, unde cœpit injuria & offenſio. Hunc autem ordinem ſi illi teneri noluerint, tunc demum re ipſa cognoſcet, ab eis non tantum reverentiæ haberi Veſtra, quanti ego illam æſtimo, ac diligo. In quo animi propoſito, ubicumque ſe dederit occaſio, bonum me & amicum, & fratrem perpetuo comperiet.* Cum harum exemplo litterarum ad Alexandrum miſſo, addidit Rex exemplum quoque litterarum Daniæ Regis, & monita inſuper aliqua, ex quorum uſu cum Dano per litteras, & in colloquio cum ejus legato ſe gereret. Etenim Daniæ Rex certior factus è Philippi litteris, in Parmenſem Principem tranſigendi negotii poteſtatem eſſe collatam, allegato ad eum, uti dicebam, gentili ſuo, ea ipſa litteris ſuis compendio repetiit, quæ prolixe ad Regem ſcripſerat, *Magna*, ſicuti ajebat, *concepta ſpe fortunati exitus, quando ſibi cum eo Principe agendum eſſet. cujus prudentiam comitatemque præter militarem gloriam, omnium conſenſu nationum, celebrari paſſim audiret.* additque ad extremum, *Quoniam ſperaret Hiſpaniæ Regem in cauſa Religionis aliquid remiſſurum, paratum eſſe ſe homines ad colloquium deligere, quum primum conveniendi tempus locumque doceretur.* Cui Alexander, actis pro honorifica de ſe opinione gratiis, *Neque à ſe* reſpondit, *quidquam omiſſum, quandiu in Belgio fuerit, quominus oblata rebellibus*

Inde Rex Danus ſuper eadem re ſcribit ad Alex.

6 Nov. 1586. Qui ſic reſpondet :

*gratia*

2009 Ministerio de Cultura

*gratia ad Regis Dominique ſui obedientiam illos revocaret: neque in præſens Majeſtatis ejus operam, quam beneficii loco ducebat, ullo modo aſpernaturum. Mitteret proinde quos & quando vellet: ſecuritatem loci non defuturam, modo ſibi perſuaderet, immotum Philippo Regi, Religionem à majoribus traditam ſartam tectamque adverſus novitia concionalium hominum commenta perpetuo ſervare: & æquiore illum animo paſſurum, jacturam provinciarum facere, quam eaſdem cum jactura Religionis obtinere.* Verum Daniæ Rex, ſeu deſperato ſucceſſu, ſeu potius offenſus Fœderatis provinciis, quod ejus legatus ab earum militibus captus, exutuſque litteris fuiſſet; non modo progreſſus ultra non eſt in ſuſcepta alieni negotii cura, ſed ad propriam ulciſcendam injuriam, retentis apud ſe Hollandorum navibus, animum iramque vertit.

1587. *Phil. R.* Sed Rex non ultra progreſſus eſt.

At calebat interea, (nihil conceſſantibus Grafigna, atque Deloo) concordiæ ſpes ac propoſitum, inter Anglos ac regios Belgas, ſcriptis inde à Burghlæio, & Crofto, ad Perenottum Campinii Dominum, & ad Præſidem Richardottum: atque ab his ad illos peramicis litteris de rei componendæ via modoque; ſecutis ad hæc Reginæ ipſius, atque Alexandri conſimilibus litteris, promptum invicem animum teſtantibus, operamque pariter pollicentibus. Sed, ut non mens & conſilium utrimque par erat, & de pace agitantes, aliud à pace propoſitum habebant; ita negotium modo remittebat, modo, ut conducibile partibus, intendebatur. Noviſſima ante Scotæ Reginæ mortem conjuratione, ſimul auctis de gallico in Londinenſi aula legato ſuſpicionibus: auditiſque eodem tempore infauſtis per Belgium proceſſibus armorum Angliæ; Regina intuta domi, foris ſpreta, utrobique anxia, urgendæ pacificationi accuratius intendit, quo & aliquem ſollicitudinis aculeum Gallorum animis incuteret, & curſum victoriarum Alexandri, ſpe pacis interſiſteret. Hinc ejus ad Alexandrum

Fervet pacificationis negotium: *Feder. Carapigni frater Car. Granvell.* ſcriptis ex Anglia in Belgium, & hinc in Angliam litteris:

utrimque callide.

*Alba Spinæus* Cauſæ cur pacificationem urget Regina,

8 *Febr.*



2009 Ministerio de Cultura

1587.

per litteras ad Alex.

drum ſolito blandiores litteræ, quibus illum ad legatos deligendos, locumque colloquii, ac tempus deſignandum invitabat, nihil moratura, ut ajebat, quin eam controverſiam, ſe inter, & fratrem Regem, tam æquo amicoque medio & conciliatore componeret.

*Hiſpan. Rex* & ad Fœderatos Belgas,

ſimul miſſis ad Fœderatas Belgarum provincias bis terque nunciis, litteriſque, eos hortata eſt, contra quam alias factitaverat, ad colloquium cum Parmenſi de pace ineundum, communemque cauſam conjuncta opera pertractandam; teſtata, ſi contumacius ipſi abnuerent, ſe quidem à ſuſcepto de pacificatione conſilio non receſſuram. Nec aliis artibus Anglam petiit Alexander, quam quibus ab ea petebatur.

& cauſa cur Alex. in eandem incumbit,

*27 Febr.* Reginæ reſpondens.

Nam quum reſponſum ad Reginæ litteras aliquandiu diſtuliſſet; audito, agitandum in regni conventu de Fœdere cum Gallis Germaniſque Proteſtantibus ſanciendo; nihil moratus componit ad eam litteras, actiſque gratiis, quod tantum ſibi ab ejus Majeſtate tribueretur, nullam fore in ſe conficiendæ rei moram affirmavit. Ideoque arbitrium loci, quo legati deſignandi convenirent, ſe Majeſtati ejus remittere, modo neutrius eſſet partis: ne, ſi alterius foret, obſides ea pars mittere (quod rem protraheret) cogeretur. id vero ſe honori ejus, & celeritati pacificationis attribuere. Neque hoc contentus, idem litteris peragi voluit à Richardotto cum Burghlæio, & Crofto, atque aliis Regni Senatoribus, quos ab hujuſmodi Fœderibus quæ cum Gallis deſignabantur, tanquam belli apparatibus alienos non ignorabat. Et res utrinque fluebant ex ſententia: quum hinc Sluſæ obſidium, illinc navium Gaditano in portu incendium, ſpem omnem concordiæ propemodum perdidere.

*Cadiz* Dracum mittit in Hiſpaniam Regina.

Etenim Reginæ de bellico per Hiſpaniam apparatu per ſollicitos nuncios recens admonitæ viſum eſt, in Hiſpaniæ littora Franciſcum Dracum, notum maritimis expeditionibus nomen, immittere, ad Hiſpanorum vires explorandas, & quidquid ex eo apparatu poſſet, corrumpendum. Sed antea feſtinata

nata

2009 Ministerio de Cultura

1587.

& ad Alex. ſcribit in hunc modum.

5 *Aprilis.* Ex Reginæ originali Gazette

nata ad Alexandrum epiſtola peracriter de Rege conqueſta eſt. inter alia : *Haud latere ſe* ſcribens , *quæ in caput ſuum cudantur : gladiumque , qui ſibi cladem minitetur , providere. Sed non eſſe adeo abjecte ſe genitam , ut injuriam ſibi à quoquam fieri ignaviter latura ſit , aut inimici gratiam indigne ſit deprecatura. Singulis ferme hebdomadis, in publicis rerum Hiſpanicarum , quæ circumferuntur , nunciis , inque privatis multorum inde in Angliam litteris , ſcriptum ab ſe legi ,* HOC *anno fore occaſum Angliæ. jamque Hiſpanos , venatoris illius perſimiles , qui membra lupi nondum capti liberaliter in amicos dividebat , Angliæ Hiberniæque regna inter ſe eſſe partitos. Non tamen ob hujuſmodi minas, regium pectus ſuum aliqua ex parte concidere : immo ſpem habere , poſſe ſe adjutam ab ea , quam ſæpius experta eſſet , Dei manu , vanas haſce potentias infringere , digneque tueri regna , quæ à Deo, atque à natura tradita ſibi , hereditaria poſſideret.* addit tamen, *Non idcirco ſe à propoſito pacificationis amoveri, quam confici non alio libentius adminiſtro , quam Parmenſi Principe peroptaret.* At Reginæ indignationem longe major , quam ipſa ſperaverat , clades extendit. Namque Dracus ( libet enim rem carptim breviterque perſtringere ex ipſius Gaditanæ oræ Præfecti , Petri Caſtelli litteris, ad Antonium Guevaram , generalem Beticæ Quæſtorem ) miſſus , uti dicebam , ab Angliæ Regina cum ſeptem & viginti navibus, magna electorum militum , & grandium tormentorum , igniumque miſſilium copia inſtructis, in Gaditanum fretum vela convertit. Erant in Gadium portu navigia permulta , pleraque ( exceptis triremibus ſeptem ) cum mercibus, & nautica ſupellectili , partim ex Indiis recens advecta , partim in Indias propediem navigatura. In hæc nullo hoſtium metu , ac ſub portus propugnaculo ſecura , Dracus , qua erat audacia, fulminis inſtar incurrit. Primumque Genuenſem navem in Orientem mox ſoluturam , crebris laceram ictibus , ſubmergit. tum naves quinque in novam Hiſpaniam ac-

Dracus in Gaditana ora,

30 *Aprilis* 1587 *Andaluſiæ*

multa Regis navigia

aut ſubmergit,

2009 Ministerio de Cultura

1587. accinctas: ad hæc urcas quatuor, (ſeptentrionalis navigii genus eſt, forma ac magnitudine parum infra communes naves) quæ à Malaca paulo ante portum intraverant, immiſſo igne ſuccendit. Neque occurſu territus regiarum triremium: quod eas minoribus tormentis armatas, atque adeo innoxie jaculantes, ipſe majoribus machinis certius feriret: ſolum retracta paulum claſſe, ne à portus propugnaculo læderetur, extra navalia non procul ab Herculæo freto, ingentem Marchionis Sanctacrucii navem invadit, & cremat: biremem gallicam eodem incendio abſumit, alias fugat, capit alias, omnia terrore nominis ſui complet. ex viginti quatuor navigiis, quæ aut incendit, aut ſubmerſit; ſex in Angliam abduxit mercibus onuſta, æſtimata mercium jactura, eodem Petro Caſtello rationes minutim ſubducente, centum ſeptuaginta duorum millium aureorum; quorum ſeptemdecim millia Regi, reliqua privatis mercatoribus periere. Vix audita ſunt hæc in Belgio, quum ſimul advenere ex Anglia litteræ, ad Richardottum aliæ, aliæ ad Campinium, ad alios aliæ: quibus Drachi factum nequaquam Reginæ probatum fuiſſe, affirmabatur: *Miſſum quidem illum ad navium numerum per Hiſpaniæ portus obſervandum, & illarum conjunctionem impediendam; ubi tamen Regina ex ultima Parmenſi epiſtola ſolito propenſiorem ejus ad pacificationem animum introſpexerit, tradito etiam ſibi arbitrio loci, quo legati convenirent; illico à ſe per celerem nuncium Draco imperatum, ne quem ex Regis Hiſpani portubus intraret, neve hoſtile aliquid per ejus maria uſquam moveret, tantum an vera eſſent, quæ de belli conſilio, deque apparatu claſſis evulgabantur, indagaret. Sed Reginæ mandatum Drachi feſtinatione præventum, quem tamen, ut illa interminata eſt, non impune, quum advenerit, abiturum.* Horum certior factus Alexander, etſi quantum fidei habendum Anglæ Reginæ non ignorabat, tamen ne, ſi injuriam agnoſceret, interſiſtere cogeretur pa-

aut ſuccendit,

*galeone galeotta*

aut mercibus onuſta abducit in Angliam.

14 Maji 1587 Anglorum litteræ factum excuſantium.

2009 Ministerio de Cultura

[…]tificationis curſum, quem continuari, con[…]lium Regis eſſet; diſſimulandum in præſens […]xiſtimavit. reſponderique à Richardotto vo[…]luit, *Hoſtile facinus apud Gades, malle Parmenſem Ducem à pirata latrociniis aſſueto acceptum agnoſcere, quam ultra quærere: ideoque illum, nihil inde remiſſa priſtina voluntate, non aliud ad rem conficiendam, niſi Reginæ de loco ſententiam expectare.* Quæ eo tendebant, ut à novo ſcilicet auxilio ex Anglia ſubmittendo Sluſanæ urbi, quam obſidione aggreſſurus erat Alexander; Anglæ animum diſtraherent ſuſpenderentque. Et vero non niſi poſt obſeſſam clauſamque urbem, intellectæ ſunt artes. creditusque eſt Alexander voluiſſe obſidione ejus urbis, quæ præcipuo Reginæ præſidio tenebatur, ulciſci Gaditanam cladem. ſecutæque ſunt querelæ ab Anglicani ærarii Præfecto, atque ab aulæ regiæ Cenſore tranſmiſſæ, Eliſabethæ nomine, adverſus Alexandrum: *Quod is per occaſionem ineundæ pacis, Reginæ curas avertiſſet à Sluſæ præſidio. quam urbem ab Anglo milite cuſtoditam nunquam illa ſibi perſuaſiſſet attentandam ab eo, qui tantum concordiæ ſtudium præſeferret. ſtare tamen Reginæ propoſitum urgendæ pacificationis. quin immo brevi nominaturam, quos ad hanc rem deſignavit, legatos ſuos: proque eorum conventu, aliquot loca ſignificaturam, ex quibus Dux Parmenſis eligeret, quem voluerit. Proceſſura hac autem omnia multo ſecurius, ac tempeſtivius, ſi Dux retractis à Sluſana obſidione copiis, intermiſſoque pauliſper armorum uſu, pacificator malit eſſe, quam hoſtis.* Senſit Alexander ad haſce demum inducias callide referri tam cito placabilem Anglæ querimoniam. Nec recuſato, ad quem vocabatur, ludo, exceptam ſcite pilam quamvis oblique fallaciterque ſubmiſſam, eadem arte remittendam putavit. Itaque haud aſpernatus oblatum de armorum ceſſatione negotium, uſui nempe ſibi futurum, quod ſperaret, dum ultro citroque commearent nuncii litteræque; Reginam deſtinato ad ſolvendam Sluſæ obſidionem ſubſidio ſuperſeſſuram;

Ri-

1587.

*29 Maji Drach*
Reſponſum Belgarum.

Alex. diſſimulat, ut ſecurius Sluſam obſideat.

*Obſedit Sluſam menſe Iunio*

*Burghlajus Croftus*
Anglorum querelæ audita obſidione.

2009 Ministerio de Cultura

1587. Belgarum reſponſio. Richardotto, Campinioque mandavit, Anglorum querelis ut reſponderent, *Ab Regina haud jure perſtringi Parmenſem Ducem: quaſi vero Regi non liceret è ſuis urbibus pellere externum militem, quem mittere in alienas terras licere ſibi Regina exiſtimaverit. Ad ejus autem urbis obſidionem motum eſſe Ducem non aliunde, quam à Sluſanis ipſis, quos aſsidue per Flandriæ maritima prædabundos omittere non potuiſſet, quin ceu feras, ne impune perrumperent, intra ſuorum clauſtra murorum coërceret. præſertim quum ad hoc & Flandrorum querimoniæ urgerent, & ſubmiſſa ab iis ſtipendia invitarent. Armorum uſum, inconſulto Rege intermittere, haud integrum Parmenſi eſſe: in Hiſpaniam illum jam ſuper ea re litteras dediſſe. Interim venturis ex Anglia legatis non modo ſecuritatem viarum, ſed honorificos ubique occurſus, ac debita Reginæ obſequia per Regis provincias aſſerturum.* Et tamen quum & Alexander Sluſam premeret, mox etiam caperet: & Anglia poſt dilatam aliquandiu Sluſæ opem induciarum ſpe, miſſis illuc novis armatorum copiis hoſtem ageret; calebat nihilominus utrinque negotium pacificationis: & armorum injuriæ mutuo illatæ acceptæque neutros ab oſtentatione concordiæ retardabant. Adeo utriuſque partis intererat, diſſimulare, ſe decipi.

LEGATI ex Anglia de pace, *Gartiera* Et jam ab Anglia ſolverant legati Henricus Comes Derbiæ, eques Georgianæ periſcelidis, & Guilelmus Broccus Cobhamus quinque Cantii portuum præfectus, & Iacobus Croftus Regiæ Cenſor, cum duobus legum peritis Valentino Dalo, & Ioanne Rogerſio. qui Oſtendam appulſi, nobilem è ſuo comitatu virum Brugas miſere, gratias Parmenſi agentes, quod qui ex ipſis per belgicos hiſpanorum portus iter fecerant, eos non ſecure modo, ſed etiam magnifice ac ſplendide ubique locorum excepiſſet. (officia utrimque:) ſubmiſſo ſtatim nobili aulico ab Alexandro, gratulatum eorum adventum, addito ſub famuli veſte bellicæ rei machinatore, qui per eam occaſionem, Oſtendæ munitiones contemplaretur. (non ſine aliquo militari aſtu. *Ingegnerò*) At Fœderatæ provinciæ quamvis à principio de-

2009 Ministerio de Cultura

1587.

*Legatus à Fœderatis nullus.*

*Locus colloquii.*

deſtinaviſſent Philippum Marnixium Aldegundium, qui conventui pro Ordinibus intereſſet, tamen poſtea mutarunt, firmato animo de pace cum Hiſpano non agere. Interea magna in planitie inter Oſtendam, ac Neoportum figi explicarique tentoria juſſerat Alexander: atque in hunc locum, uti medium inter Regis Ordinumque urbes, Anglos invitavit; allegatis illuc Regis nomine ac ſuo, Comite Arembergio aurei Velleris equite, Perenotto Campinii Domino, Richardotto Arteſiæ Præſide, cum Maſio Brabantini fiſci Præfecto, & Garnerio à Secretis, qui ab Oſtenda egreſſos Anglos, obviam facti è Brugis, in tentoria ſuperbe ornata deduxere. Hic poſtquam à belgica nobilitate ſalutati, mox regia excepti lautitia ſunt, in tabernaculum ſeorſim ab aliis negotium prægustaturi convenere. Extabat in campi medio perquam amplum auguſtumque tabernaculum, ad colloquium legatorum: circum, minora tendebantur, legatorum comitibus, Belgarumque, & Anglorum Proceribus attributa. Procul hinc atque inde, ab Oſtendæ quidem latere, ſeptem peditum ſigna Chiliarchus Anglus in belli ſpeciem explicaverat. Neoportum autem verſus, aliquanto plura Motteus, inſtructis militarem ad pompam cohortibus, continebat. Duo in hoc congreſſu acta. Inſpectæ primum expenſæque utrinque legatorum de pace agendi facultates. Et quamvis Regiorum litteræ à Parmenſi tantummodo ſubſcriptæ, acceptæ tamen ſunt, quod tranſlatam in eum à Rege poteſtatem comperiſſent. Poſtea de urbe conventui deſignanda agitatum. Quumque Angli Oſtendam præferrent, Regii omnino reſpuerent, adeo ut Londinum potius in Angliam ituros ſe dicerent, quam Oſtendam, aut in alia rebellium loca; ceſſere non gravate Angli, & Burburgum Hiſpanarum partium oppidum, Caleto vicinum, unde brevior in Angliam nunciis via, delegerunt, nullis petitis obſidibus, ſed freti, uti dixere,

*Legati ab regiis partibus.*

*Fiſcale*

*28 April. Vtrique conveniunt.*

*tentoriis ſuperbe ornatis, & militariter munitis.*

*Colonello*

*Londra*

*Burburgi conveniunt legati.*

Alexan-

2009 Ministerio de Cultura

1587. Alexandri fide. Quo ſub medium Maji menſis quum veniſſent, illico apparuit, conventum fore diuturnum. Nam quum Rex perſuaſum haberet, metu inductum ab Eliſabetha de pace colloquium, Alexander tamdiu moram trahere diſceptando juſſus erat, dum de claſſe Vliſſipone compoſita, atque adventante admoneretur. Et Reginæ non minus quam Hiſpano cordi erat hæc mora: quod ſperaret terendo dies per hujuſmodi congreſſus, ſe tantum temporis inſumpturam, donec elapſa navigandi opportunitate, maritimis Hiſpanorum armis peti Anglia eo quidem anno minime poſſet. Hinc primo in conventu vocavere in dubium Angli, quas admiſerant Regiorum facultates, juſſi videlicet à Regina non acquieſcere, niſi litteræ, ſubſcripto Hiſpani Regis nomine, proferrentur. Quibus poſt dies aliquot prolatis, agi de conditionibus cœptum eſt. Atque inter alia, hæc præcipue petivere Angli, Vt ante pacem, induciæ Belgis, Angliſque, & Hiſpanis communes decernerentur: ut è Belgio emitterentur externi milites, Belgis graves, finitimis ſuſpecti: ut religionis arbitrium Fœderatis provinciis indulgeretur. Quibus reſponſum à Regiis comperi in hunc modum. Nimis quam ample ceſſationem armorum peti. nec Reginam debere ſollicitam pro illis eſſe, qui continuata rebellione, arma Regis quotidie provocent. ſe tamen in oppidis, quæ Regina per Belgium pignoris loco poſſideat, inducias, manente colloquio, non ægre pacturos. Externorum miſſionem ſæpius conceſſam, ſemper exitialem regiis partibus extitiſſe: & armatis circa Gallis, Angliſque, & Hollandis, par non eſſe, tam fido Hiſpanorum præſidio Regem exarmari. Denique Religionem ſuis in provinciis, provinciis ipſis cariorem Regi eſſe, ac perpetuo futuram. nec æquum videri, pro Belgis hæreticis Reginam petere, quod pro Anglis Catholicis ipſa peti nolit. In noviſſimo colloquio, de reſtituendis Regi portubus oppidiſque, quæ in

*À quibus de induſtria protrahitur colloquium. Liſbona*

*Propoſita ab Anglis.*

*Induciæ ante pacem: miſſio externorum ex Belgio: libertas conſcientiæ in provinciis Fœderatis.*

*Reſponſio belgarum: Oſtenda, Berga ad Somam, Fliſſinga, Briela*

*Propoſita à Belgis.*

2009 Ministerio de Cultura

1587.

in Eliſabethæ manus tradiderant Belgæ, diſputatum eſt. Affirmabant Angli, ſi pax ſanciretur, Reginam haud recuſaturam, quod poſcebatur; modo ei pecunia ab Ordinibus debita rependeretur ab Rege. At illi negabant, hujuſmodi ſummas aſſenſu Regis mutuas ab ea datas: &, ſi rationes ſubducerentur, quantam vim auri fore, quod ex Regina repoſci poſſet ob Regis impendia, ex quo illa rebelles Belgarum populos foverit? Hæc agitantes legatos fama vicinæ hiſpanæ claſſis, ac tubarum pæne tormentorumque fragor exterruit: averſiſque alio mentibus conventum, poſt trium menſium concertationem, repente diſſolvit. Reverſis in patriam Anglis, unum ex eis actum in carcerem Reginæ juſſu accepi, quod mandatorum limites ſuper reſtituendis portubus tranſiliiſſet: ſive is vere tranſilierit, ſeu potius Eliſabetha imbecillitatis confeſſionem verita, ſi in eas conditiones, quæ rejectæ fuerant, deſcendiſſet, culpam in Legatum transferri voluerit. Ego certe in arcanis ex Anglia litteris legi, Reginam ſuper ea locorum reſtitutione, adhibitis in conſilium Leiceſtrio, Valſingamo, & Amicio Powletto, quum hi Bergas quidem ad Somam, atque Oſtendam, non autem Brielam, neque Fliſſingam reddendas percenſerent, reſpondiſſe, Certum ſibi eſſe, ſi pacis interſit, omnia pariter Hiſpano reſtituere. Ex quo reſponſo proveniſſe legati facilitatem conjici poteſt. Sed inuſitatum non eſt, ut Principes errata ſua, miniſtrorum pœna, ſi è re fuerit, tegant: bis interim errantes, dum peccant ipſi, & alios pro ſe puniunt.

reſtitutio oppidorum.

Reſponſio Anglorum.

*Hiſpani* Diſceptatio de pecunia belgis mutuo data.

Sed ad famam hiſpanæ claſſis dirempto colloquio,

*Iacobus Croftus* redeunt in Angliam legati: uno eorum punito ab Regina.

Iam vero, ut expeditionem Britannicam propius aggrediar, ad quam reſpexiſſe creditus eſt, qui hunc annum octogeſimum octavum fore ingenti calamitate memorabilem, & mundi climatericum, ſcripſit uno fere ſæculo ante hoc bellum, Regiomontanus. Conſilium in Angliam convertendi arma, quæ hoc demum tempore mota ſunt, agitaſſe animo Philippum

BELLVM Anglicum, prædictum à chronologicis,

*Io. Regiomont. 1479.*

2009 Ministerio de Cultura

1588. destinatum ab Rege

pum Regem ab anno uſque octogeſimo tertio, in ejus ad Alexandrum litteris comperio: in quibus mandat, quam accurate confici deſcriptionem portuum, caſtellorum, fluminum, mariſque tractuum, quibus aditur & munitur inſula, atque ad ſe tranſmitti. Quod ab Alexandro per homines locorum gnaros, addito Centurione Plato, militari architecto peractum eſt, eodem Plato cum deſcriptione poſt in Hiſpaniam profecto. Etenim multa Regis indignationem ſtimulabant adverſus Angliæ Reginam, tanto quidem acriore ſenſu, quanto pro beneficiis, proque vita ipſa, quam ei bis terque ſe dediſſe Rex affirmabat, dum conſpirationum inſimulatam, è carcere, capitalique judicio liberaverat; pro his aliiſque promeritis alias ſuper alias accepiſſe ſe indeſinenter injurias agnoſcebat. Viderat ſtatim ab initio Principem Orangium, ac Belgarum populos, conſilio, pecunia, milite, ad defectionem ab illa concitatos: Indiarum provincias à Draco, à Conditio, ab aliis ejus emiſſariis vexatas ac direptas: regiam pecuniam interverſam, ac naves in Anglia retentas: Antonium pro Luſitaniæ Rege habitum, atque in Hiſpanos armatum: Alenconium ſpe nuptiarum in Angliam allectum, atque inde in Belgium ad capiendam Brabantiæ coronam inſtructum. Ad hæc, atque ad horum ſimilia, quæ utcumque Rex diſſimulaverat, ultionemque diſtulerat: ubi noviſſime (nempe quo tempore Parmenſis virtute Ducis pleriſque provinciis obedientiæ reſtitutis, reliquæ ſecuturæ ſperabantur) ſenſit, ab Angla hoſtem profeſſa, ſuſceptum Belgarum patrocinium, & tanquam denunciato palam bello, immiſſum magnis cum auxiliis Leiceſtrium, ac populos in defectione contumaciaque armatos; enimvero plus nimio coargui patientiam ſuam ratus, ſtatuit feminæ audaciam aliquando compeſcere. Acceſſit invitamentum à Pontifice Xyſto: qui Eliſabetham atrocioribus quotidie modis in Religionem catholicam ſævientem, poſt-

*Margin notes:* hac peculiari cura. / *Anglia* / *Ingegnero* / Cauſæ quæ Regem ad illud impulere. / *dum Philippus Angliæ Rex erat.* / Prima cauſa, *Rex* / ſecunda, / tertia, / quarta, / quinta, / ſexta, / ſeptima cauſa adhortatio Pontificis, *Xyſt. V.*

2009 Ministerio de Cultura

1588.

poſtquam cæleſtibus armis fruſtra corripuerat, vim bellumque inſuper objecturus, Philippum Regem hortatus fuerat, ut pro ſuo, quo inter Principes gloriaretur, Catholico nomine: proque vetere in eam inſulam caritate, cujus ipſe regnum adminiſtraſſet, ad expeditionem ſe accingeret, qua & privatos regnorum ſuorum, & publicas Religionis injurias ultum iret. Addiditque præterea Pontifex, haud ſe bellicorum onerum immunem velle: ſed (uti Comiti Olivario legato pollicitus eſt, atque hic Regi aperuit, Rex autem Alexandrum aliquanto poſt admonuit) quum primum ſibi nunciaretur, regium militem in inſulam intuliſſe pedem, ſe illico ad belli continuationem decies centena nummum aureorum millia ſoluturum. Quod magis Xyſti magnanimitatem oſtendit, quam belli ſubſidium fuit. quippe, ut partem hujus ſummæ aliquam Pontifex elargiretur ante præfinitum hoc tempus, nullis adduci potuit aut Hiſpani legati, aut Cæſii Comitis à Parmenſi Duce propterea Romam miſſi, perſuaſionibus. In eo autem gratificari Catholico Regi non omiſit, quod ejus rogatu, Cardinalem creavit Gulielmum Alanum Lincaſtrienſem, virum de Religione, deque Anglia præclare meritum: qui oblatam à Gregorio Tertiodecimo purpuram, raro modeſtiæ exemplo, ſubterfugerat. At nunc accipere id honoris Xyſtus Alanum voluit, quod, uti Catholicus avebat, deſignaret hominem, velut alterum Polum, Angliæ legatum; ideoque ad Regem ſcribens, monet, ut quoniam ex ea creatione in Britannici belli conſilium Romæ penetratum ſit, claſſem educere quam primum feſtinet, ne vulgata per inſulam expeditione, Catholici durius illic interea divexentur. Igitur Rex firmato in bellum animo, ante omnes Parmenſi Duci conſilium ſuum aperit, eumque expeditionis Ducem inſtituit, addito qui rem maritimam cum imperio regeret, Alvaro Baſſano Sanctæ Crucis Marchione. Erat hic Oceani

qui grande ſubſidium offert ad hoc bellum: *Henr. Guſmanus 8 Iul. 1587. 10 Novemb. 1587.*

& legatum deſignat Gulielmum Alanum:

*Reginaldus Polus Card. 7 Auguſti 1587.*

Rex expeditionis Ducem Alexandrum, & claſſis præfectum Sanctacrucium nominat:

Præfe-

2009 Ministerio de Cultura

1588. Præfectus, maritimis expeditionibus ea tem-
peſtate percelebris: ac nuper ad Tertias inſu-
las, navali pugna adverſus Antonium Luſita-
num, magnis Gallorum Anglorumque viribus
bella reparantem, bis victor. Huic Rex compa-
randæ claſſis per Hiſpaniam, Luſitaniamque;
& Alexandro cogendi in Belgio exercitus,
quem adjumento hiſpanæ claſſis in Angliam
trajiceret, partes attribuit: utrique magnopere
admonito, ut caverent, ne deſtinata ad hoſtes
emanarent. Farneſius actis oblato pro munere
gratiis, laudavit apprime conſilium tam pii glo-
rioſique belli, cui ſperaret (niſi ejuſdem inſulæ
delicta præpedierint) adfuturas non minus in
cælo auxiliares eorum copias, quorum ſanguis
pro Religione per Angliam fuſus quotidie cla-
met ante Deum: quam eorum, qui fortuna-
rum patriæque jactura poſt fidem habita, va-
rias in terras profugi, votis precibuſque pugna-
turi ſint. Nec omiſit Majeſtati ejus expenden-
dum indicare, quoniam tanti apparatus belli
clam haberi neutiquam poſſet, Eliſabetham fa-
cile ſuſpicaturam, quippe ſui conſciam, id mo-
lis in Angliam obverti: ideoque ſibi præ cete-
ris adjuncturam finitimas Gallorum vires in
Auſtriacæ domus perniciem ultro coëuntium.
quum autem ab aliquot menſibus per gallicum
cælum nubes aliquæ attolli civilium diſcor-
diarum gravidæ cernantur, ac ſigna vicinæ
tempeſtatis prænotentur; optimum factu vide-
ri, ſi non ante ab Hiſpania moveantur arma,
quam, confligere inter ſe Gallis incipientibus,
ſecurus ex hac parte catholicus miles An-
gliam aggrediatur. Rex probato Alexandri con-
ſilio, quantum gerendi belli certus qua data op-
portunitate, tantum de ordine adminiſtrandi
ſollicitus, quoniam commodum aderant in au-
la Ioannes Baptiſta Platus, quem Rex accive-
rat, ſuper Angliæ deſcriptione ab eo aliqua per-
contaturus: & Gulielmus Stanlæus, qui po-
traditam Parmenſi Daventriam, ut ante retuli-
mus, in Hiſpaniam venerat, ab Rege honorifice
habi-

Alexandri monitum Regi tranſmiſſum.

Rex conſultat de ratione adminiſtrandi belli.

2009 Ministerio de Cultura

1588.

habitus, atque uti miles belli ſciens, & notæ jam fidei, in conſilium adhibitus eſt. Vtrumque de ratione incœptandi hujuſce belli privatim conſulere, uno tantum Sanctacrucio præſente opportunum duxit. Ac Stanlæus quidem, ante Angliæ aggreſſionem, petendam Hiberniam cenſuit. *Mare illic portuoſum eſſe: captoque Vaterfordio munitoque, poſſe aut vicinam objectamque Angliam tuto invadi, quippe parato illo portu ad receptum hiſpana claſſi: aut ſi in Hiberniam progredi libeat, inſulam armis obtineri poſſe. Quindecim annis ſe apud Hibernos arma geſtaſſe, exploratos ſibi locorum ſitus, armatorum vires, incolarum ingenia. eſſe Hibernorum pleroſque, veterum ſacrorum perquam retinentes, omnes fere Anglorum imperium moreſque pertaſos, eoque perfacile partibus adjungendos. Denique in ſe recipere*, (quod etiam Parmenſi Duci ipſe promiſerat, libelloque tradito explicaverat) *ſi ſibi millia ſex veteranorum militum: ſi arma, totidem hominibus armandis: ſi pulvis bellicus, ſi annona tres in menſes tribuerentur, ſe in Majeſtatis ejus manus inſulam adducturum. Qua adducta, habituras hiſpanas claſſes portuum commoda, & claſſiariis alimenta: ſuppeditaturam inſulam equites non contemnendos, pedites nunquam ſex millibus pauciores, egregie omnes exercitos, atque adverſus Anglorum nationem in primis animatos: &, quod caput eſt, petitam inde hiſpanis viribus Angliam, fruſtra, capta Hibernia, reluctaturam. Nimirum ut urbes expugnatis ſuburbiis, ſic regnum, ſi adjacentia ſubtrahas, non diu ſtare.* At vero Platus, etſi quæ dicta à Stanlæo fuerant, non improbabat, plus tamen momenti in Scotia Angliæ contermina reponebat. *Multa in eo regno inqui. veniſſe, dum diſceſſum è Belgio ipſe parabat, ad Parmenſem Ducem Scotorum Chiliarchum Gulielmum Simplium, juvenem egregie pium, audentemque, atque alios cum eo è primaria nobilitate, auxilium à Duce poſtulantes, ac magna, adverſus Angliæ Reginam conſpirantibus jam multis, pollicentes, non ſine ſpe, Regem ipſum ad ultionem matris attrahendum. Id ante omnia, ſuo quidem judicio, perurgendum:*

Stanlæus cenſet, Hiberniam prius invadendam:

& ſe offert.

Hibern.

Platus prius Scotiam aggrediendam.

Colonello



2009 Ministerio de Cultura

1588. *gendum : neque prius Angliam, quam Scotorum armis implicitam, hiſpanis navibus invadendam. incœpta aggreſſione ab inſula Vecti. Objacere illam* Vectis *Anglia, brevi euripo interfluente, veluti munimentum tutelamque duorum portuum, qui pracipui in continenti Britannia numerentur.* Portesmonth. & Hampton. *Munitam quidem praſertim à natura inſulam eſſe. quam olim cepiſſe, gloria datum ſit Veſpaſiano tunc Claudii Caſaris legato,* Suet. in Veſpaſiano *tamen quomodo in poteſtatem redigi queat, monſtratum eſſe Parmenſi Duci à Ioanne Wercelleio nobili Anglo. qui uti vetus loci incola, detecturum ſe ſpopondit ſitum ſibi unice obſervatum, quo appelli naves, intrarique inſula, atque intra ſpatium viginti quatuor horarum obtineri poſſit. Ad hac autem, ne quid ſubeſſe fraudis exiſtimetur, Hiſpanis offerre ſe Anglum & loci indicem, & fidei obſidem.* Hæc fatus, Vectem inſulam in Angliæ delineatione, commentariumque ſuper ea re Parmenſis juſſu accurate confectum Regi conſiderandum obtulit. Nihil horum Sanctacrucio diſplicebat, tantum inſtabat, ut expenderentur omnia, circumſpecteque educeretur ea claſſis, in qua hiſpani vires imperii veherentur. ac propterea exiſtimabat, portum prius aliquem ſive in Hibernia, ſive, quod mallet, in Hollandia Zelandiave, pertentandum: eoque capto, atque adeo tecta à tergo claſſe, expeditionem ſecure proſequendam. Sanctacrucius portum aliquem prius capiendum: Cum Sanctacrucii ſententia mire congruebat Alexandri reſponſum, qui multis ab Rege de ea expeditione conſultus, idem ſenſit Alex. compoſita per eos dies epiſtola, Majeſtati ejus inter alia ſedulo reputandum reſcripſerat, 2 *Auguſti* 1587 Britannicum mare fœdis horrendiſque tempeſtatibus obnoxium, cæciſque ſyrtibus inſidioſum eſſe: atque adeo temere in hæc diſcrimina hiſpanam claſſem immitti, ſi non prius ei receptus in portum aliquis contra maris adverſa ſtatuatur. Atqui nullam eſſe tam in regiis provinciis, quam in reliquo Belgio ſtationem tantæ claſſis, quantam apparari par eſt, omnino capacem, præter Fliſſingam. Huc igitur vertenda primum arma: atque hoc portu in po- portumque Fliſſingæ proponit,

teſtatem

2009 Ministerio de Cultura

teſtatem redacto, tum vero adverſus tempeſta- 1588.
tem ventorumque minas, prompto claſſi perfugio, prudenter ac tuto navigandum. In qua deinde ſententia tanto firmius inhæſit, quanto poſt captam Sluſam, facilius expugnari Fliſſinganum portum ſibi perſuadebat. Itaque Regem ſcriptis rurſum litteris, obnixe rogavit, ut attentandæ Fliſſingæ ſpatium ſibi permitteret, *15 Septemb. 1587*
antequam in ea maria hiſpana claſſis, ſtationis incerta proveheretur. polliceri ſe Majeſtati ejus, divina fretum ope, multo quam Sluſam celerius portu potiturum. Sperabat autem Alexander, ut ex ejus litteris conjicio, ſi Fliſſingam cepiſſet, perſuaſurum ſe Regi, ut claſſem, mutato ordine, ad reliquum Belgium pervincendum converteret: unde Anglia Batavorum munimento nudata certius adiri, atque expugnari poſſet. Nempe quod ſæpe incaſſum petierat à Rege, ut conatum ſemel omnem perdomandis provinciis adhiberet, eum nunc adhibitum, ſed in Angliam deſtinatum, detorquere in Belgium ſatagebat. Sed Rex paſſurus haud erat ampliorem moram, quod, ut ei reſpondit, & turbatæ jam res in Gallia, & minor è Germania metus raris inde militum evocationibus, & averſa alio Turcarum arma, opportunum expeditioni tempus omnino præſcriberent. Vrgebatque deliberatum jam bellum indigna Scotorum Reginæ cædes: cujus ultionem ad Principes pertinere omnes Rex ajebat, quorum ſcilicet omnium violata in eo ſcelere Majeſtas videretur. Itaque de iis, quæ hinc à Stanlæo, inde à Plato, ac Sanctacrucio proponebantur, ſententiam Rex ſuam prolaturus, negavit, novos ſibi hoſtes in Hibernia quærendos: & apud eam inſulam, aut alibi portum armis capere, ex quo gradus fieret in Angliam, lentum eſſe negotium. quantumque moræ protraheretur, tantum ſpatii ad inſtruendam defenſionem hoſtibus indulgeri. Idcoque Sanctacrucium, ut feſtinaret, neve nimia circumſpectione, belli opportunitatem

Oblique aliud ſperans. *Fliſſinga*

Sed Rex à temporis opportunitate,

& à Scotorum Reginæ cæde permotus

non probat conſultorum cunctationem.



2009 Ministerio de Cultura

1588. corrumperet, ſerio admonuit. Conſilium fovendi Scotorum arma, Alexandri prudentiæ permiſit: mandavitque ad eum ſcribens, *Ne propterea intermitteret, quem cœperat, hominum armorumque apparatum: ſed audito, ſolvi è Luſitania claſſem, inſtructum ipſe procinctumque in Belgio exercitum haberet. ſic enim ex compoſito rem, Deo duce, adminiſtrandam, ut Sanctacrucio in conſpectu Angliæ claſſem continente, ipſe milites ſuos paratis jam ratibus impoſitos, ſive in Vectem inſulam, ſive quo monſtraretur, feſtinato tranſmitteret. Interim Sanctacrucii partes fore, claſſe in omnem belli occaſionem intenta, trajicientes Belgas eo uſque defendere, dum illos ab hoſtili, qua ſe opponeret, claſſe, tutos appulſoſque conſpiceret.*

28 Octob. 1587 aperitque ſententiam ſuam Alexandro ſcribens.

Alexander accepta Regis deliberatione, curas inde omnes ſollicitando militum delectui, fabricandis ratibus, fovendis externorum motibus, ordinando pro ſe abſente provinciarum regimini, tanto pronius intendit, quanto per eam occaſionem Hiſpanas præſertim atque Italicas legiones, quas ſupra modum attenuatas jampridem querebatur, ſuppleturum ſe copioſius aliquando ſperaret. Erant ei legiones Hiſpanarum tres, Italorum duæ, præter alias aliarum nationum. Hiſpana Chriſtophori Mondragonii in centuriis viginti ſeptem, paulum ſupra mille ac ducentos milites numerabat: ex quibus ferme trecenti in præſidiis agitabant, nongenti caſtra ſequebantur. Ioannis Aquilæ legio in viginti quatuor centurias diſtributa, milites non plures mille ac ducentis recenſebat: à quibus quingentos abſtraxerant præſidia, ſeptingenti in campo militabant. Franciſci Bobadillæ legionem centuriæ una & viginti, milites mille ac nongenti conficiebant: omnes ſub ſignis, nulli in præſidiis erant. At legiones Italicæ Gaſtonis Spinulæ, & Camilli Capiſucchi eo decreverant, ut in centuriis ſeptendecim vix mille ac ſexcentos ſimul explerent. quorum trecentis ad præſidia ſepoſitis, ſexcentos ad prælia ſuccinctos Spinula ducebat.

Status Regii exercitus.

Hiſpanæ legiones tres: Italicæ duæ.

*Spin. Comes Bruay Capiſuc. Marchio Podikatini*

2009 Ministerio de Cultura

bat. Capiſucchi milites infra ſeptingentos, in octo centurias contracti, omnes armis campeſtribus attinebantur. Has ergo ſuppleturus legiones Alexander, ac novas, uti cum Rege ſtatuerat, additurus, ad legenda per Italiam minimum quatuor hominum millia, Blaſium Capiſuccum lanceariorum turmæ ductorem, virum militiæ impigrum interritumque illuc jam allegaverat, cum litteris ad Xyſtum Pontificem, ad Genuenſium Rempublicam, atque ad Vrbinatium Ducem, Regis nomine oratos, ut ſuis in provinciis delectus haberi ne gravarentur. mandaveratque eidem, ut ex patentibus Centurionum legendorum litteris, aliquas honoris cauſa Pontifici, ac Duci offerret, ut, ſi illis videretur, Centuriones arbitratu ſuo dicerent. nam Reſpublica quadringentos & quinquaginta è Corſica centuriandos Fliſco jam permiſerat: tanta, ubique locorum, alacritate accurrentium ad danda belgicæ militiæ nomina, ut centuriæ, quas non plures tredecim ſcribi mandatum erat, omnes deſtinatum trecentorum peditum numerum facile exceſſerint. Certe centuria Syllæ Barignani quadringentos ac triginta, Celſi Celſii quingentos ac octoginta tres, Marchionis Rangonii ſexcentos & quatuordecim numeravere. Luſtratos autem in Inſubria à provinciæ Gubernatore Carolo Terranovæ Duce, & à Blaſio Capiſucco, repertoſque omnes cum Corſis paulum ſupra quinque millia, Blaſius in Belgium duxit, nullo ſub tribuno, quippe ſupplendis Camilli Capiſucchi, & Gaſtonis Spinulæ legionibus deſtinabantur. At Neapolitano in Regno, juſſu Regis, à Prorege, Mirandæ Comite, accurate delecta quatuor peditum millia Tribunum ductoremque habuere Carolum Spinellum, expertæ ſæpius inter arma virtutis. Nam & in Neapolitano bello adverſus Guiſium Ducem, honorarius miles: & in navali ad Echinadas prælio, duarum triremium ductor: & in Luſitana expeditione, trium peditum millium Tribunus.

1588.
Ad has Italicas ſupplendas,
mittitur in Italiam Blaſius Capiſuccus, *Marchio Montorii*
*Dux Vrbin.*
*Reſp. Gen.*
lecti milites, *Syll. Piſauren.* *Cel. Rom.*
luſtrantur in Inſubria. 8 *Iul.* 1587
Additur his legio Neapolitana, Spinello Tribuno.

 bunus.

2009 Ministerio de Cultura

1588. bunus, ſtrenue ubique rem geſſerat. Vt merito illum, ejuſque legionis Centuriones viginti, ex Neapolitana omnes nobilitate, magnopere laudaverit commendaveritque Prorex ad Alexandrum ſcribens : nec laudes ſupra virtutem reperit Alexander. legionemque ipſam quum primum ſpectavit inſigni veſtium armorumque cultu perornatam, ſicut videri ſibi legionem theatralem, certamini accinctam ludicro, feſtive tunc dixit: ita illam poſtea in martis campo, armis decretoriis pugnacem ac victricem ſæpius expertus eſt. Ad Hiſpanorum autem delectum, quorum ſex millia Rex promiſerat ab Hiſpania, jampridem ſecreverat Alexander in Belgio ex veteranis ſigniferis, octodecim: eoſque in Hiſpaniam ducendos tradiderat Ioanni Moræo equiti Hieroſolymitano: qui eum bellatorum manipulum Regi offerret, oraretque, ut ſua illos voce centurionatus munere Rex honeſtaret, certus ſuam quemque centuriam ita ſibi conſcripturum, ut non aliis conquiſitoribus opportunius Hiſpani ad belgicam militiam legi poſſint. Et Rex haud gravate admiſſis, è militari ſingulorum aſpectu, vultuque, qui cicatricibus inſignis & merita proderet, & promerenda promitteret, fortes ſane viros interpretatus, omnes illico Centuriones verbis honorificis creavit: delectatus inſuper eorum reſponſo, quoniam comiter interroganti, Num aliquid ab ſe peterent, reſpondere omnes, *Nihil aliud, niſi ut in Belgium remitteret ſub Parmenſi Duce tamdiu militaturos, dum reliquum vitæ pro Religione ac Rege profunderent*. Hiſce autem Centurionibus Antonium Zuningam Rex impoſuit belgicæ militiæ apprime gnarum: qui collecta tria fere Hiſpanorum millia ſub octodecim ſignis in Belgium deportavit, veteranis ibi legionibus admiſcenda. Secuti ſunt horum diſceſſum Catalani ferme totidem: quorum pleroſque ex illius provinciæ exulibus venia donatis Aloyſius Queralta, nobilis & ipſe Catalanus, Regis juſſu conſcripſit.

10 *Iul.* 1587

Ad gubernandas hiſpanas, quæ I gerentur, legiones, mittit Alex. veteranos ſigniferos in hiſpaniam:

quos Rex conſtituit Centuriones. 30 *Maii* 1587

Dignum eorum dictum.

Sequitur hos legio Catalana. 3000

2009 Ministerio de Cultura

1588.

ſcripſit, ductor idem & Tribunus ſuæ legionis: quam, quia ſemihiſpana lingua Catalani loquerentur, legionem Wallonum Hiſpaniæ, militari joco, nominarunt. Non poſt multo ex Germania peditum tria millia, cum quatuor Raitrum turmis attulit Carolus Auſtriacus Burgautii Marchio: quem magnopere cupientem Farneſiana militia erudiri, in Belgium invitaverat præmonitus Alexander. & è Burgundia quadringentos pedites, ſupplementum ſuæ legionis evocaverat Marcus Rye Marchio Varambonius. & in Wallonum provinciis, & in reliquo Belgio idem factitabant Chiliarchi, ductoreſque omnes, ſuam quiſque centuriam, turmam quiſque ſuam novo complemento, Alexandri juſſu firmantes. Strepebant paſſim urbes agrique tympanorum ſonitu, & conquiſitorum delectibus cuncta fervebant. Eodem tempore miles ab Hiſpaniæ provinciis, miles à Pontificiis terris, à Neapolitano regno, ab Inſubria, à Corſica, à Germania, à Burgundia, à pleriſque Europæ partibus in Belgium properabat. Publicæ quaquaverſum viæ, plane militares, euntium centuriarum, manipulorumque frequentia terebantur. Cum mari facile comparares Belgium, ad quod undique locorum tam varia nationum agmina, tanquam amnium nomina confluebant. Neque ordinarii tantum milites, mediæve nobilitatis, ſed viri ſane ſummates, ac Dynaſtæ quotidie in Belgium feſtinabant. Advenere ab Hiſpania Rodericus de Silva Paſtranæ Dux, & Ioannes Mendoza Marchio Inoioſæ: à Gallia frater Haumalæ Ducis Philippus Lotharingus, (quem privata ulciſcendi Guiſii ſanguinis cauſa permotum ad Britannicam expeditionem, ſcribit ad Alexandrum Bernardinus Mendoza) ab Italia Ioannes Mediceus Magni Etruriæ Ducis frater: à Germania Carolus Archiducis Ferdinandi filius: à Sabaudia Amadeus Ducis frater: à Sicilia Octavius Aragonius Terranovæ Ducis filius, & Ferrantes à Boſco Aragonius

*Andreæ Card. Auſtriaci frater*

Vnam quoque ducit ex Germ. Car. Auſtriacus: & ſupplementum ducit è Burgundia Varambonius, & aliæ ſupplentur aliunde:

magno undique accurſu:

præſertim primariæ nobilitatis.

*Regina Scotiæ ex Guiſia matre.*

9 *Auguſti*

 Miſil-

2009 Ministerio de Cultura

1588. Miſilmeni Ducis frater: & ab uſque Africæ Mauri Regis filius. quos honorifice appellatos ſingulis quemque litteris Parmenſi Duci commendat ab Hiſpania Rex. præter alios complures multa generis claritudine præcellentes. Ut merito Carolus Coloma in hiſpana de Belgarum tumultibus hiſtoria, neget, quemquam recordari, primariam adeo, ſplendidamque nobilitatem in belgica militia conſpectam eſſe, ex quo Carolus Cæſar regna imperiumque depoſuit. Hæc porro militia in hunc modum aucta, (ut ſpeciem ejus ſummatim ob oculos ponam) pedites circiter quadraginta millia, equites tribus millibus aliquanto pauciores: hos turmis viginti ac duabus, illos legionibus una & viginti comprehenſos numeravit. Italicas tres Camillus Capiſuccus, Gaſto Spinula, & Carolus Spinellus Tribuni rexere. E quatuor hiſpanicis, Mondragoniam quidem, quod Præfectus Antverpianæ arcis Mondragonius attineretur Antverpiæ, Sancio Martinio Levæ tradidit Alexander. Quod autem Ioannes Aquila ex vulnere ad Sluſam accepto graviter laboraret, ejus legioni Ioannem Manriquum de Lara, Ducis Najaræ filium impoſuit. uti Bobadilliam, abſente Franciſco Bobadilla, Emmanueli Vegæ Capivaccæ jampridem attribuerat. Quartam vero Catalanam Aloyſius Queralta, quam duxerat, obtinebat. At legiones Germanicæ quinque, Chiliarchos ſuos haud mutatos habuere Ioannem Manriquum, Ferrantem Gonzagam, Comites Aremburgium, & Barlamontium, & Carolum Auſtriacum Burgautii Marchionem. wallonicæ quoque ſeptem manſere omnes ſub veteribus Ducibus, Emmanuele Marchione Renthiaco, Comitibus Boſſuvio, & Octavio Mansfeldio, Mottæo, Barbanſonio, Balanſonio, & qui Farneſiam Alexandri ducebat, werpio. Poſtremo Burgundicam, & Hibernicam Marchio Varambonius, & Gulielmus Stanlæus adminiſtrabant. At vero regendis equitum turmis, ad veteres earum ductores undeviginti, tres Alexander

*Lib. 1.*

**Cenſus regiæ militiæ**

**Italicæ legiones tres,**

**Hiſpanæ quatuor,**

**Germanicæ quinque,** *Colonelli*

**Wallonicæ ſex,**

**Burgundica & Hibernica duæ.**

**Equitum turmæ.**

2009 Ministerio de Cultura

der adjunxit, Favaræ in Sicilia Marchionem, 1588.
Octavium Aragonium Terranovæ filium, & Aloyſium Borgiam Ducis Gandiæ fratrem, ſub eodem equitum magiſtro Marchione Vaſtio. Ex his porro militibus pedites tricies mille, equites mille atque octingentos deſcripſit, qui ſe in Angliam trajecturum ſequerentur. Et Belgio adverſus domeſticum hoſtem decies mille pedites, equiteſque mille, præter affixos locis præſidiarios deſtinavit. delecto, qui ſupremi provinciarum Gubernatoris, armorumque Ducis ſuſtineret interea vices, Petro Erneſto Comite Mansfeldio, viro tam inter milites belgas, quam inter Magnates Hiſpaniæ, atque inter aurei Velleris equites, omnium antiquiſſimo. Ejus caſtrenſem præfecturam Valentino Pardiæo Mottæ Domino, quem ſecum ducturus erat, attribuit. Mansfeldio autem ſi quid humanitus interim accidiſſet, in ejus locum ſcripſit ad Regem ſuffici poſſe Carolum Lignyum Arembergii Comitem, non mala, uti ſperabat, aliorum Procerum gratia: præſertim quum Dux Areſchotus in Germaniam ad comitia iter meditaretur, & Marchio Renthiacus jam ſe ad expeditionem Anglicam, uti maris Præfectus, accingeret. Hæc dum ille ordinabat, eodem tempore navigia Antverpiæ, Neoporti, Dunquerchæ certatim parabantur. Ad eam rem cædi Alexander imperaverat ſilvas waſiani tractus, fabricarique naves, tanta celeritate, ut non illæ manibus hominum fabrefactæ, ſed arbores ipſæ in naves momento converſæ viderentur. Erant onerariæ fere omnes, ac planis carinis perquam amplæ, quibus equi virique tranſveherentur, imponerentur arma ac tela, obſidionales machinæ, ſutiles pontes, quæque alia aut trajiciendo amni, aut ſtruendo vallo, aut oppugnandæ arci ex uſu habentur. Ob eam cauſam accurate conduxerat à Brema, atque Hamburgo navicularios quamplurimos: maxime autem à Liguria, opera Petri Mendozæ, hiſpani apud eam

*Favara Luſitanus*

*triginta millia* Navigaturi in Angliam. Commoraturi in Belgio.

Horum ſupremus Gubernator pro Farneſio,

*Grandi di Spagna*

*Campi Magiſter*

*6 Dec. 1587*

& hiic ex occaſione ſubſtituendus,

Materiam ad naves Alexander parat:

& navales fabros,

*Hic frater erat Io. Manriqui Germanor. Chiliarchi*



2009 Ministerio de Cultura

1588. Rempublicam legati, navales fabros, ædificandi navigia, & gubernandi juxta peritos. Simul quoniam naves variis in locis fabricabantur, ut omnes traduci ad Flandricum littus, unde ſolvendum erat in Angliam, tuto expediteque poſſent, luſtravit ipſe amnes, laxavit eorum ripas, & alicubi novos alveos, inductis aliunde rivis, aperuit.

& viam navibus.

DE Scotorum Rege.

Nec ideo ab incæpto pridem cum Scotis negotio ceſſabatur. Fluctuabat jamdiu miſerum in modum Scotia variis factionum undis, Eliſabetha Regina in fretum illud ab Anglia ventos tempeſtateſque concitante. Alios novi Euangelii inducendi vanitas, alios veteris retinendi conſtantia: multos Mariæ Reginæ diuturnus indignuſque carcer, civilibus inter ſe turbis armiſque ſæpe committebant. Rex ipſe hinc atque hinc diſtrahebatur; donec audito matris ſupplicio, veritus (quod ei multi occinebant) ne, quæ matrem ſuſtuliſſet, & filium tolleret; excitari aliquando, & quidem implacabiliter in Anglam viſus eſt. Inde nobiles complures, quod de Regina liberanda conſilium inierant, id de ulciſcenda reſumentes, implorandum ſibi ab Hiſpano auxilium condixere, Guilelmo Simplio Scotorum Chiliarcho, & Mortono Comite tranſactoribus, atque adminiſtris. Quos Bernardinus Mendoza (namque ad hunc notum ſibi hominem Pariſios ſe contulerant) libenter amplexus, litteris inſtructos ad Parmenſem Ducem allegavit. Et Parmenſis, re cum Philippo Rege communicata, quanto id opportunius accidebat deſtinatæ in Angliam expeditioni, tanto liberaliorem illis ab Rege, atque ab ſe opem pollicitus, addita præſertim pecunia, & ſpe majori facta, in Scotiam remiſit, cum mandatis Simplio traditis, ſalutaret ſuo nomine ſocios: atque, ut in ſuſcepti conſilii conſtantia perſiſterent, animaret: moneretque ſedulo, ne arma ad Angliæ fines admoverent ante, quam portu, quem deſignaverant, potirentur. Quin compoſitas ad ipſum Scotorum

Regni ſtatus:

Rex de ulciſcenda matris cæde cogitat:

& nobiles pro eodem

confugiunt ad Alexandrum,

qui operam ſuam offert,

Regem

2009 Ministerio de Cultura

Regem litteras Simplio dedit, quas, ſi ex re videretur, Regi traderet. In iis (ut ſententiam hic referam) *Adveniſſe ad ſe nuper ajebat Simplium Chiliarchum: ac nomine multorum Scotiæ nobilium, qui ad ulciſcendas tum Mariæ cædem, tum injuriam univerſæ Scotorum genti factam, conſpiraverant, auxilium petiiſſe. Eorum poſtulata libenter ab ſe audita, quod exiſtimaret, perquam gratum ei futurum, ſocios habere tam piæ glorioſæque, atque expectatæ ab omnibus ultionis. Ideoque ſe & obtuliſſe in eam rem non gravate operam ſuam, & eodem ſemper animo futurum in iis, quæ ad Regiam ejus amplitudinem dignitatemque ſpectaverint. Cetera ex Chiliarcho intellecturum.* Sic ille, nulla addita aut commendatione catholicæ Religionis, aut ſpe ſucceſſionis ad Angliæ Regnum. Et Rex admiſſo perhonorifice Simplio, egit per litteras, quarum authographum apud me eſt, gratias Parmenſi Duci, cujus humanitati adſtrictum ſe in perpetuum profitebatur. Ea porro, de quibus Simplius egerit, gratiſſima ſibi accidiſſe: nec illibenter acquieturum ſe omnibus, quæ idem de habito colloquio, ineundoque conſilio relaturus ſit. quibus ſi forte contraria à quoquam referatur, ne fides ab Duce habeatur, ad extremum rogat. Et vero credibile eſt, oblatam à Parmenſi operam Regi gratam accidiſſe: nempe ultionem ille animo premebat, dumtaxat incertus, peteretne auxilium adverſus Reginam à Daniæ Rege, cujus filiam ambibat uxorem, an potius componeret ſe cum Hiſpano virium prævalido, & Anglis infenſo. A quo quum ultro nunc invitaretur, conditionem haud aſpernari viſus eſt. Niſi forte ſuſpenſe ſcribebat illa Rex in eventum ſcilicet intentus, & huc, aut illuc ſe demum delaturus, unde ſpes potentiæ major affulſiſſet. Etenim eodem tempore ab Angliæ Regina, & à Parmenſi Duce, Regis animus oppugnabatur.

Non ceſſabat illa litteris, legationibuſque placare juvenem Regem, & communione periculi in partes attrahere, ſubinde admonens,

1588.

& ad Scotorum Regem litteras componit,

gratas Regi, 10 *Maji Originale*

facile uſuro Alex. opera,

Sed Angliæ Regina *Angliæ Regina*



2009 Ministerio de Cultura

1588. caveret ſibi à conſiliis Hiſpanorum, quibus decretum eſſet, poſt devictam Angliam, continenti opera Scotiam ſubjugare. nec majus ab Hiſpano beneficium Scoto expectandum, quam quod Vlyſſi promiſiſſe dicitur Polyphemus, nempe ut ceteris devoratis, ultimus ipſe deglutiretur.

*variis illum artibus avertere conatur:*

Nec diu reluctatus eſt Rex, & hæreſi innutritus à puero, & circumſeſſus ab Reginæ emiſſariis crebro in aurem inſuſſurantibus, Reputaret apud ſe, conducibilius eſſe rebus ſuis, Eliſabetham quam Philippum regnum Angliæ obtinere. illa defuncta, regnum ei ante omnes jure deberi: at Hiſpano armorum vi Angliam acquirente, ſpem ſucceſſionis perinde omnibus præcludi.

*& avertit,*

Itaque remittente paulatim, quem ceperat, maternæ ultionis impetu, cum Regina in gratiam rediit. immo Comite Mortono in carcerem conjecto, & conſpiratione evaneſcente, Reginæ ſe adverſus Hiſpanos adjunxit.

*& ſibi contra hiſpanum adjungit.*

Compos ergo voti Eliſabetha, Scoto in partes attracto, longius ſpes jecit. Et, quoniam per Hiſpanorum cunctationem licebat, properatis legationibus in Galliam, Daniam, Germaniamque, amicitiam renovavit, neceſſitatem expoſuit, auxilium flagitavit.

*Tum ab aliis Principibus opem poſcit.*

*Ipſum Turcarum Principem ſollicitat.*

Quin etiam, uti comperio, miſſus ab eadem Conſtantinopolim is, qui paucis ante annis, fœderis inter Turcarum Imperatorem, & Angliæ Reginam miniſter fuerat, ſupplicem libellum obtulit (libelli exemplum & Praga à Guillelmo de Sancto Clemente, & Venetiis à Ioanne de Tornoza, hiſpanæ in ea urbe nationis Conſule, miſſum eſt ad Alexandrum) in quo Turcam orabat, ne deſertam vellet in eo diſcrimine Reginam: ſed quando illum Deus feciſſet omnis humanæ potentiæ ſummum, ad debellandos idololatras, (tales præ Turcis ipſe Catholicos habebat) uteretur ea, qua unice præſtaret, magnitudine virium: ac immiſſis in Hiſpaniæ regna triremibus minimum ſexaginta, terrore ſui nominis abſterreret hoſtem, qui auxilio fretus aliorum Principum, (ejus in primis, qui

*Legat. apud Caſ.*

2009 Ministerio de Cultura

qui Deus terreſtris ab illis creditur, coliturque) Britanniam nunc invadit, mox ipſum Turcarum imperium inſatiabiliter invaſurus. Nec minus anxie cum Fœderatis Belgis ad commune periculum propulſandum Regina tranſegit. contentiones inter eos, Angloſque quotidie invaleſcentes, Belgis æquior diremit: quæque à Comite Mauritio, atque à Magiſtratibus adverſus Leiceſtrium rogabatur, liberaliter indulſit. claſſe hiſpanica ſi peterentur Hollandi, naves, arma, militem prælarge promiſit. ſi invaderetur Anglia, parem ab illis opem, maxime adverſus Parmenſis apparatum, pro fœdere atque amicitia popoſcit. Nec Belgæ auxilium diſtulere, viginti bellicis navibus in Angliam directis, claſſe quam inſtruere jam cœperant, apud ſe retenta: cujus cum parte Scaldim ſe inſeſſuros, ne Antverpia naves in mare Parmenſis educeret, polliciti ſunt. Sic illa foris. At domi, propiore nempe cura, milites toto lectos regno contrahit: naves quam multas poteſt, Carolo Howardo rei maritimæ Præfecto, ejuſque vicario Franciſco Draco comparandas, regendaſque committit. peditum equitumque ad terreſtre bellum Comiti Leiceſtrio ſummum per inſulam imperium attribuit. Henricum Seimerum cum peculiari claſſe Hollandicis navibus jungenda, Flandricam oram, ne inde Parmenſis egrederetur, circumire jubet. alias demum copias ad regiæ urbis, ſuique cuſtodiam, Huſdono duce privatim ſeponit. Poſtremo cavendum ſibi, ac regno, per id maxime tempus exiſtimavit à Catholicorum nobilitate: qui, ut in magna erant apud omnes exiſtimatione, ita momenti plurimum allaturos Hiſpanorum partibus ſuſpicabatur. Et licet eorum permulti ſtudium operamque ſuam Reginæ adverſus externorum aggreſſiones offerrent: ſive ſpe conciliandi catholico nomini Eliſabethæ animum, ſive inſita abalienatione à peregrinis moribus, dominationeque; illa tamen præcipuum quemque, perdurante ea belli tempeſtate,

[Margin notes: 1588. | *Pontif. Roma* cum fœderatis provinciis tranſigit. | In Anglia milites ac Duces parat. | *Admirallus* | *Londra* | A catholicis nobilibus præcavet.]



2009 Ministerio de Cultura

1588. partim in cuſtodiam, partim in exilium amandavit: TUTIUS arbitrata, vincire manus, ne nocere poſſint: quam promereri animos, ut juvare velint.

CLASSIS hiſpana, ejus apparatus, præſertim navium, tum quæ Galeaſſæ dicuntur: *Galeazze* *Galera* tum earum quæ Galeones. *Galeoni*

Sed nuſquam impenſius, quam per Hiſpaniæ regna conſtruendæ claſſi inſudabatur: Europa univerſa in expectationem tanti apparatus erecta. Et ſane nec Hiſpania quidquam operoſius in maritimis expeditionibus aliquando elaboraſſe, nec ſuperbius aliquid Oceanus vidiſſe ferebatur. Duo in primis navium genera admirationi erant, quæ quod uſitatum ad eam diem modum excederent, quaſi tunc primum immiſſa mari viſa ſunt. Alterum earum, quæ velis ac remis aguntur, ſed reliquis triremibus tertia omnino parte longiores, latioreſque. Non enim ſolum præalta proræ puppiſque propugnacula multo milite ac tormentis armaverant, ſed maxime coſtas ac latera, ſingulos inter ſcalmos ac remigum tranſtra, ſingulis tormentis ita in orbem inſtruxerant, ut quocumque ſe navigium obverteret, æque noxium fulminaret. ex quo fiebat, ut, quum hæc remigum ſcamna, ob interjecta tormenta multo hic laxius, quam in ceteris triremibus inter ſe diſtarent, ob hanc interſcalmiorum magnitudinem, longiore forma navigium extenderetur. Quamobrem ſicuti veteres ſcriptores diſtinguere à communibus navigiis triremes conſuevere, eas longarum nomine appellantes: ſic ab ipſis navibus longis, hoc genus navium, quæ propter immanem hanc formam Galeaſſæ vulgo dicuntur, longiorum appellatione diſtinguere non incongruum fuerit. Tales in Naupactæa pugna à Venetis primum inductæ, victoriam Chriſtianæ Reipublicæ perpetuo memorabilem peperere. Alterum genus erat earum navium, quæ non niſi ventis ad velorum remigium laborantibus impelluntur. quæ, quoniam cum navibus ſolum veliferis ita rotunditate formæ convenirent, ut tamen à triremibus aliquid longitudinis haberent, & utraſque mole ſuperarent, no-

2009 Ministerio de Cultura

nominari Galeones cœptæ ſunt. ego ingentes Gaulos, (ſic enim genus navigii non plane rotundi dictum apud veteres lego) libentius appellabo. niſi forte oppida pelago innatantia appellari quis malit, ſi & populum oppido parem intra ea tecta, pluribus diſtincta contignationibus habitantem: & arces defendendæ urbi validas, è prora puppique ſurgentes inſpexerit. Sed nihil æque hujuſce navigii magnitudinem firmitatemque oſtendebat, ac grandium pondera tormentorum. caſtella, fori, ad roſtrum, ad clavum, infra ſupraque tabulata, & quidem duplici ordine, tormentis in hoſtem minantibus armabantur. Profecto non denſior hiſpidiorque ſentibus ſuis hiſtrix adverſus circumlatrantes canes inſtruitur, quum in ſe ſe conglobata cutem intendit, & aculeos ejaculatur; quam crebra hæc tormentis & minax moles, ita ſuis undique miſſilibus communiebatur, ut undecumque inferentem ſe hoſtem, promptis quaquaverſum emiſſionibus, abſterrere poſſet. Harum porro, atque aliarum navium, militumque in eis numerum, ſcio varie à ſcriptoribus evulgatum. Ego ſatis habuero, indicem hic referre miſſum ex ipſa claſſe, paulo ante pugnam ad Alexandrum. Ejus ſumma hæc erat. *Conſtat univerſa claſſis navibus magnis centum ac triginta quinque: partim triremibus ordinariis, aut extra ordinem longioribus: partim rotundis ſolitæ magnitudinis, aut Gaulis præter ſolitum ingentibus, & ex iis, quatuor longe vaſtiſſimis. reliquæ minores ferme quadraginta. pleræque onerariæ ſunt vectoriæque, & majorum additamenta. In his impoſitæ legiones Hiſpanorum quinque, Tribunis Didaco Pimentello, Auguſtino Mexia, Alphonſo Luzono, Nicolao de Inſula, & Franciſco Toletano, cum militibus octodecim millibus, & octingentis quinquaginta ſeptem. Ad hæc nautæ navaleſque ſocii ſeptem millia, & quadringenti quadraginta novem. Præterea Dynaſtæ Proceresque hiſpani ducenti, atque viginti. Milites voluntarii treceuti quinquaginta quatuor, cum horum famulis ſer-*

1588.

*Feſtus & alii*

Summa navigiorum, Galeazze Galeoni

& militum.

*Venturieri*

1588. *ſervitiiſque ſexcentis vigintiquatuor. Denique ex religioſis familiis Sacerdotes, quique aut ad agros curandos, aut ad militum licentiam manus injectione coërcendam, aut ad alia claſſis miniſteria adhiberi ſolent, ſexcenti ſexaginta novem. Atque adeo in claſſe navigant homines viginti octo millia, ac ducenti nonaginta tres.* De bellicis tormentis, machiniſque, & commeatu, nulla hic mentio. ſed horum apparatus quantus fuerit, ex magnitudine claſſis conjicere cuique promptum eſt. Nec defuere ſcriptores, qui ex libello, quem MantuæCarpetanorum editum vidiſſe ſe dicunt, tormenta, pilas, bellici pulveris dolia, plumbi pondo; ac, (præterea, quæ miles quiſque geſtabat arma) ſclopos majores minoreſque, haſtas, bipennes, aliaque id genus tela, quæ armandis in Anglia inſularibus ſufficerent, abunde numeraverint. quin & alimentorum ad ſenum menſium annonam, appoſita ſingulorum copia menſuraque, nimis quam minute percenſuerint. Illud conſtat, raro unquam Hiſpanos expeditionem frequentiore nobilitate, ſpeque victoriæ alacriore ſuſcepiſſe. ideoque perpaucis in claſſem admiſſis ex aliis nationibus, facti gloriam hiſpano nomini eos quæſiviſſe creditum eſt. Nec temere ſperaſſe id decus poterat ea claſſis Sanctacrucio Imperatore: qui cum ſæpe ex aliis maritimis hoſtibus, tum recente victoria ad Helenæ promontorium ex Eduardo Drachi fratris filio, Angliſque navibus, Vliſſipone triumphaverat. Verum dum is navalem apparatum in ea urbe diſponit, audito adventare hiſpana cum indico auro navigia, juſſus à Rege cum parte navium obviam illis ire, ac ſecuritatem viæ præſtare, reverſus incolumi gaza, paulo poſt moritur: tanto majore quidem dolore Philippi Regis, quanto dediſſe cauſam mortis Rex ipſe ferebatur. Nam Sanctacrucius adornandæ claſſi Vliſſipone inſiſtens, quoniam multa in delectu militum, multa in nautarum miniſterio requirebat, minus ob eam moram probabatur aliquibus, qui aut

Numerus omnium.

*Madrid*

Sanctacrucius claſſis Præfectus,

*Lisbona*

moritur:

tali occaſione.

2009 Ministerio de Cultura

aut imperitia feſtinabant, aut Regis obſecundare deſiderio ſatagebant. Qua de viri cunctatione, litteris Alphonſi Levæ, præfervido juvenis ingenio, ſed ignaro ſollicitari à ſe fatum ſuum, Rex admonitus, ubi in conſpectu illum habuit non perinde ac ſolebat exceptum, *Male tu quidem*, inquit, *pro benevolentia in te mea, mihi gratiam rependis.* Nec pluribus opus fuit, ut inde domum abiens ex mœrore de vita decederet. Adeo SÆPENVMERO homines inter vulnera invictos erectoſque, unius verbi punctiuncula facile proſternit: quaſi iſtis pro corde ſit honor, quo læſo vivere non ſuſtineant. Iam parem orbæ claſſi Gubernatorem, nec promptum Regi tunc erat invenire, nec diu per otium quærere permittebat neceſſitas feſtinandi. Igitur Alphonſum Pereſium Guſmanum Medinæ Sidoniæ Ducem, militiæ quidem haud ita peritum, ſed clarum genere, divitiiſque per Hiſpaniæ regna præpollentem, pro Sanctacrucio Rex ſubſtituit, claſſe non aſpernante, ferreo Duci aureum ſuffectum: quod & primarii milites ampliorem ſui uſum à novo inexpertoque Imperatore ſibi promitterent: & reliqui pecunioſum Ducem tanquam obſidem acciperent ſtipendii non defuturi. Accedebat multorum, ac in primis Io. Martinii Recaldi univerſæ claſſis legati, & Michaelis Ocquendi Cantabricis navibus præfecti in re navali peritia: quorum opera Sidonius, prudens ipſe, & conſilianti-bus paratus, uti poſſet.

1588. *Nam in ea expeditione obiit*

Subſtituitur Medinæ Sidoniæ Dux.

*Recald. Cantaber* *Ocquen. Cantaber*

Rebus in hunc modum compoſitis, poſt ſacratum ſolenni precationum ritu, acceptumque imperatorium vexillum, placuit ab Vliſſiponenſi moniali, ſanctitatis tunc fama percelebri, poſtea impoſturæ damnata, eamdem bene precandi cæremoniam expoſcere: nimio videlicet ſtudio pietatis haud pie, certe omine non bono. ſiquidem paulo poſtquam ſolvit è portu regia claſſis, ante promontorium, cui Finis terræ nomen, coorta horribili fœdaque tempeſtate, ita diſtractæ conflictatæque ſunt naves, ut

Imperatorium vexillum accipit Sidonius:

& claſſis ſolvit, 19 *Iunii* ſtatimque tempeſtate diſtrahitur.

2009 Ministerio de Cultura

1588. ut aliis alio ventorum vi delatis, vix tertia è tanto numero pars Corunnam Gallæciæ portum utcumque tenuerit. Quem in locum ferunt, Anglici maris Præfectum, audito Hiſpanorum infortunio, armatas illico naves, ſecundo uſum vento direxiſſe, ut hoſtem collectis nondum viribus laborantem in ipſa ſtatione conficeret. Aderatque jam in conſpectu hiſpanæ oræ, quum reſtantis impetu venti retractus in Angliam, ſequi vela votis contrariis euntia compulſus eſt. Et hiſpanæ interea naves, remiſſa tempeſtate ad Corunnæ portum, atque ad reliqua Gallæci maris hoſpitia reverſæ, ſupple-tis è Corunnæ præſidio claſſiariis in éa jactatione deſideratis, magno intrepidoque omnes animo reſumpta navigatione in Angliam contenderunt. De claſſis mora, occaſioneque morandi, deque ſecuta ejuſdem alacri velificatione admonitus à Sidonio primum, mox ab Rege Farneſius, confeſtim ad Mendozam legatum Pariſios ſcribit: ut de adventu regiæ claſſis, deque occultato hactenus conſilio hiſpani ac belgici apparatus, Philippi Regis nomine ac ſuo, edoceat Henricum Galliæ Regem. Sic enim Regem mandaſſe, ut ſuſceptæ expeditionis propoſitum, antequam ſolveret ab Hiſpania claſſis, quam maxime poſſet, cælatum haberet: ac, poſtquam ſolviſſet, primo id aperiret Henrico, ne quid forte ille in ſe cudi, improbis in aurem obgannientibus, ſuſpectaret. Et vero licet deſtinari bello Angliam plerique conſentirent, aliqui tamen ingenii vanitate, quaſi diverſa à vulgo diſſerere, ſolitariæ reconditæque prudentiæ ſit, alio atque alio rem trahebant. Multi conſultius unde cauſam offenſionis, illuc belli metum aſſignabant. Hollandi, quod Reginam Anglam viderent tantopere in pacificationem præter ſolitum perſuadendam incumbere: quodque clam exploraſſent, Parmenſem Ducem, poſt Sluſæ victoriam, in Fliſſingam Zelandiamque vertiſſe animum, idque cum Rege conſilium communicaſſe; profecto ab hiſpana claſſe haud im-

Contendens in ejus partem Anglus *Car. Houvard*

vento repellitur. *Camdenus in Eliſabetha l. 3*

Recollecta claſſis in Angliam pergit.

*20 Iulii.* De ea Galliæ Regem admonet Alex. *Reg. Hiſp.*

Variæ opiniones quo tendat hæc claſſis.

©2009 Ministerio de Cultura

immerito ſibi metuebant. Erant, qui crederent, & Rex credi volebat, illam navium magnitudinem, in Occidentalem Indiam parari, recuperandis per ea loca munitionibus oppidiſque ab Anglo captis, eademque opera Oceano à prædatoriis paſſim navigiis liberando. Denique nec Gallus Hiſpani apparatum ſine cura ſpectabat, veritus, ne ad fœdus, quod in Gallia concipi videbat, adjuvandum, eæ armorum vires ab Hiſpania Belgioque dirigerentur, ſumpto à Caleti expugnatione principio. Et fovebat hujuſmodi deſignationes Alexander, quo magis Reginæ animum ſuper Angliæ videlicet aggreſſione ſuſpenſum haberet. Immo quum magna ephippiorum, frenorumque copia Namurci expoſita, ex artificibus ipſis intellectum eſſet, ad equos in Angliam deportandos illa confici; juſſit pleraque venalia proponi: ſpargique in vulgus, mutato jam conſilio, equeſtri illa ſupellectili opus ultra non eſſe. Sed ſimulationem deponere coactus eſt: ubi ex Moroſino Centurione, quem in Hiſpaniam ad Sidonium ſalutandum, atque ad ſtatum regiæ claſſis inſpiciendum miſerat, audivit, claſſem non procul abeſſe. tunc enim Brugis reverſus, Angliæ legatis, qui ad hoc uſque tempus diſceptando colludendoque Burburgi ſubſtiterant, honorifice dimiſſis: ac militibus, ubicumque locorum erant, eductis, perque maritimam oram, quæ apud Gravelingam, Dunquercham, ac Neoportum contra Britanniam late panditur, diſtributis; haud dubie oſtendit, quam denique in partem ingens ea machina obverteretur.

1588.

& Alexander conſilium occultat:

*Franc. Moroſinus Mediolanen.*

quod aperit vicina jam claſſe.

Iamque velis non minus Hiſpanorum ſpe, quam vento tumidis, Armonicæ cornu prætervecta claſſis, videndam ſpeculatoriis Anglorum navigiis, æſtimandamque ſe præbuit. Speciem ingentis urbis Oceano ſpatiantis objectam ſibi retulere ii, quibus primum inſpecta eſt: cujus ceu mœnia duplici circumducta ambitu prealtæ denſatæque triremium longiorum pup-

Claſſis primum ab Anglis viſa, *Bertagna*

mira ſpecie.

*Galeazze*

2009 Ministerio de Cultura

1588. puppes ac proræ componerent : interjectæ his per intervalla vaſtæ Gaulorum moles, ſuperbas in turres & caſtella conſurgerent : & Prætoria in medio ceteris excelſior, Regiam hiſpani Xerſis attolleret. Sed ea mox ſpecie vario velorum flexu diſtracta, æquata fronte, mare inter utramque Britanniam ingreſſa, in conſpectum venit Anglicarum navium, quæ tunc ſe ad Plimutham, Cornubiæ extremæque Angliæ portum colligebant. Erant illæ fere centum, numero ac mole longe infra hiſpanas. Et Auſter Africus in proras ac faciem graviter incumbens ægre illas nec ſatis compoſite deduci è portu ſinebat : unde Howardo ac Draco Ducibus timor improſperi certaminis, ſi invaderentur. Sed eos metu liberavit hiſpanæ claſſis prætervectio. Nam Sidonius in Canalis ingreſſu (ſic Angliæ fretum vocant nautæ) antequam progrederetur, advocato in Prætoriam bellico ſenatu, juſſa Regis aperuit. Ea erant, Ut regia claſſis canalem invecta, ultra in eas fauces tenderet, qua iter Caletum & Dorovernium in paucarum tranſvectionem horarum ſe coarctat Oceanus : ibique munita contra vim hoſtium via, Parmenſi Duci cum exercitu è Belgii portubus tranſmittenti adjungeret copias : quæ ſimul junctæ, ſuperato Thamiſis oſtio, contra Londinum exponerentur, à Parmenſi ducendæ. Turbavit ea denunciatio pleroſque Procerum pugnandi avidos, & paratos. Nec omiſit libera oratione Recaldus admonere Ducem, *Videret, ne importuno in verba Regis obſequio, Regis cauſa proderetur. Si recta Plimutham peterent, quo ſecundus Auſter invitat & vela plane compellit, profecto non dubitare ſe, quin qualeſcumque hoſtium naves, inopinata tantæ claſſis impreſſione fundantur ac profligentur : certe ita deſtineantur, ut dum illuc ab Anglis undique locorum accurritur, ac tota belli moles ad Plimutham convertitur, extenuatis alibi præſidiis, interea Parmenſi Duci liber in Angliam trajiciendi aditus pateſiat. Atque hoc & Regem ipſum, ſi præſens adeſſet, pro ſua ſapientia imperatu-*

*Galeoni*
*Dux Medina Sidon.*
*Anglica & Gallica ſeu Bertagna Cornvallia*

Claſſis Anglorum,

non ſatis compoſita ad prælium.

Inde opportunitas invadendi.

Sed inſpectæ Regis litteræ negant.
*Cales & Dover portus Galliæ, Angliæq;*

*Angliæ fluv.*

Suadet tamen pugnam legatus.

2009 Ministerio de Cultura

raturum: & Regis adminiſtros velut imperatum interpretari par eſſe. Nam ſi in terreſtri expeditione non raro Ducibus permittitur, ut juſſa Principis ad incerta præliorum flectant ac temperent: in mari, ubi ſæpius cum ventis, ac tempeſtatibus, quam cum hoſte luctandum, quid certi in tanto fortuitorum concurſu præſcribi, ac mandari poſſe? Denique mandatis obtemperari ſatis, ſi vincatur. nam cladium rationem exigi: victoribus præmia à Principe, ab aliis gloriam rependi. Sed non ideo Recaldus Duci perſuaſit, affirmanti, *In ea quidem cum Parmenſi conjunctione copiarum, impoſitum ſibi ab Rege munus mandatis regiis obſequendi, non relictum ſuper iis arbitrium conſultandi. Nec ſibi tantum tribuere, ut quod Ducibus experta bello virtutis, ac felicitatis, id ſibi in prima expeditione permitti à Principe ſtatim velit. An, ſi forte pugna ſecus ceſſerit, eumdem ſibi ſperandum veniæ locum, quem plurium palmarum Imperatores aliquando meruerint? Pugnæ ardorem, ac præripiendæ victoriæ cupiditatem, quam tantopere præ ſe milites ferant, non niſi paucas intra horas, hoc eſt ad Vectem uſque inſulam differri, eam prætervectis, acceptoque inibi de Parmenſis apparatu, certiore nuncio, tunc ſe præliandi, ac vincendi copiam tanto auſpicatius facturum, quanto non tam ab ſe, quam ab Rege ipſo, cujus imperio paruerint, pugnæ ſignum excepturi ſint.* Hæc fatus, diſponi aciem, extenſamque directa fronte claſſem, in cornua paulum contrahi lunarique jubet. Cornu ſiniſtrum Angliæ littoribus obverſum Petro Valdeſio Bæticarum navium ductori: dextrum Galliam reſpiciens, Michaëli Ocquendo, mare ſæpius experto attribuit: ipſe vocato in Prætoriam Didaco Floro Valdeſio veteri duce, media ſe in acie locat: poſt ſe Recaldum legatum, qui terga defenderet, non longo ab reliqua claſſe intervallo, ſeponit. In hunc modum inſtructos, ubi à Plimutha deflectere, contra, quam Angli ſibi perſuaſerant, ac prænavigare proſpicit, qui Anglorum claſſi præerat Howardus, ſolutus haud levi cura, inſequi abeuntes ſtatuit: partituſque cum Draco claſſem,

1588.

Immotus ad hæc Sidonius reſpondet.

ac diſpoſita acie Anglos præterit.

P. Vald. *Aſtur*

Di. Flor. Vald. *Aſtur*

Angli inſequuntur.

2009 Ministerio de Cultura

1588. ſem, Hiſpanos duabus à Plimutha leucis aggreditur. Et Sidonius, quamquam progrediendi conſilium ceperat, obverſis illico in hoſtem proris, pugnam magno animo capeſſit. Certatum utrinque ardentius, quam perſeverantius. Nam & Hiſpanis ventus atram è ſulphureo pulvere in ora nubem ingerens, auferebat oculorum uſum: & Angli haud ab re veriti, ne, ſi propius pugnam conſererent, impulſu concuſſuque hoſtilium machinarum peſſum ipſi darentur; eminus, ac per intervalla dimicare ſatius habebant. Vna legati ſubprætoria navis, proxima periculo fuit: quippe procul à claſſe præliantem, primæque pilarum tempeſtati fortiter occurrentem Dracus ipſe cum expeditis celocibus aſſidue fulminantibus fatigabat. Sed admotæ illuc ingens Sidonii Prætoria, longiorque Alphonſi Levæ navis tamdiu hoſtem abſterruere, dum legati navigium ad reliquam claſſem multis acceptis illatiſque vulneribus ſe recepit. At inſecuta nocte, caſu, an dolo libratoris belgæ, indignati, quod ab hiſpano Centurione proditor eſſet appellatus, quaſi maligne in prælio tormenta direxiſſet, Ocquendi Cantabrica navis repente conflagrare cœpit, dumque reſtinguendo igni Valdeſius Gaulo vectus accurrit, cæca in nocte, ac procelloſo mari, ejus malo antennis Cantabricæ implicito diffractoque; navigium inter eas tenebras à prætervecta jam claſſe inobſervatum, ac derelictum, Draco inſequenti oppugnantique in prædam ceſſit: Valdeſius cum aliquot nobilibus in Angliam, veluti cœptæ jam victoriæ libamentum, Reginæ miſſus eſt. Nec diſpar Cantabricæ fatum fuit, niſi quod Ocquendo ipſo, & pleriſque claſſiariorum, & regia pecunia (nam in ea Quæſtor regius vehebatur) alias in naves propere tranſlatis, quidquid ex Cantabrica igni ſuperfuit, paucis cum nautis mutilatis ac peruſtis, in Anglorum poteſtatem venit. Triſtius adhuc Nicolai de Inſula Tribuni naufragium fuit apud gallicam Gratiæ ſtationem, quo ventorum violentia

*Hiſpani proras convertunt: & pugnant.*

*Recald.* *Navium aliquot hiſpanarum infortunia.*

*Galeazza*

*Bombardiere*

*Petr. Valdes*

*Havre de Gratie.*

2009 Ministerio de Cultura

lentia dejectam, quam ipſe ducebat, indicam navem, dum ab Anglis impigre defendit; antenna in caput incidente proſtratus interiit: ſecuto Ducem interitu navis, non tamen ante, quam ad littus pleroſque militum incolumes ejeciſſet. Hæc uti geſta erant ſcribens Sidonius ad Parmenſem, quem ſingulis fere diebus è ſua prætoria per alios alioſque de ſtatu claſſis admonebat, decreviſſe ſe ait, Vectem inſulam pertentare, ut ſtationem haberet aliquam, quo naves à jactatione ſubduceret: ideoque enixe orare, ut ad ſe mitteret quam celerrime vaſa aliquot bellici pulveris, pilas quæ in promptu eſſent plumbeas ferreaſque, atque in primis, nonnullos loci callidos naucleros. Quibus è Neoporto quam citiſſime acceptis, jamque Vectem adnavigans, obvium inde habuit agmen Londinenſium navium, quæ ad inſulæ præſidium mittebantur: inſequente ſimul à tergo Howardi ac Drachi claſſe. Ergo præſenti magnoque utrinque animo, Hiſpanis Angliſque ad pugnam inſtructis, primum de præripiendo invicem vento, cum eoque conſpirando, certamen fuit. quo ab Anglis ob navigiorum velocitatem denique prærepto, atque in partes attracto, quanto hi alacrius iniere pugnam, tanto inſenſius Hiſpani ſtimulante ira, aggreſſi ſunt hoſtem. ſenſitque primam ab Hiſpanis emiſſionem Anglica navis momento ſubmerſa. Quin & diviſa bifariam claſſe, parte in Londinenſes invecta, parte in reliquas Anglorum naves incumbente, quo ſe cumque vertebant immanes illæ caſtellorum moles, illuc minas ac terrorem late ſpargebant. Nempe & militum numero, & numero ac robore ingentium machinarum, & majorum minorumque tormentorum copia, longe præſtabat hiſpana claſſis: à Ducis nautarumque experientia, à navium forma, à pugnæ loco deſtituebatur. Inde ei ubique cura, ferreis injectis manibus, nexiſque navigiis ad prælium nulla ſpe fugæ conſerendum, hoſtes cogere. Contra, naves Anglorum minores impareſque,

1588. *Carol. Coloma l. 1.*

*2 Auguſti*

*Rod. Tellus & Io. Gil. & Petr. de Leon*

*4 Auguſti*

*Vectis*

Pugna alia graviorque.

comparatio utrinſque claſſis.

Præſtant in nonnullis Hiſpani:

In aliis Angli.

*Hiſpani*

2009 Ministerio de Cultura

1588. reſque, vitare illud ſtatariæ pugnæ genus: & qua erant agilitate, inter prægraves ac tardas Hiſpanorum machinas, mobilia roſtra circumflectere, partemque in omnem impetum capere: & tanquam in equeſtri certamine, ſic remis quaſi habenis uti: idque ſedulo agere, ut nunc à tergo, nunc à lateribus incurrentes agmen hoſtile diſtraherent, avulſaſque ab agmine circumſiſterent, ac vaſtas, ictuumque capaces, globo non aberrante, certius impeterent. Sed nihil eos æque juvabat ac pugnæ locus, cæcis identidem ſyrtibus brevibuſque inſidioſus, atque ob latentes arenæ cumulos prope littorum oras, majoribus utique navigiis inacceſſus. Quo tamen leves Angli expeditique, diſploſione facta, innocuo per ſyrtes receſſu avolabant, Hiſpanis ad ignota vada, ſi inſequerentur, adhæſuris. Hinc Sidonius remittente ob noctem prælio, ad Parmenſem Ducem propere allegat aulicum à ſecretis, cui mandatis aliquot inſtructo fidem haberi epiſtola ſua voluit. In mandatis poſtulata hæc erant. Primum ut Parmenſis edoceret, quam in partem ſubducendam eſſe claſſem in eo freto periclitantem exiſtimaret. ad hæc ut veniret ipſe, cum quo ſperaret omnia in promptu futura: aut certe Fleibotas minimum quadraginta militariter inſtructas expediret, quæ uti levia commodaque loco navigia, ſimilibus Anglorum navibus opponi queant. poſtremo ut, quoniam ex nautica plurium menſium annona, paucorum dierum ſupereſſet, eaque ſere corrupta; ſignificaret ipſe, unde in Belgio ſuppeditari regiæ claſſi poſſent hæc cibaria: nam advehere ab Hiſpania ſerum eſſe. Ad ea Parmenſis, ſibi quidem, reſpondit viſum ſemper fuiſſe, ante expeditionem de portu cogitare ſive in Belgio, ſive alibi, modo alicubi capiendo: idque ab ſe Regi ſignificatum. jam nihil ſupereſſe quod adderet, niſi ut è Regis mandato, atque in re præſenti Dux ipſe conſilium caperet. Quod ad adventum ſuum attineret, moram in ſe militeque ſuo tranſmiſſionis ac prælii capien-

*Margin notes:* & horum melior conditio. — *Bancos vocant.* — Sidonius Alexandrum conſulit: *Hieron. de Arzeo 5 Auguſti* — & annonam poſcit. *Filipotes* — *ſex menſes* — Reſpondet ad ea Alex.

2009 Ministerio de Cultura

pientiſſimo, nullam fore, modo patefacta, ſubmoto hoſtium obice, tranſmittendi via. Neque Fleibotas ſibi eſſe, uti Dux credere videbatur, armatas, & ad pugnandum inſtructas, ſed tantummodo tranſportando militi accommodatas, quamquam vel ſi militares illæ forent, tamen haud poſſe Batavorum navibus circa excubantibus eas opponi, ſine acceſſu hiſpanæ claſſis. Idque quo teſtatius eſſet, advocatis ad ſe Marchione Renthiaco maris Præfecto, ac præcipuis quibuſque navarchis, ſuper ea tranſmiſſione ſententiam exquiſiviſſe, ipſo coram aulico Sidonii Ducis: affirmatumque ab omnibus, ſatis ſuperque factura muneri ſuo ea navigia, ſi mari, & quidem tempeſtatibus non agitato, & hoſtibus non obſeſſo, deportarent exercitum. Denique annonam, de qua etiam perſcriptum fuerat ab Rege, Regiæ claſſi non defuturam. Hæc antequam reſponſa Sidonius acciperet, Vectem inſulam, vento æquiore quam hoſte, prætervectus, aderat in conſpectu Caleti. Ibi jactis anchoris, feſtinato ad Farneſium nuncio Georgio Manriquo, univerſæ claſſis Inſpectore, de adventu ſuo admonitum orat, ut ſecum poſtridie ante Gravelingam futuro, conjungere belgicas copias ultra non differat.

*Sidonius Alexandrum iterum ſollicitat.*

*Veedor.*

Iamque Alexander Brugis profectus erat Neoportum: in quem locum pleraſque naves per amnes, perque ductas alicubi foſſas, convenire juſſerat. Nam quæ Antverpiæ fabricabantur, quum ægre inde per Scaldim deduci poſſent in vicinum mare, hoſtium caſtellis Lilloo ac Lieſenſuco, fluvium utrinque claudentibus: ac Iuſtino Naſſavio Præfecto Zelandicæ oræ, Scaldim cum claſſe nuper ingreſſo; eas adverſo flumine Antverpia Gandavum impelli mandaverat, & Gandavo per alveum cataractæ Gandavenſis, Iſendicæ admoveri. Neque hinc in mare, quod poterat, deferri voluerat, metu Fliſſingani portus, ante quem tranſvehi neceſſe erat: ſed canali ad hanc rem Iſendica Sluſam extructo,

*Qui poſt mutatum aliquoties conſilium in educendis navibus,*

*Iuſtin. nothus fil. Princ. Orang.*

*Saxum Gandav.*



2009 Ministerio de Cultura

1588. ęto, ut è Sluſano portu ſe mari committerent, ac Fliſſingenſium ſecuræ Neoportum contenderent, primo deſignaverat. Sed poſtea veritus, ne non ſatis conſultum eſſet navibus, quamvis extra Fliſſingæ ictum retractis, ſiquidem Flandricum mare ad Oſtendam, ac Neoportum obſideri Hollandis poterat, & obſidendum Anglorum claſſe inaudierat: atque adeo iter Sluſa Neoportum infeſtum pariter futurum; mutato conſilio ſtatuerat, vitato mari, per interiora Belgii, viam navibus aperire. Itaque ingenti ſane opere, ac celeritate mirabili: (namque foſſoribus, quos ſecum ducturus erat in Angliam, abundabat, iiſque die ipſe noctuque imminebat) foſſam remorum velorumque capacem ab extructo jam Sluſæ canali Neoportum uſque perduxerat. In hunc igitur, atque in proximum Dunquerchæ portum navibus jam appulſis, univerſus navigationi deſtinatus exercitus convenit, imminutus ille quidem, quippe de eo plurimum detraxerat lues late graſſata, & multorum fuga. certe ex militia, quam ab Italia duxerat Blaſius Capiſuccus, tertias omnino duas interiiſſe dolet ad Regem poſtea ſcribens Alexander. Supplevit tamen aliunde, numeravitque navigaturos milites, viginti ſex millia peditum, præter equites mille. ex quibus quatuor erant Hiſpanorum millia, Germanorum novem, Wallonum octo, tria Italorum, Burgundorum mille, totidem Hibernorum Scotorumque. Porro ſupra numerum erat alacritas omnium, & cupido in Angliam trajiciendi. Multi, præſertim ex Hiſpanis, ſuam qualemcumq; ſupellectilem, & gregarios equulos vili vendiderant pretio, diuturnam in Anglia moram cogitantes, & meliora ſibi ex inſulæ opulentia promittentes. Ita diſpoſitis animatiſque militibus: ad eorumque ſalutarem opem additis è miſſione caſtrenſi Patribus Societatis quatuor ac viginti, conſcenſionem in naves Alexander imperavit. conſcenderuntque eo die ac ſequentis diei parte, Neoporti (facili ad littus

*denique novum per alveum,*

*eas Neoportum & Dunquercam adducit.*

*19 Aug.*

*& exercitum ſupplet*

*mire alacrem,*

*Ronzini*

*7 Aug.*

2009 Ministerio de Cultura

1588.

littus acceſſu navium, ſine ulla fere ſcapharum neceſſitate) homines circiter quatuordecim millia, preſſi adeo confertique, nam paucarum fretum horarum tranſmittendum erat, ut (ſicuti viros ego nobiles de ſe, deque commilitonibus ſuis dicentes audivi) injecti in eas rates, compoſitique viderentur homines, non aliter quam in frumentarias naves congeri ſaccos ſtiparique mos eſt: lætis tamen omnes, atque exultantibus animis vocibuſque, ſolvendi ſignum expectabant. Et biduo intra eas navium anguſtias expectaſſe, non levia ſane incommoda alacriter perferentes, iidem mihi narrare ſoliti ſunt. Nec minus Dunquerchæ, appulſus illuc poſtridie Alexander, pro reliquo exercitu, cum quo ipſe tranſmiſſurus erat, navigationem ordinabat; quum ſubito, primum ex Antonii Levæ Aſculani Principis, tum ex aliorum atque aliorum adventu cognoſcit inopinatum hiſpanæ claſſis infortunium.

ejus pars naves conſcendit Neoporti:

*Marchio Lantes & Io. Baptiſta Gottifredus Romani*

altera Dunquerchæ ad navigationem diſponitur.

Decreverat Sidonius claſſem Flandrico littori eatenus admovere, dum interpoſitus inter hoſtium naves, atque oram Flandricam, tegeret ipſe ſiniſter Farneſianas copias, ad dexteram è Dunquerca & Neoporto, verſus oſtium Thamiſis ſoluturas. Ergo quoniam in conſpectum Caleti jam aderat, jactis, uti dicebam, anchoris nuncium à Parmenſi de accinctis ad tranſmiſſionem Belgarum copiis expectabat, ut eo audito, Dunquercam, quantum per hoſtes licuiſſet, accederet. Sed tale conſilium exigua quidem res, ac plane ludicra, non diſtraxit modo, ſed infauſtum cladis principium claſſi fuit. Dracus, qui & ipſe in anchoris ſtabat inter Veſtem & Caletum, potius ne partem aliquam quietis Hiſpano ſineret, quam quod tantam inde peſtem erupturam animo caperet; naves octo ſeponit ex iis quæ hoſtium ictibus laceræ ac fatiſcentes, prælio habiles minus videbantur. Eas ceu ſenſum ultionis habituras, in Hiſpanos, à quibus plagas acceperant, armat. Multo nitro, ac præpingui bitumine, ſulphuratiſque

NAUFRAGIUM hiſp. claſſis:

*Horum multa ſcribit Alexand. ad Regem ex Relationibus Princip. Aſculani & aliorum*

Sidonius in anchoris expectat Alexandri nuncium:

10 *Aug.*

Interim Dracus naves aliquot ignibus armat,



2009 Ministerio de Cultura

1588. ratiſque ramorum faſcibus, atque aliis ignium alimentis abunde complet: impoſitis, qui eas regerent, nautarum audaciſſimis. Illi tanto ſecurius in hoſtilem claſſem euntes, quanto altius fraudem tegebat intempeſta nox; quum propius acceſſere, naves ſuccendunt, deſeruntque æſtui ventoque perferendas. At Hiſpani, ubi octona illa incendia, quaſi è mari repente nata, in ſe minaciter invehi conſpicantur, perculſi ſubito ſpectaculo: & , quoniam eorum multi in Antverpiana obſidione militaverant, rati non ſimplex illud incendium eſſe, ſed feralia intra eas machinas condi tonitrua fulminaque, quibus univerſa claſſis inevitabili ſtrage momento deleretur, Antverpianos ignes, Antverpianam peſtem, turbati conclamant. Tum vero ingens tota claſſe trepidatio, diſſonæque voces non unum idemque jubentium. Alii obviam malo celeriter eundum, & quid ludibrium illud flammarum occultaret, explorandum. Alii quidquid id eſſet, uncis atque harpagonibus ad littus, ubi ſe ſe innoxie frangeret, attrahendum. Plerique, vociferante in primis Serrano Centurione, Antverpienſium navium cladem experto, aperiendam potius flammis venientibus late viam inter naves: exitialemque dolum, quem gravido rates utero non dubie ferrent, quam longiſſime tranſmittendum. Nec cunctatus ultra Sidonius, attolli anchoras jubet, ſatius habens in Oceani aperta delatum, libere cum hoſte decernere, quam ignoto illi ardentium navium diſcrimini, dubio ſcilicet eventu, claſſem ignaviter objicere. Vix anchoras ſuſtulerant, anchorariis aliquarum navium rudentibus præ feſtinatione præciſis; quum crebreſcere furialem in modum tempeſtas cœpit: ſcindi conflictu nubium, diraque tractim luce conflagrare cælum: ſequi intumeſcentis modo, modo ſubſidentis pelagi ferales minæ: navium pleræque longius quam ad declinandum inane illud formidati incendii terriculum opus erat, in altum abduci vento- rum

*& in claſſem hiſp. immittit.*

*Terrentur Hiſpani memores Antverpienſium navium.*

*Matthæus Serran.*

*&. ſublatis anchoris perniciem declinaturos*

*atrox tempeſtas invadit:*

©2009 Ministerio de Cultura

1588.

rum vi: nonnullæ mutuo illiſu frangi, & vaſto in præceps hiatu ſorberi: aliæ Aquilone Cauroque perfurentibus, in Flandricæ oræ vada ſyrteſque compelli. ſimul agnoſcere Angli, adverſus Hiſpanorum potentiam ventos adeſſe ſibi commilitones, auxiliareſque. inde ab occaſione audaciores, raram diſſipatamque mari claſſem mane conſpicati, levibus ipſi navigiis adoriri. Nec animus inter hæc adverſa Hiſpano defuit. conglobatique Dux ipſe Sidonius, & Recaldus, & Hugo Moncada, & legionum Tribuni Pimentellus ac Toletanus, aliique nonnulli, tamdiu in aggreſſoribus repellendis ſtrenue laborarunt, dum recrudeſcens ventorum violentia iterum alios alio diſtraxit afflixitque. Navis longior Neapolitani agminis, excuſſo gubernaculo clauda mutilaque, ad Caletanum littus ejecta eſt: circumſeſſamque à magno navium numero, plano alveo per ea vada tuto meantium, defendit illam diu ingenti fortitudine Moncada Præfectus. ſed pila letaliter in fronte trajecto, peremptiſque ſecum ſociis, præda, & paucis claſſiariorum facile potiti Angli: navem, ejuſque tormenta Caletani portus Gubernator juris ſui fecit. Diſpari exitu Luſitanum Gaulum Toletani, (unum è quatuor in ea claſſe vaſtiſſimis) circa Fliſſingam, arenæ impactum Hollandorum claſſis invaſit: ac poſt acrem pugnam, multis jam ictibus fatiſcentem, Fliſſinganum in portum abduxit, ſalvo Toletano, & Hiſpanorum pleriſque ſcapha in terram appulſis: at non ſalvis, qui navem victores intraverant. nam dum ſe vino optimæ videlicet notæ in ea reperto avide ingurgitant, nulla cura exonerandæ ſentinæ multis in locis apertæ, ſupergreſſum mare navem homineſque momento hauſit. At Pimentellus ſimilem magnitudine indicam navem continenti undarum verberatione alliſuque jam fractam, quum horas ferme ſex, adverſus quinque ac viginti Hollandorum navigia, non ſine hoſtium admiratione & clade tenuiſ-

ac diſtrahit.

& Angli diſſipatos adoriuntur.

Pugnatur: *Hugo frater Marchionis Ayto*næ

*Galeazza Alexand. ad Regem 10 Aug.*

cæditur Moncada, & navis capitur.

*Car. Coloma lib. 1. & Gul. Camden. lib. 3. & alii. Reidan. lib. 8.*

Eadem ſors Toletani navis, ipſo tamen ſalvo, *Galeone*

victoribus & navi ſubmerſis.

Pimentellus, & navis

*Iidem fere & alii*



2009 Ministerio de Cultura

1588. tenuiſſet, demum pleriſque ſuorum coram ſe cadentibus ſuperſtes ipſe, ſe ſuæque qualiſcumque navis exuvias, cum aliquot nobilibus Hiſpanis, hoſti dedidit.

*Alex. ad Regem 10 Aug.* in manus hoſtium veniunt.

Alexander dolore ex jactura varie agitur.

Horum, aliorumque jactura cum ingenti mærore Alexander audita, vario curarum æſtu fluctuare, impotenti ſimilis, viſus eſt. Modo impetu abreptus compellere in naves milites, quos Dunquerchæ præſto eſſe mandaverat: modo evocare, ac Dunquercanis adjungere, qui Neoporti jam conſcenderant: tum indicere ſequentem diem, quo ſimul omnes ad quodcumque diſcrimen è portu ſolverent, adeo deliberate, ut Centurionem imperia detrectantem, ac pericula objicientem, manu ſua confodiſſe rumor fuerit. modo deſiſtens, reputare ſecum temeritatem ſuam, ſi illud veteranæ militiæ robur, florem illum Europæ nobilitatis, modicis adeo immunitiſque exceptum ratibus furenti Oceano committeret, excubantibus contra Hollandorum, Anglorumque claſſibus, nec expectato hiſpanæ claſſis, quæ viam communiret, acceſſu. Itaque juſſa contrariis juſſis abrumpens (quamquam ſolviſſe jam Hiſpanos Hibernoſque omnino mille pugnamque fortiter auſos, ad unum omnes periiſſe, ſunt qui ſcribant) ſuperſedendum ſibi putavit à conſcenſione Dunquerchæ ordinata. Immo & Neoporti in naves ingreſſis, biduoque intra ea vehicula conſiſtentibus, exſcenſionem imperavit, expectaturus certius aliquid de Sidonii conſilio. namque illum agitaſſe de reditu in Hiſpaniam, recens à claſſe nuncius afferebat. Et vero poſtquam Sidonius vidit, præcidi ſibi modum, copias ſuas cum Farneſianis conjungendi: nam nec ipſe admovere illuc claſſem poterat, quin arenoſos in Zelandiæ cumulos allideretur; (furente enim Cauro, uti tunc maxime perſurente enim Cauro, uti tunc maxime perſurebat, in ejus oræ vada breviaque compelluntur naves) nec Farneſio perſuadebatur, ut milites ſuos educeret, quamdiu Flandricum mare ab Anglorum Hollandorumque claſſibus obſeſ-

*Reidan. lib. 8.*

*Idem ibid.*

Sidonius cum ſuperſtite claſſe

2009 Ministerio de Cultura

obſeſſum non liberaretur, haud ultra tempeſta- 1588.
ti obluctaturus, nec in ſupremum objecturus exitium, quæ ſupererat, claſſem, Hiſpaniam repetendi conſilium cepit. Ergo directis in Septentrionalem Oceanum proris, ne ſe in Caleti anguſtias ac vada rurſus induerent, per Scotiam, perque Orcades, perque Hebrides, immenſo ſane marium tractu, univerſam Britanniam Hiberniamque circumvecti, haud facile dictu eſt (neque enim altum tenere nautis licebat, præſertim non ita locorum peritis) quam crebris horrendiſque tempeſtatibus, ac naufragiis, conflictati ſint. Ad Hiberniæ littora decem omnino naves ſolutis compagibus periere, ſubmerſo inter alios Alphonſo Leva, Siculorum triremium nobili ſtrenuoque Duce: capto Alphonſo Luzono, legionis Neapolitanæ magni animi Tribuno, atque in Angliam cum aliis multis ſatis hoſtiliter habitis, abducto. Humanius cum iis actum, quibus ad maritimas Scotiæ, atque Norvegiæ oras impulſis, liberum in Hiſpaniam iter præſtitum eſt. Michaël Ocquendus vix Cantabricum Sancti Sebaſtiani portum attigit: & Ioannes Martinius Recaldus portum Corunniæ nondum intraverat, quum uterque ex laboribus, ac mœrore, non levi jactura hiſpanicæ militiæ, interiere. Medinæ Sidoniæ Dux ad Sanctandreanum veteris Caſtellæ portum appulſus cum paucis navibus, iiſque ſauciis mutilatiſque, & velut in magno naufragio collectis male cohærentibus tabulis, ut erat animo æger pariter & corpore, domum, permiſſu Regis, curationis cauſa conceſſit. Omnium porro inire cenſum amiſſarum navium hominumque haud ſperaverim, quum eos, qui interfuere, abſurde variantes, & quaſi ejuſdem vi tempeſtatis in diverſa diſtractos, animadvertam. Ex univerſa centum ac triginta quinque navium claſſe, (præter onerarias) duas & triginta aut captas ab hoſte, aut tempeſtate ſubmerſas. ex hominibus viginti octo millibus ac ducentis nonaginta,

In hiſpaniam iter inſtituit:

crebris conflictatus naufragiis, ac jacturis ſuorum; præſertim

Levæ,

Luzoni,

*Legio Hiſpanorum ex præſidiis regni Neapolitani*

Ocquendi,

Recaldi,

Ipſe æger domum abit.

Numerus amiſſarum navium hominumque.



2009 Ministerio de Cultura

1588. deſideratos decem circiter millia partim in pugna cæſos, alios ab Anglis, aut ab Hollandis, captos, non paucos morbo aſſumptos, memorant hiſpani ſcriptores. Angli vero, Hollandique, immodice diſcrepantes, vix decem hominum millia ſuperfuiſſe cladi: duodeviginti millia deſideratos: naves fere octoginta varie amiſſas, in Hiſpaniam ne ſexaginta quidem reverſas affirmant. Sed imminuerint jacturam, ut libet, auxerintve ſcriptores, cladem certe magnam pronunciavit Hiſpania, dum publico involuta luctu, retrahenda Regis edicto fuit: utque olim Romæ, poſt infelix Cannenſe prœlium, ſenatus conſulto, intra triginta dies contracta eſt comploratio; ita imponi per Hiſpaniam oportuit aliquem juſtitii modum atratis lugentium familiis. Vnum ea tempeſtas, quæ cælum ac mare permiſcuit, Regis hiſpani pectus adeo non perculit, ut ne acceſſiſſe quidem ad illud viſa ſit. Rem mihi certo exploratam hic agnoſcere, noſtræ ætatis intererit; ne magna exempla è priſcis ſemper annalibus repetamus: quaſi vero præclara quæque facere, dos temporum ſit non perſonarum. Advenerat in aulam ſtatim ab accepta clade nuncius prægreſſus redeuntem claſſem, quum ante Regis cubiculum inambulantes Chriſtophorus de Mora, & Ioannes Idiaqueſius, veteres aulici, carique ante alios animo Principis, nuncium ſubito circumſiſtunt, quid apportet, anxie ſciſcitantes. auditaque hominum naviumque jactura, conſternatis, & uter eorum Regi cladem aperiret ambigentibus, ſumit eas Mora in ſe partes, facile concedente Idiaqueſio. ingreſſuſque cubiculum, Regem litteras ſcribentem reperit. interrogatuſque, quid eſſet novi, non ſatis proſpera afferri de claſſe quum reſpondiſſet, inducitur nuncius, ex quo clade prolixius audita, ſtante Rex vultu, *Ego vero*, inquit, *ago ex animo gratias Divinæ Majeſtati, cujus à liberali manu tantum potentiæ viriumque circumdatum mihi video, ut aliam rurſus in mare claſſem educere non dubie poſſim*.

*Ant. Herrera lib. 4 hiſtor. & alii*
*18 mil.*

In publico Hiſpaniæ luctu,

*Ex relatione Chriſtophori de Mora*

*Mora poſtea Luſitaniæ Prorex*

Regis hiſpani voces,

2009 Ministerio de Cultura

*poſſim. Neque multum referre arbitror, quod aqua decurrens aliquando intercipiatur, dummodo fons ex quo fluxerit, ſalvus ſit.* His dictis, calamum reſumit, & eadem, qua cœperat, tranquillitate vultus ad ſcribendum redit. Enimvero hæſit Mora attonito ſimilis ad eum aſpectum, reverſuſque ad Idiaqueſium ſollicite expectantem, exquirentemque, quo mœroris ſenſu Rex plagam accepiſſet, ſubridens, *Rex*, inquit, *totum hoc infortunium nihili facit, nec ego pluris quam ipſe.* Tum quæ audierat, videratque, magna utriuſque admiratione denarravit. Scio reſponſum hoc Regis viſum fuiſſe nonnullis ſtoicæ cujuſdam indolentiæ imitamentum: cujuſmodi ſpeciem Philippus adamare ſolitus videbatur, veluti rebus humanis altius impoſitus, ab iiſque, quæ mortales vexant, infortuniis inacceſſus. Verum hanc ipſam firmitudinem mentis, vel in ſpeciem ut libet inconcuſſæ, tam facile præſeferre; tantumque imperare animo ſuo potuiſſe, ut in maxima clade, in tanto opum impendio, in ſumma ſuorum conſternatione, æmulorum lætitia, hoſtium triumpho; nihil inde in ſe motum, turbatumque nihil, ſeu verbis ſeu fronte protulerit; profecto aut ſolide armatum fuiſſe oportuit animum illum, ex quo, tela tam valide conjecta, nullo vulnere inflicto, reſilirent: aut nimis quam potentem, arbitrumque ſui, qui quos vellet affectus, æque vultu promeret, ac ſub præcordiis premeret, nulli quantumvis repentinæ malorum aggreſſioni ſubjectus, nuſquam imparatus. Certe Octavianum Cæſarem, ad nuncium Varianæ cladis, adeo conſternatum legimus, ut per continuos menſes barba capilloque ſubmiſſo, caput interdum foribus illideret: reddique ſibi cæſas jam legiones mora videlicet mente, vociferaretur. Quum Rex hiſpanus, quo die certior de clade eſt factus, quinquaginta auri millia ad ſauciorum, & egentium militum, nautarumque curationem, ac ſolatium, attribuerit. compoſitaque, quæ nunc extat, epiſtola ad ſacros per

1588.

factumque.

Aulicorum ſuper his admiratio:

& aliorum varia interpretatio:

quæ non imminuit conſtantiam Regis,

cum Cæſaris facto comparatam. *Suet. in vita*

Largitio ejuſdem in reduces.

ac pietas in Deum,



2009 Ministerio de Cultura

1588. Hiſpaniam Antiſtites, eos cohortatus ſit, ad grates Divino Numini, ſolenni ad aram ſacrificio perſolvendas, ob eam, quam ejus bonitati ſervare viſum erat, claſſis partem. Vt glorioſior profecto Philippus fuerit ab hac conſtantia, quam fuiſſet ab Anglicana victoria: quando illam ſui demum milites ei peperiſſent, hanc ipſe ſibi lauream dux & miles impoſuit.

*Elogium ei debitum:*

*Reginæ Angliæ triumphus;*

At longe diverſa per Angliam, perque fœderatas provincias, rerum facies erat, tanto effuſiore ubique lætitia, quanto ſe periculo propiores intellexerant. Regina triumphali curru inter vexilla devictorum hoſtium ad templum vecta ſuſpendiſſe dicitur Hiſpanorum ſpolia, actis ſimul gratiis ob rem proſpere geſtam propitio, ut ſibi videbatur, præſentique Deo: quem tamen dum maxime amicum ſibi perſuadere voluit, tunc maxime iratum habuit, permiſſa videlicet abuti proſpero illo ſucceſſu ad hæreſim ſtabiliendam, cujus ab ſe regnoque ſuo jugum, per ipſam cladem excuſſiſſe poterat, magno ſuo, ſuorumque bono victa. præſertim quum in hac quantacumque victoria, neque magnam Angli gloriandi materiam venti tempeſtateſque reliquiſſent: neque ideo ſe magis pios venditare potuerint, quia fortunatiores fuere. niſi forte Saracenorum, Turcarumque perfidiam Chriſtianæ Religioni præhabendam putarent, quod collectas multo Chriſtianorum apparatu vires illi tam ſæpe ſecundis præliis profligaverint.

DE

2009 Ministerio de Cultura

1588.

# DE BELLO BELGICO DECADIS SECUNDÆ

## LIBER DECIMUS.

IAM vero Parmenſem Ducem, etſi audito diſſipatæ claſſis infortunio, ingens mœror excepit, præciſa ſibi occaſione deportandi in Angliam belgici exercitus, penes quem inſulæ invadendæ onus, & devictæ decus, futurum erat; haud tamen minus angebat hominis animum erepta ſimul ſpes, quam avide conceperat, poſt Britannicam expeditionem, fœderatas, quæ ſupererant in Belgio, provincias, illo victricis adjumento claſſis, aliquando debellandi. Acceſſit & alia privatim cura à ſiniſtro rumore, quo aſpergi ſe parte aliqua culpæ ob eam cladem paſſim audiebat. Is primum rumor emanavit, ſicuti comperio, ab eorum nonnullis, qui miſſi ab Duce Sidonio ad ſollicitandum Farneſium, obſervantes Belgarum navigia nec tormentis armata, nec è portu ſolutura, uti videbatur, niſi poſt multos dies ad conſcenſionem videlicet inſumendos; quæ viderant, Sidonio retulere. inde per claſſem indignatio, ac poſtea è reverſis in Hiſpaniam claſſiariis, de ſucceſſu multa dum narrant, non defuere, qui affirmarent, (ut invidiæ onus in alios deponere uſitatum eſt: & MORTUI partus nulla ſe matrem libenter agnoſcit) incuria Parmenſis Ducis effectum eſſe, ut Belgarum exercitus opportune deportari, jungique ad Hiſpanorum naves nequiverit. quod ſi, uti Sidonius urgebat, juncti

Alexandri dolor ex amiſſa occaſione Anglicæ victoriæ:

& ex erepta ſpe belgii citius debellandi:

& ex ſiniſtro de ſe rumore.

Primi ſparſere illum in claſſe:

poſtea in hiſpania:



2009 Ministerio de Cultura

1588. junɛti eſſent, victoriam in manu futuram procul dubio fuiſſe. De hujuſmodi querelis, multis in urbibus, perque aulas principum virorum varie diſſeri perfertur ad Alexandrum. Præcipue vero litteris Octavii Lalattæ, qui erat ei à negotiis per Inſubriam, admonetur, multa Mediolani, inque aula Terranovæ Ducis, provinciæ Præfecti, de ſucceſſu claſſis, non ſine Parmenſis aliqua ſugillatione diſceptari: motumque inde Pyrrhum Marchionem Malvetium non omiſiſſe cum Gubernatore conqueri, quod ejus in domo pauci aliquot homines prælicenter adeo de tanto Principe obloquerentur. Præterea in Mediolanenſi arce mire altercatos ea ſuper re nobiles aliquot Italos, Hiſpanoſque: atque his ad extremum ratione adactis, ut faterentur, culpam alio transferendam, præſertim in Hiſpaniæ conſilium, à quo de portu, in quem ſe reciperet claſſis, præcautum non fuiſſet; ceſſatum à contentione aliquantiſper eſſe. ſed rurſum ſermones alios, non quidem ita palam, at indignius audiri cœptos. Quippe in ſecretioribus aliquorum litteris ſignificari, Farneſium dubiæ in ea expeditione fidei viſum multis fuiſſe, quaſi cum Angliæ Regina colluderet: ac magna animo volveret, quæ ſub ipſum Philippi Regis exceſſum, tanto fretus exercitu, perficeret: ideoque bellum, quod profligare poſſet, in eam opportunitatem attemperate protrahere. His adhuc graviora Parmenſi aperit ab Vrbe Roma patruus Cardinalis. Nam legiſſe ſe ſcribit in arcanis è Gallia relationibus, deliberatum fuiſſe, amovere illum è Belgio, atque in Hiſpaniam ea in navi deducere, quam conſcenſurus erat, ut in Angliam trajiceret: eodemque tempore Rodericum de Silva Paſtranæ Ducem Belgio Gubernatorem imponere. ſed re detecta, trajectionem variis ab eo nominibus eluſam eſſe. Additque, Venetiis ſibi ſignificatum, proximum Philippi Regis morbum, quamvis vulgo ignoratum, tamen haud procul à ſupremis fuiſſe: (more videlicet Princi-

Margin notes: iudealibi. — Admonetur Alexander de ſe ſiniſtre diſſeri, 15 *Octob.* in Inſubria, — *& in aliis ejuſdem litteris* — *Alexand. Farneſ. Cardinal.* in Gallia, — Venetiis,

2009 Ministerio de Cultura

Principum, in quorum ægritudines non penetratur, niſi aut poſtquam convaluere, aut dum efferuntur.) inde ſollicitudinem hiſpana in aula multis injectam, ne decedente Rege, Belgium turbaretur. Parmenſis Ducis potentiam exceſſiſſe miniſtri modum: cinctum illum magnis exercitibus veteranis, victoribus, obſequentibus: Europæ nobilitatem belgicis in caſtris collectam ab unius pendere nutu: & adeſſe illi imperatorias artes, quibus nobilitatem juxta, ac multitudinem regat; hoſtibus ipſis nihil in eo diſplicere, præter hiſpani Gubernatoris nomen. quod ſi iſti ab accerſendis ſibi Dominis nunc è Germania, nunc è Gallia, modo ex Anglia feſſi jam, atque externorum pertæſi, oculos conjiciant in Parmenſem Ducem, eumque ob belgam matrem, avumque belgam, belgici ſanguinis Principem conſiderent, quanta eum moderatione futurum, ut oblatum ſibi principatum, quem pro amiſſo Luſitaniæ regno computare poſſit, recuſandum putet? Itaque in Hiſpania decretum, non expectato Philippi Regis fine, antevertendum occaſioni: dumque integra & Regis auctoritas, & Parmenſis in avunculum reverentia, mature illum Belgio ſubtrahendum. Hæc ſcribens Farneſius Cardinalis adjungit, ſe ea ſecurius enarraſſe, quod æſtimatis & loco unde provenirent, & rerum ipſa repugnantia; intelligeret, meras eſſe fabulas, & commenta eorum, quibus ægre ſit, Belgium Principi ſuo reſtitui: id quod, niſi Parmenſis inde amoveatur, brevi futurum timeant. Et vero rem tetigiſſe Cardinalem, legatus Mendoza demonſtravit, ipſa famæ origine plane comperta. ſic enim ille Parmenſi ſcribit. *Nobiles Anglos, qui cum Eliſabethæ Reginæ legato Pariſios venerant, in multorum aures inſuſurraſſe, Parmenſem Ducem ex compoſito nihil moviſſe adverſus Angliæ Reginam, nec in poſterum quidquam moturum. addere vero ipſum Angliæ legatum, conſtare ſibi, Philippum Regem decreviſſe Farneſium è Belgio removere: atque in hujus decreti arcanum hoc modo*

1588.

in hiſpana aula.

in qua multus ſermo de nimia Alex. potentia.

*Matthias, & Alenconius & Leiceſt.*

*Margarita Auſtriaca Parmenſ. Dux, Carol. V Imperat.*

Cardinalis Farneſii de his judicium.

Et legati Mendozæ litteræ.

*Apud Reg. Gall. 30 Aug.*



2009 Ministerio de Cultura

1588. *penetratum eſſe. In navi, quæ captiva in Angliam prima eſt abducta, repertum eſſe faſciculum litterarum, quibus ad Reginam allatis, illam in unis earum legiſſe, ſcriptum mandatumque ab Rege, ut quum primum Dux Parmenſis navem conſcendiſſet in Angliam trajecturus, illico per Belgium renunciaretur provinciarum Gubernator Paſtranæ Dux, idque Parmenſi à Regina præfeſtinato nuncio indicatum.* Atque ex his omnibus, quæ hactenus multis è locis, ne quid omitterem retuli, totam redordiri ſeriem ſermonum de Parmenſi Duce: originemque ac proceſſum, compoſitumque quaſi fabulæ corpus æſtimare licet. Non ſubmiſſam à Farneſio ſuorum militum opem, quam Sidonius expoſcebat, Hiſpanorum aliqui culpæ ei verterunt, ut imprompto imparatoque. idque & eorum captivi in Anglia, & ſimul in Hiſpania multi jactarunt: & in alias quoque terras pertulit fama. Nec deerant, qui crederent. Quod tamen quia profectum à Parmenſis indiligentia deſidiaque ſibi perſuadere non poſſent, qui virum præfervidum ac belli fulmen noverant; aliam ſubeſſe cauſam huic qualicumque culpæ interpretati ſunt. Et vacuum hunc, expoſitumque interpretantibus locum primi occupavere Angli: qui ab Regina in Belgium de pace miſſi ad Alexandrum, Caleti in reditu cum loci Gubernatore diſſerentes de trimeſtri irritoque Burburgenſi congreſſu, (ne nihil effeciſſe viderentur) affirmarunt, opera quidem ſua perſuaſam fuiſſe Parmenſi cum Regina concordiam, eamque fuiſſe procul dubio ſecuturam, ſi non Hiſpanus deliberato pridem conſilio bellum maluiſſet. Quum vero iidem poſtea cognovere, ſecutis in britannico freto claſſium certaminibus, Parmenſem ſuis cum Belgis non interfuiſſe, omiſſionem illam auxilii, quam Hiſpani in Anglia captivi tarditatem Farneſii incuſabant, ipſi in tacitam ejus cum Regina conſenſionem, quaſi operæ ſuæ pretium, retulerunt. idque Angliæ legatus Pariſiis confirmavit, addiditque commentum illud regiarum litte-

Horum omnium origo, progreſſuſque.

*Ex a legat. Mendoz. ad Alex.*

*Angli Deputati*

©2009 Ministerio de Cultura

litterarum, quarum metu trajectionem in Angliam Parmenſis interturbaſſet. Quod ſane commentum ab Angliæ Regina profectum diſponendo Parmenſis animo ad quod parabatur invitamentum, mox ſubjiciam. Hi porro ab Anglis rumores, qui quo avidius arriperentur, occultius ſpargebantur, in Hiſpaniam delati, peperere quos dicebam ſermones aliquorum, qui ſive publica de re ſolliciti, ſive Alexandri gloriæ infenſi, nimiam ejus potentiam è Belgio removendam, ante Regis obitum, in aula differebant: eademque in alias provincias, ſed novis ſuſpicionibus aucta, nempe ex conſueta interpretandi licentia, pervulgarunt. Ex quibus denique fontibus fluxere illa, quæ dein Venetiis, Roma, atque aliis è locis in hanc ſententiam perlata paulo ante memoravimus: pronis ad talia ſcilicet ſcribenda pleriſque eorum, qui quæ atrociora, & ſecretiora ſunt, ea uti veriora, in lucem ſe proferre gloriantur, neglectis quæ expoſita & in medio patent: furum effractorumque perſimiles, aperta prætereuntium, obſignata atque abſtruſa rimantium. Sed Alexandrum tam multis litterarum ſpiculis appetitum parum inde motum, parumque de hujuſmodi ſuſpicionibus amoliendis ſollicitum, ego quidem in ejus ad Regem regioſque miniſtros litteris obſervare me memini. Credo, quod Regis animi certus, apud alios defenſionem dedignaretur: nec ignoraret, ALIQVA contemptu melius refelli. & moles hujuſmodi nullo fundamento ſurgentes, quo in majus excreſcunt, eo per ſe ſe pronius nemine impellente corruere. Solum in eo, quo carpi ſe primum ſenſerat, tanquam expeditioni promptas non habuerit naves, haud omiſit pauca dicere, & quidem oblique, ac non turbate, nec anxie. Namque in epiſtola, qua Regem conſolatur ob claſſis infortunium Chriſtianæ Reipublicæ, cui arma illa militabant, communiter dolendum; ſibi eo præterea nomine deplorandum ſcribit, quod poſt ſuſceptos tam multos multorumque men-

1588.

Alexander his ſermonibus parum motus,

ſolum de navibus ac militibus tanquam ad expeditionem imparatis, ſic ad Regem ſcribit. 29 *Aug.*

2009 Ministerio de Cultura

1588. menſium labores, aggredi ad deſtinata, & egregiam, ſi unquam alias, ejus Majeſtati navare operam non licuerit: præſertim quum mire alacres, atque accinctos navigationi milites haberet. quorum alii conſcenſis jam navibus Neoporti, avidiſſime ſignum expectarent: alii Dunquerchæ non quidem naves ingreſſi, ſed ad nuncium, liberi ab hoſte maris tam facile conſcenſuri eſſent, quam conſcendiſſent Neoporti: ubi die vix amplius uno, homines quatuordecim millia in navibus diſtribuerit. In quo deceptos fuiſſe, qui conſideratis Dunquerchæ navibus, non ad pugnam armatis, nec ingreſſo milite ad navigandum expeditis, imparatum videlicet itineri belgicum exercitum evulgarunt. quum tamen & ante trajiciendi opportunitatem ſtipati in navibus milites contineri fruſtra, eorumque cum detrimento, non debuerint, ut ipſe Neoporti expertus erat: & quotieſcumque ſolvendi neceſſitas nunciaretur, compelli tunc milites in naves facile poſſe, conſcenſio ad Neoportum oſtendiſſet. Neque oportuiſſe, naves, quæ ſolum ad deportandum exercitum armis hiſpanæ claſſis jam ſecurum deſtinarentur, forma alia fabricari, aut inſtrui tormentis bellicis, ac reliquis prœliaribus armamentis: aucto interim ſine cauſa ſumptu, qui propterea inſtructæ in Hiſpania claſſi prælarge impenſus fuerat, ut ad inermium tutelam navium belgicarum is ſatis eſſet. Sic enim diviſas fuiſſe partes, inter maritimum Hiſpanorum, ac terreſtrem Belgarum, exercitus: ut hic è portubus ante non ſolveret, quam ille tutum ab hoſtibus mare ad oſtium uſque Thamiſis præſtitiſſet: ſicuti Majeſtas ejus ex ſuarum litterarum exemplis, quæ mittebantur, recognoſcere id poterat. (quo certius enim ſua Regi mandata ad memoriam revocaret, miſit ad eum Alexander exempla litterarum, quibus hæc ipſa munerum diviſio cum Sanctacrucio primum, poſtea cum Sidonio accurate ſervanda præſcribebatur.) Quum vero,

©2009 Ministerio de Cultura

vero, ſubdit Alexander, regiæ claſſi nunquam licuerit, hanc belgicis copiis trajectionem aſſerere: inſuper autem circa Neoportum, atque Dunquercam, Hollandorum Anglorumque perſtarent claſſes, in ſoluturos è Flandriæ portubus intentæ; profecto non debuiſſe ſe in depoſcendis periculis alioqui non ſegnem, tantum lectiſſimorum militum, tot veteranorum legiones, fragilibus adeo navigiis impoſitos certum in diſcrimen dare. Itaque non dubitare ſe, in eo britannicæ expeditionis negotio, quin & Majeſtatis ejus imperio, & ſuo Ducis officio ſatisfecerit. Ad hæc autem quid reſponſi ab Rege datum, quove ſenſu ab eo accepta, quæ de Parmenſi Duce circumferebantur, mox alia complexus opportunius expediam. Nam ſecutum eſt aliquid ſub hoſce dies, quod dum novas ſuſpiciones cumulando, pluribus fabulam implicare nexibus videbatur, ad nodi caput attingendum certius aperuit viam. Rem ego, uti ex litterarum cum exemplis tum authographis legi, paucis evolvam.

1588.

Reſponſum Regis paulo poſt additur.

Originale

Agebat cum Centurione Baroccio bellicorum operum architecto, de obſidione Bergarum ad Somam, ſuo ſub tentorio Alexander: quum ingreſſus illuc Præſes Richardottus, advenisse ait Antverpia Genuenſem nomine Ioannem Iacobum Fliſcum cum litteris ab Anglia, quas quia gratas ejus Celſitudini futuras affirmaret, admitti cupiebat. Admiſſus, Baroccio coram & Richardotto, litteras offert. aperit Alexander: nomen, uti aſſolet, ſcriptum in calce nullum videt. converſuſque ad Fliſcum, *Qua tu fiducia*, inquit, *hoc genus ad me litterarum? Quia*, is ſubdidit, *qui eas ab Anglia ſcripſit Horatius Palavicinus, peculiari mihi epiſtola ſignificavit, ne vererer, litteras ſuas, quamvis anonymas dare. negotium in iis contineri, quod & Parmenſi Duci perquam acceptum, & mihi perutile futurum eſſet.* Redit ad litteras: interque legendum, mutari aſpectu, ac ſubinde ſubſiſtere conſpiciebatur: donec ad finem uſque perlectas ex-

DE ALEX. invitato ad Belgii principatum.

*Ingegnere*

Litteras anonymas cum ſtomacho legit.

31 Aug.

2009 Ministerio de Cultura

1588. excandeſcens ira projicit ad terram. O ſceleſtum! exclamans, ô impudentem! mox efferveſcente acrius ſanguine, ſurgit impetu è ſella, ſtrictoque pugione Fliſcum arripit, haud dubie jugulaturus. Sed apud ſe reputans, ſatius fore, hominem ſervari, ut ex eo quæſtioni ſubjecto, rei ſeries eliceretur, abſtinuit: addiditque minaci vultu; *Si coram me Pallavicinum hic haberem, cui præſens reſpondere poſſem, reſponſum profecto darem, quale ipſe commeritus eſt. & te, ſi gnarum negotii crederem, quod hiſce litteris includitur, illico ad ſupplicium rapi juberem.* Tum regreſſus ad eas iterum legendas, quum, nihil reſidente ira, ii, qui adſtabant, attoniti ignarique quid tandem illud eſſet, placare utcumque animum ejus, ſedareque pauliſper attentarent; litteras ipſas utrique inſpiciendas tradit, quo intelligerent, an ſibi ſatis cauſæ foret excandeſcendi. Earum hæc erat ferme ſententia. *Quoniam ex Hiſpanis in Anglia captivis cognitum ſit, Proceres regiæ claſſis de ejus Celſitudine conqueri: ac pro certo habeatur, illos acerrime depoſituros hujuſmodi querelas apud Regem; propterea intereſſe plurimum, ut ejus Celſitudo apud ſe ſedulo reputet, quales demum motus in aula Regis iidem concitaturi ſint ex hujuſce cladis occaſione, atque adeo quanta inde jactura propriæ exiſtimationis, commodorumque ſit ei proventura. Itaque ſi, ſublimes inter cogitationes ſuas, ipſa ſecum expenderit hunc rerum ſtatum, ſeque præſentibus accommodaverit, ea nempe audiendo admittendoque media, quæ conducibilia viſa fuerint; dubitandum profecto non eſſe, quin condicta conſiliorum communicatione congreſſuque, via iniri queat aliqua, unde effectus exiſtant, quos præſens opportunitas in manus tradit. Hunc autem congreſſum Bononiæ in Gallia haberi commode poſſe. In quem locum, ſi ejus Celſitudini videbitur aliquem deſtinare mentis ſuæ conſcium atque interpretem, conventurum illuc harum ſcriptorem litterarum, aut ejus loco alium rei gnarum fidumque. Quod ſi tam fortunate ſibi contigerit, ut ejus Celſitudini perſuadeat, quanto plura in Belgarum provinciis ſperare poſſit ali-*

Excandeſcit in latorem earum:

acrius in authorem.

Legendas præſentibus præbet.

2009 Ministerio de Cultura.

*aliunde, quam à Philippi Regis manu, mirifice* 1588.
*gaviſurum ſe, quod hac ſignificatione, quantum ejus celſitudini cupiat, aperuerit.* Lectis cum ſtomacho itaque litteris, juſſit Alexander amoveri Fliſcum, & quæſtione adhibita rem ab eo excuti.

Litteras & quæſtionem de earum latore.

Quin & Richardottum, Barocciumque, quæ legerint audierintque; judicio atteſtari voluit, tum cognitionem omnem jure habitam in bellico tribunali à generali judicialium cauſarum Quæſitore, ac litteras ipſas ad ſe atque ad Fliſcum ab Anglia perſcriptas properato miſit ad Regem.

*Ferdinandus Salinas 29 Septemb.* ad Regem mittit:

adjecitque in eadem, qua hæc mittebat, epiſtola: Peracta à ſe quam celeriter hæc omnia, quod ſciret in hujuſmodi cauſis non licere homini honeſto, ſuique ſimili paulum interquieſcere, aut per incuriam quidquam omittere, quod Principi protinus non aperiat.

DE HORATIO Pallavicino:

Ipſe interea animo ſecum evolvere, quæ mens, quodve conſilium, aut quæ ſpes Pallavicino fuerit, ad tantum facinoris pertentandum. Degebat hic à multis jam annis in Anglia, priſcæ inter ſuos nobilitatis: atque opum copia per inſulam notiſſimum nomen. Inde ei gratia apud Reginam, quæ pecunioſi hominis auro ad ſubita quæque liberaliter utebatur.

Gratia ejus apud Reginam ob ſubſidium ei præbere ſolitum.

Et ipſe libentius ſubminiſtrabat hæc arma, quoties in Hiſpanos, quos apprime oderat, inferenda eſſent. Ante annos ferme ſeptem, obſidionem Cameracenſem, qua premebat urbem Princeps Alexander, ſolvit Dux Alenconius, 1581.
grandi pecunia, quam à Regina Eliſabetha acceperat, & hæc à Pallavicino. Quinque poſt annis, Henrico Navarræo Regi, adverſum Guiſianos, diuturnum Regina ſubſidium è Pallavicini gaza ſuppeditavit.

præſertim contra hiſpanos. *Guliel. Camden. in Eliſabetha*

Nec poſt multo, ad exercitum in Germania pro eodem Navarræo, ſed Reginæ pecunia, colligendum, vim auri magnam eundem contuliſſe compertum eſt. Quin hoc navalis belli tempore, inter alios Angliæ Proceres, ipſe quoque operam ſuam Reginæ obtulit adverſus Hiſpanorum claſſem, atque ære ſuo naves in prælium eduxit. Ex quo conjici

Hinc conjectura, ſubmiſſum illum

2009 Ministerio de Cultura

1588. jici non abſurde poteſt audax illud invitamentum, quo is Parmenſem Ducem eſt aggreſſus, ab Angliæ Regina fuiſſe, uſa eo ſcilicet miniſtro, quem ſciret Hiſpanis infenſum, atque adeo partes ejuſmodi impigre acturum. Immo veriſimile duxerim, figmentum illud litterarum, quas ipſa tanquam in navibus repertas cum Alexandro communicaſſe dicebatur, huc videlicet ſpectaſſe, ut ad ejus rei qualemcumque famam, abalienatum per hæc ab Rege Alexandri animum, facilius ad quod mox invitaretur, attraheret. Id porro ſi ex voto proveniret, Farneſiuſque Belgio potiretur (quod ſucceſſurum Regina ſibi perſuadebat ob Ducis felicitatem, militumque in eum ſtudia & populorum benevolentiam) quantum adempturam ſe & Hiſpano dominationis, & ſibi à vicino præpotenteque Rege ſollicitudinis? Quod ſi Parmenſis oblatam novi imperii occaſionem obſtinatius averſaretur, non ideo tamen nihil actum eſſe. ſperabat enim ad nuncium vel rejecti Principatus, alte feriendum Hiſpani Regis animum, & laudaturum fortaſſe præſentem Alexandri fidem, ſed ſimul de fidei conſtantia dubitaturum: atque adeo acturum cum eo exinde cautius, ſubſidiis ab Hiſpania parcius ſubmiſſis, extenuataque in Belgii adminiſtratione potentia. Quas ille artes ſi multis ante annis in Auſtriacum fratrem, ob vanum plane rumuſculum oblatæ belgicæ dominationis, inclementer exercuit; an omiſſurum in præſentia, ne eaſdem artes in ſororis filium tam aperte ad aſſerendas ſibi provincias incitatum, ſenior jam, atque in dies ſuſpicioſior, imperiique tenacior, non adhibeat? Hanc porro authoritatis ac potentiæ detractionem, tanquam diffidentiæ argumentum tanto Parmenſem Ducem gravius paſſurum, quanto, ob recens fidei ſuæ meritum, majora utique ſigna confidentiæ, & caritatis ab avunculo expectaverit. quibus fraudatum aut non diu retenturum, quam fruſtra habitam videat neglectamque modeſtiam: aut è provincia, cui decore jam præ- eſſe

*Margin notes:* fuiſſe à Regina ad pertentandum Alexandrum, antea diſpoſitum rumore de litteris in claſſe repertis. — Reginæ ratiocinatio, ad Alexandrum aut imponendum Belgio, — Rex hiſp. — aut è Belgio denique removendum.

2009 Ministerio de Cultura

eſſe non liceat, facili ad veniam Rege, diſceſſurum. Remoto autem inde Farneſio, quem unum, fatalem expugnando Belgio Imperatorem, Fœderati ipſi dictitent, reſumpturas haud dubie provincias, ad excutiendum è cervicibus jugum, priſtinos animos vireſque: atque adeo novis ex integro renaſcentibus bellis, nimiam Hiſpanorum potentiam, nuſquam reperto aut curarum, aut impendiorum fine, paulatim attritum iri. Sic Angliæ Regina ſperaſſe credita eſt, Vtcumque ea oblati Belgii tentatio demum cederet, ſe certe telo ancipiti armatam, grave hiſpano Regi vulnus inflicturam. Sed caſſo nempe ictu vibratum eſt telum. Nam ex una parte, immotus ad eam aggreſſionem Farneſius, uſque adeo fœdum abominatus eſt facinus, ut hominis audaciam animo reputans, ac deliberabundus, an ſimulato pauliſper aſſenſu, admiſſoque Bononiæ colloquio, inde captum ad ſe adduci juberet; abjecerit illico ejuſmodi cogitationem, quaſi illam proditoris perſonam vel ad paucos dies induere, indignum enimvero ſe vitaque ſua, &, ut ad Regem ſcripſit, culpæ pene proximum exiſtimaverit. præſertim, ut ad eumdem addidit, quod Bononienſis colloquii ſpecies apud ignaros quid ſub ea lateret, ſiniſtris utique interpretationibus eſſet obnoxia. Ex altera parte Rex, perſpecta Alexandri fide conſtantiaque, tanto eum carius amavit: teſtatus id ad eum epiſtola, quam ego iiſdem, quibus ab Rege ſcripta eſt verbis, latine hic reddere opportunum duxi. ea ab Hiſpano ſic habet. *Litteras manu tua exaratas III Kal. Octobris, ego Idibus hujus menſis accepi. Quæ abs te in eis ſcribuntur, luculenter oſtendunt candorem pectoris tui, ex quo illa proveniunt. Profecto audacia, quam mihi narras, magna fuit, ac modis uſurpata perquam indignis, ſed ejus nimirum propriis, unde illa eſt, Hominem ludificatum capere, haud ab re fuiſſet, cauſam tamen, ob quam abſtinueris, laudo. Quamquam non erat, quod tu propterea de ſiniſtra tui fama vererers. In quo ipſe verba non inſumam,*

1588.

Neutrum conficit, ſtante Alexandri fide;

29 Septemb.

Et aucta in illum Regis benevolentia

17 Octob. his litteris oſtenſa.

29 Septemb.

15 Octob.

2009 Ministerio de Cultura

1588. ſumam, ut in re certiſſima, qualis eſt ſecuritas, quam ego ex te, tuque ex me habemus, argumentis quamplurimis ex tua meaque parte confirmatam. Denique nec poſſum ego mihimetipſi magis confidere, quam tibi ſemper confiſus ſum: nec tu optare potes, aut petere, ut pluris ego te faciam, quam adhuc feci. Proinde omni te ſollicitudine liberum volo. Cordi autem erit Deo efficere, ne tam prava tentamenta mercede aliquando ſua careant. Neque his contentus, poſt adſcriptum diem locumque extremæ, uti fieri ſolet, epiſtolæ, manu Rex ſua (nam epiſtolam manu Ioannis Idiaqueſii, cui rerum cura belgicarum præcipue incumbebat, exaraverat) hæc addidit. *Pro certo habeas, mihi perſuaſum eſſe nihil abs te hactenus omiſſum, quo mihi per omnia penitus ſatisfaceres. Quin etiam confido, ſi addi potuiſſet aliquid ad hanc ſatisfactionem, id te mea cauſa fuiſſe facturum ut adderes.* Similia his ad Alexandrum, peculiari ſeorſim epiſtola ſcribens Idiaqueſius, *Affirmaſſe ſibi Regem* ait, *adeo cumulate ſatisfactum ſibi ab eo, cum in aliis rebus ad Britannicam expeditionem ſpectantibus, tum in iſta temerarii hominis tentatione, ut quid cumulatius cuperet ab ejus Majeſtate Dux ipſe Parmenſis profecto non habeat. Vnum addidiſſe Regem, In mentem ſibi veniſſe, num ſatius viſum eſſet, ſimulare aliquandiu cum illo conſpirationem, ut dum liberius aperitur cum Anglis commercium, ac dum ultro citroque commeantes nuncii, per occaſionem redimendi detentos Fliſſingæ Hiſpanos, minus ſuſpicioſe excipiuntur ab Anglis Fliſſingæ præſidiariis, clam obſervaretur, an ii præſidiarii poſſent arte aliqua decipi, atque urbs capi: hunc vero futurum fuiſſe parem dolum, quo eludi doloſa iſta natio mereretur. Id autem injunctum ſibi fuiſſe ab Rege, ut ad eum ſuo nomine ſcriberet, eumque, ſi locus ſimulationi ſupereſſet, ad eandem retentandum hortaretur.* Verum eo res proceſſerat, permiſſo abire jam Fliſco, ut reſumi hujuſmodi conſpirationum imitamenta non liceret. At Alexandri gaudium ex hoc tam honorifico Regis de ſe judicio, ſuper alias ejuſdem litteras ſimili tenore compoſitas, ſane per-

quam

Additamentum Regis pro Anglica expeditione.

17 Octob. Idem de utroque confirmat Idiaqueſius.

Alexandri gaudium ex hoc Regis ſenſu,

2009 Ministerio de Cultura

quam cumulatum fuit. Crevitque in dies, novis argumentis regii erga illum animi fiduciæque. Præſertim poſtquam tradita ei in manus ſemel atque iterum gallica expeditione, qua nullam Rex ardentius aliquando ſuſceperat: atque adeo aucto novis legionibus ejus imperio; palam fuit, quam ex vano aliqui in Hiſpania diſſertabundi, ut ante memoravi, de nimia Farneſii potentia tanquam Regi jam ſuſpecta dubitaſſe ferebantur. Interim ipſe præter alia, quæ ab Hiſpania, Italiaque in eamdem cum Rege ſententiam ad ſe ſcribi quotidie videbat: noviſſime ex litteris patrui Cardinalis acceperat, Xyſtum Pontificem, audientibus Olivario legato, atque aliquot Purpuratis, poſtquam militarem ejus virtutem copioſe commendaſſet, acriter invectum in eos fuiſſe, qui culpa illum involvere ob britannicum ſucceſſum temere conarentur. Et vero ſi quis eam conſideret gloriæ cupiditatem, qua, ſi quiſquam aliquando mortalium, flagrabat Alexander: ſi parem huic cupiditati magnitudinem famæ, quæ ab expugnato, inque libertatem catholicæ Religionis aſſerto prænobili Europæ regno, ante oculos ei obverſabatur: ſi hujus adipiſcendæ laureæ opportunitatem, quam à claſſe poſt Hiſpanorum memoriam inſtructiſſima ſibi videbat offerri; (ſuo enim tantummodo ductu imperioque gerenda res erat in Anglia) profecto facile inducet animum ut credat, nihil ab eo prætermiſſum, quo tam glorioſæ palmæ occaſionem, vita ipſa mercandam, totus arriperet: atque ad belgica devictarum provinciarum nomina, titulum quoque britannici triumphatoris adjungeret. Præſertim quum ex ea victoria ſperaret, brevi ſecuturam reliqui Belgii expugnationem: atque adeo ſe, poſt belgicum Leonem, herculeo ſane labore perdomitum, ſpolium herculeo non impar induturum. Sed mihi in ſucceſſum maritimæ hujus expeditionis animum intendenti, non uni imputanda cauſæ infelicitas ejus videri ſolet. Multum ad illam contulit triennii prope ſpatium

1588.

*& ex hoc poſteaejuſdem Regis argumento,*

& ex aliorum litteris. *Alexand. Farneſ.*

& ex Pontificis judicio de Britannico ſucceſſu. *Henric. Guſman.*

Gloriæ cupiditas, qua flagrabat Alexander,

& opportunitas conſequendæ,

perſuadent nihil ab eo prætermiſſum,

Cauſæ, unde hæc expeditio non ſucceſſerit.

2009 Ministerio de Cultura

1588. ſpatium adornandæ claſſi, (inſita genti cunctatione) dilatatum: & Anglis, ne imparati opprimerentur, (quod facile eveniſſet) indultum. Præterea quantum à principio dilatione, tantum poſtea feſtinatione peccatum eſt, illato in hoſtem bello, ante proviſum bellatoribus aliquod in tempeſtate perfugium. Nec parum claſſi obfuit nautarum imperitia, uti obfuturam Alanum Cardinalem ſubveritum accepi. Adhibitus enim ab Rege in conſilium, cum multa ſuper britannico bello ſcite prudenterque diſſeruit, tum illud in primis admonuit, miniſteria nautarum, à quibus victoriæ ſpes veheretur, hominibus, niſi locorum peritiſſimis Rex ne committeret. Id effecturum, ſi Anglos ceteris præhaberet, quippe inter eos fluctus ſyrteſque genitos, atque adeo natali ſalo, patriiſque ventis, ac tempeſtatibus ſuis aſſuetos, ſeque invicem ſæpius expertos tales ab ſe, ſi delectum ſibi permitteret, non paucos, & quidem religione catholicos, ac fidos offerri poſſe. Sed Rege haud tutum rato, claſſem in Angliam bellum importantem, Anglis credere, Alani conſilium fruſtra fuit. Quod ille viro ſibi amiciſſimo graviſſimoque (à quo id ego audivi) dum non ſine lacrymis narraret, miſereri magis quam damnare ſolitus erat Regis quamvis ſapientiſſimi conditionem; cui ex una parte, utilem multorum operam in loco adhibere, ſuſpicio non permitteret: ex altera, ſuſpicionem ne unquam deponeret, aliquoties in fraudem inducto prudentia ſuaderet. Ad hæc peccatum eſſe ante Plimutham, Hiſpani ipſi ſenſere, dum nimia Sidonius obedientia, ne mandatorum Regis religionem violaret, occaſionem opprimendæ in portu hoſtilis claſſis elabi è manibus paſſus ſit. Quamquam haud me fugit, Sidonii factum non perinde omnibus, qui in claſſe tunc erant, improbatum eſſe, cognita perſevera juſſione Regis, quem videlicet apprime tenacem eorum, quæ mandaſſet, haud ignorabant. Ac forte veniebat illis in mentem id, quod in Hiſpania occultis aliquo-

*Prima cauſa,*
*ſecunda,*
*tertia,*
*Mutius Vitelleſcus General. Soc. IESV.*
*quarta,*
*Gratian. lib. 5 de bello Cyprian.*

©2009 Ministerio de Cultura

aliquorum ſermonibus ſparſum fuerat: quodque à Veneto apud Regem legato Reipublicæ ſuæ ſcriptum ferunt; in eo, quod primum Mantuæ Carpetanorum habitum eſt, conſilio, poſt acceptum navalis victoriæ nuncium, incuſatum fuiſſe Ioannem Auſtriacum, quod contra quam ei imperatum fuiſſe à Rege dicebatur, commiſſo prœlio, collectas ea in claſſe Chriſtianæ Reipublicæ vires in caſum dubii evẽtus objectaſſet: nec defuiſſe in illo cœtu, qui laudibus in cælum ferens priſcos olim Duces, qui filiorum ſanguine romanas ſecures imbuiſſent, quod contra edicta cum hoſte pugnaſſent; revocandam in Hiſpania hujuſce exempli ſeveritatem affirmaverit. & tamen Auſtriacum & victorem, & fratrem fuiſſe. quid Sidonio cogitandum, ſi, neglecto Regis imperio, pugnam ante præſcriptum tempus infeliciter attentaſſet? nam manere hodieque illam, quam barbaro olim Duci amicus memorabat conſuetudinem Regum, Vt caſus adverſos hominibus tribuant, ſecundos felicitati ſuæ. Sed nulla certior ejus infortunii cauſa fuit, quam, quæ minus caveri humana vi potuit, tempeſtas tam atrox ac pertinax, ut ſicuti nulla unquam claſſis imperioſius, ac formidabilius calcavit Britannicum mare, ita negaverint Angli, obſervatum à ſe, Oceanum ſuum in navium aliquando perniciem truculentius, atque implacabilius inſurrexiſſe. Ex quo factum, ut Hiſpani non modo non adjungi tegendis Belgarum copiis, promota ad eos claſſe, nequiverint: ſed ipſi ventorum rabie huc illucque raptati, ac naufragiis paſſim obruti, omiſſa ſpe videlicet omni britannicæ victoriæ, cedere ad extremum non tam hoſtium virtuti, qui eo ſucceſſu lætari magis, quam gloriari potuere, quam ventis tempeſtatibuſque Anglorum loco prœliantibus, coacti ſint: Deo (ſi ejus reverenter interpretari conſilia fas eſt) ita permittente, ut magna hæc identidem exempla humanam potentiam ſuæ imbecillitatis admoneant: ſimulque

1588.

*Madrid.*

*T. Manlius apud Liv. lib. 8. & alios A. Poſthumius apud Valerium Max. & alios*

*Datames. Pandates apud Æmil. Prob. in vita quinta.*

fructus ex britannico ſucceſſu.



2009 Ministerio de Cultura

1588. id boni inter hæc mala è Britannia colligatur; ut ex eo loco, unde referre victoriam hiſpanis armis in præſens inconceſſum fuit, alias interim palmas ſuo coëmptas ſanguine quotidie referant fortiſſimi adverſus hæreſim bellatores: habeatque Religio illum terrarum angulum ſepoſitum ſibi, ceu Martyrum ſeminarium.

BERGARVM obſidio.

Hiſpanæ claſſis infortunio mutare conſilia coactus Alexander, ne tam florentibus cinctus copiis, rei bene gerendæ occaſiones amitteret, dum pars adhuc aliqua militaris anni ſupereſſet; ſtatuit exercitum britannico bello deſtinatum varias in expeditiones trifariam diſtribuere: partem in Geldria ad retentandum Wactendoncham Comiti Mansfeldio committere, addito cum ſuis Germanis, Burgautio Marchione: partem cum reliqua Neapolitana legione, ad Erneſtum Colonienſem Antiſtitem pro Bonna laborantem allegare: ceteros Hiſpanorum pleroſque, apud ſe aggrediendis in extrema Brabantia Bergis ad Somam, attinere. Stimulabant illum ad Bergarum aggreſſionem vicina Bergis oppida, aſſiduis Bergenſium excurſionibus prædiſque vexata. Et ipſe, quod ea urbs Anglorum præſidiis, Morgano eorum Chiliarcho teneretur, avebat Reginæ lætitiam, loci jactura, interturbare. Ergo quoniam ex inſula Thola certior erat ad Bergas acceſſio, partes imponit invadendæ inſulæ Marchioni Renthiaco, à quo fruſtra tentata, urbem ipſam, Thola omiſſa, obſidere parat. Defendebatur illa, præter alias munitiones, caſtello inter urbem & Scaldim: quod niſi in poteſtatem redigeretur, incaſſum petebatur urbs. Hæc expendenti Alexandro litteræ ab anglo milite arcanæ perferuntur. Res ita ſe habebat. Cum Hiſpano, qui captivus Bergis attinebatur, amicitiam contraxerat Anglorum par. quorum alter caſtello, de quo dicebam, Centurionis loco præerat. Huic, ut caſtellum Parmenſi traderet, perſuadere non levium ſpe præmiorum Hiſpanus adnitebatur. Nec

In tres expeditiones deſignat exercitum Alexander.

Obſidionis Bergenſis cauſæ.

*Colonellus* Ad Vrbem obſidendam contendit Renthiacus.

De Caſtello ante Vrbem hiſpanis tradendo agit Anglus ſubcenturio: *Petr. de Luque*

2009 Ministerio de Cultura

Nec ille abnuebat. Dumque de ratione rei ordinandæ quaſi deliberabundus paulum hæret, interim quæ cum Hiſpano agitaverat, aperit omnia Peregrino Willogbeio, qui tunc anglis militibus pro Leiceſtrio imperabat. Laudatur fides: animatur ut pergat, tanto quidem impenſius, quanto ſperari poſſet, Gulielmum Stanlæum, quem Angli poſt traditam Daventriam implacabiliter oderant, eodem cum aliis laqueo irretiendum. nam Parmenſem Ducem facile uſurum ejus miniſterio, quippe hominis angli, atque hujuſmodi machinationibus aſſueti. Sed irritus ſpei fuit: Stanlæo ad id operis nequaquam adhibito. Facinus igitur ubi in ſe recepit ſubcenturio, litteras ea de re per Anglorum alterum conſilii conſcium, ad Parmenſem mittit Hiſpanus, additque venturum ſubcenturionem ipſum, ac deſtinata coram firmaturum. Nec poſt multo advenit, confirmavitque, pauca pactus in præſens, plura ſub rem peractam accepturus. Sane commodum erat Alexandro ea ratione potiri loco, quem vicinitate Vrbis, amniſque tutum, vi expugnare perquam tardum providebat, præſertim appetente jam hieme. De Angli tamen fide ſubveritus, præſente Renthiaco expeditionis duce; ita rem compoſuit: ut lacunas, per quas adeundum neceſſario caſtellum erat, exploraret ante Didacus Eſcovarius Centurio, Leviæ legionis Inſtructor. Idemque explorato acceſſu, cum tribus delectis Centurionibus, & militibus centum, præiret ductore Anglo ſubcenturionis ſocio, ac ſubcenturione agmen ſubſequente, ut facile in poteſtate eſſet. poſt hanc centuriam, in tumulo ante lacunas cum parte legionis ſuæ conſiſteret Sancius Leva Tribunus: à quo non procul abeſſet Renthiacus ipſe, cum armatis omnino mille, pleriſque Italis, & Wallonibus: eo conſilio, ut fallentibus fidem Anglis, recedentem Eſcovarium Leva tutaretur, & Levæ Renthiacus auxilio foret. Sic ille ſuos ad ancipitem eventum

1588.

*Sic Alex. ſcribit ad Regem 30 Octob.*

Dubitat de ejus fide Alexander,

& caute ordinat aggreſſores: *Alphonſ. Mendoz. & Greg. Ortiz, & Hurtad. Mendoz.*



2009 Ministerio de Cultura

1588. præmunibat, haud ignarus, IN Capillatam fronte occaſionem non injiciendam manum, niſi armatam; ne forte venenatis morſibus anguinei capillamenti, quale geſtant proditores, improvide capiaris. Decreta nocte ſiſtit ſe Renthiaco Anglus ſubcenturio; &, quo ſibi plus fidei habeatur in ducendo agmine, nam ſocius qui duceret non comparuit, vinciri ſe jubet. Vinctus, ſed liberiore perfidia, ac traditus Eſcovario, lacunas cum centuria hiſpana tranſmittit. caſtello vicinus ſeligit Eſcovarius ex audacioribus homines triginta, qui cum Anglo ingrediantur. cum his ad cancellos præſtructos caſtelli portæ ubi acceſſit Anglus, prætulitque notum præſidiariis conventumque ſignum, cancelli protinus aperiuntur. Quindecim ſilentio intrant: dumque porta ut pandatur expectant, occluſis repente cancellis, in eos, qui admiſſi erant, quique propius aderant, pilarum tempeſtas effundi cœpit. Et Eſcovarius quidem, proditione animadverſa, ſuos non ita cancellis admotos revocabat quam minima recedentium jactura, quum à Levæ legionariis inopinato turbatum eſt. Inſinuaverant ſe in hanc legionem honorarii complures, quorum ut aliquanto laxior eſt in bello licentia, ſic anceps eſt auxilii genus, uti de Elephantis in acie adhibendis dictum legimus. nempe quanto hi mole, atque ferocia: & illi authoritate, atque fiducia præſtant aliis; tanto interdum minus quam alii in rectorum poteſtate nutuque ſunt, in utramque partem violentiores. Ab his emiſſa voce, contra quam ex diſciplina militari caveri ſolet: *Irrumperent, captam jam munitionem*; extemplo complures, mota legionis parte, præcipiti illuc gradu per cœnum perque paluſtrem eum tractum inferuntur, cancellos effringunt, incredibilique contemptu hoſtium, ac mutua certantium cæde, ſubire munitionem vi contendunt. Sed præſidiarii, quibus præviſa ac parata erant omnia, è vallo, ex aggeribus, ex urbe ipſa, non incerta

emiſ-

Anglus illos ducit ad caſtellum:

& prodit.

recedunt proditi,

Alii ignari pergunt.

*Elephan.*

*Honorarii*

ac pugnant,

2009 Ministerio de Cultura

emiſſione jaculabantur. ideoque Renthiaco, ac Leva receptum ſollicite, quantum poterant, anxieque jubentibus; poſt editum magnæ potius quam tempeſtive fortitudinis documentum, ceſſere demum Regii, majorem aliquanto cladem paſſi ab aquis in reditu, quam in aggreſſione ab hoſtibus. Nam & æſtus maris per aggerum ſciſſuras erumpentis, obſervata pridem vada confundebat: & nox illunis horridaque, conſilii juxta ac viæ confuſionem cumulabat. Itaque, uti narrabat Comes Belgiojoſus, qui honorarios inter aggreſſores ulterius & ipſe proceſſerat, cæcæ aliquos voragines hauſere: nonnulli pigro luctantes infoſſique luto, à valentioribus extracti, atque in humeros ſubducti ſunt: omnes tamen plus omnino diſcriminis inter eas anguſtias, quam jacturæ ad extremum ſenſere: & niſi jacturam auxiſſet mors Nobilium nonnullorum, nimis quam avide memorabili aliquo facinore inclareſcere properantium, clades nullo habita loco fuiſſet. nam cæſos ab hoſte, præter eos, qui primi cancellos intrarunt, non plures quam viginti, vulneratoſque omnino quindecim, pro certo numerarunt qui interfuere. Sed pro numero conditio amiſſorum fuit. E tribus Centurionibus agmini præmiſſis ſolus Alphonſus Mendoza, ſed fracto dextero brachio evaſit: Ioannes Hurtadus Mendoza pugnando cecidit: Gregorius Ortizius in hoſtium poteſtatem venit; Levam Tribunum, dum recedentibus inſtat, pila ictum invalidumque, ſui milites diſcrimini ſubtraxere. capti ſtrenue præliantes Ioannes Mendoza, Marchio Inojoſæ. & Innicus Guevara, Ognatæ Comes: quorum illum Gubernatorem Inſubriæ, hunc legatum ad Vrbanum Octavum Romæ vidimus. At vero Anglus ſubcenturio in eo cœptæ jam pugnæ tumultu elapſus è manu hiſpani militis, quem ſcilicet major tunc ſui premebat cura; poſt Bergenſium qualeſcumque plauſus, contulit ſe ad Angliæ Reginam, ſervati pretium loci petiturus. Et illa

[Margin: 1588. non ſine aliqua jactura: jactura majore in reditu.]

[Margin: *I. Iacobus Balbianus Comes Belgiojoſa*]

[Margin: *& Alex. ad Reg. 30 Octob.*]

[Margin: Cenſus eorum.]

[Margin: Proditor ab Anglorum Regina pretium navatæ operæ poſcit.]



2009 Ministerio de Cultura

1588. quidem haud gravate aliqua eum pecunia donavit, addidiſſe tamen dicitur, Abiret in domum ſuam, non obliturам ſe illum evocare, quoties ſibi opus homine foret, cui perſona proditoris imponenda eſſet. Alexander interea, quoniam inſiſtere Bergarum oppugnationi per hiemis inclementiam in iis paluſtribus locis non ultra licebat; ne tamen liberos jam ſe, irrita aggreſſione, jactarent hoſtes, non evocavit inde militem ante, quam excitatis aliquot in Bergenſi tractu munitionibus valido cum præſidio, frenum procurſionibus Bergenſium imponeret: atque adeo vicinorum poſtulatis, quorum cauſa expeditionem ſuſceperat, non plane fructu carentibus ſatisfaceret. In hæc incumbentem, copiaſque alio alias in hiberna ſeparantem, nuncius expugnatæ à regio exercitu Bonnæ opportunus exhilaravit.

*Carol. Coloma lib. 1.* Reginæ reſponſum.

Alexand. aggreſſionem ſolvit, excitatis prius munitionibus ad Bergenſes frenandos.

Vrbem hanc Septemvir Auguſtalis, Erneſtus Colonienſis Antiſtes, auxiliaribus potiſſimum armis Alexandri, ejectis ex ea, uti jam memoravimus, Truchſeſianis, ante annos ferme quatuor, recuperaverat. Sed eamdem militari aſtu Martini Schenchii ſub exitum anni ſuperioris amiſerat. Etenim Schenchius, homo inquies, & occaſioni temporique inſidiari ſolitus, obſervato, Parmenſem Ducem britannica implicitum expeditione, illuc omnes & milites, & curas cogere; peropportunum duxit, in Geldria, aut in Colonienſi agro, quas ille provincias, arce perquam valida nuper excitata ad Rheni divortium, infeſtas habebat, audentius aliquid attentare. placuitque Bonnam invadere, quod & honeſtiorem præferre titulum poſſet recuperandi eam Truchſeſio, cujus ſe militem ferebat: & præterea ſciret, non ita extinctas in ea urbe reliquias Truchſeſianarum partium, ut ſcintillæ identidem aliquæ ex compreſſo illo incendio non erumperent. Igitur eductis è Berca ad Rhenum ducentis ferme peditibus, ac paulo pluribus facile aggregatis aliunde prædarum ſpe; cum equitibus omnino trecen-

BONNA à Schenchio expugnata.

occaſio obſidendi.

*Schinchſchans*

Schenchius Bonnæ ad portam improviſus accedit.

*Rimberch*

2009 Ministerio de Cultura

trecentis, ſub mediam noctem, ex oppido Popeldorſo Bonnam accedit: aſſumptiſque ſuorum paucis admoveri jubet Rhenanam ad portam æneum Pyloclaſtrum, Pettardum vocant, novum per hæc loca portarum excidium. Quid illud ſit, quoniam in hac Bonnenſi aggreſſione videndum ſe primum dedit, paucis cognoſcere haud importunum habeo. Eſt hæc machina fuſili ex ære vas, forma mortario non abſimile: immo in Iuliacenſi bello ad ſubruendam Aldendorfii portam, adhibitum à ſe fuiſſe ex aromataria officina mortarium, Tenſinus talium machinator & ſcriptor enarrat. Magnitudo illi varia: ea nunc maxime probatur, quam geſtare, ac pallio tegere miles non imbecillus queat. adeo cuniculos non modo ſub terram fodere, ſed etiam nobiſcum ferre excogitavimus. In latere anſulam habet ad ſuſpendium, & ab imo propemodum fundo palmaris prominet ad inferendum intro incendium canaliculus. Vbi autem inditum vaſi bellicum pulverem malleo presserint, atque ad os uſque conſtipaverint, ſummumque os ſtupeo obturamento, ac cerata ad extremum tela concluſerint; roboreum aſſem latitudine vaſis ampliorem, ac ferrea cruce firmatum eidem ori ſuperaddunt, adſtringuntque; eo nempe conſilio, ut per illud additamentum, fracturæ plus fiat in oſtio, quam ſola mortarii latitudo faceret, anguſtiorem videlicet, ímpatemque ſubituris militibus apertionem. Temperatum hoc modo Pyloclaſtrum, poſt terebratam, quæ impetitur, portam: terebramque ibidem clavi loco relictam; ex anſula ad terebram alligata ſuſpenditur, ore medias in fores verſo, ac per ſulphuratum fomitem, qui canaliculo eſt inſertus, incenditur. Tum vero, flammis, ferratoque aſſe in portam arietantibus ineluctabili plane vi, quanto contumacius obſtatur, tanto impotentius objectum quodcumque repagulum in fruſta conciditur, oſtiumque hiatu vaſtiore diſpanditur. Sic una demum reperta eſt clavis, cui, (quod nullis fabrum ferramen-

1588.

Mortarium portæ admoveri jubet.

Ejus machinæ artificium, ac vis.

*anno 1610. De arcium expugnatione l. 3. c. 14.*



2009 Ministerio de Cultura

1588. Portæ affigitur, eaque perfracta, miles urbem prædabundus ingreditur. Et Schenchius munit. BONNA ab Alexandri militibus recuperata. Coloniensis opem ab Alex. poſcit. paciſci cum Schenchio cogitat. 10 Mart.

tis, nullis furum effractariorum ſcalpris adhuc contigit) ſeræ obiceſque portarum omnes, adapertiles ſint. Talis à Schenchio machina Bonnenſi portæ applicari juſſa, irritatis interea fuſte ſaxiſque ſuibus, qui forte inibi ſtabulabantur, ut incondito eorum grunnitu, operarum ſtrepitus obtunderetur; tanta illico violentia flammas evomuit, ac ſparſim impulit, ut non fores modo fractæ revulſæque diſſilierint, ſed etiam murus portæ continuus eodem impetu ad terram procubuerit: adituque irrumpentibus patefacto, capta ſit prius, quam capi Bonna ſe ſenſerit. Poſt cædem, ac ſecutam civium direptionem expilationemque, curæ Schenchio fuit, munire urbem advecta ex agris annona, auctis præſidiis, atque excitatis in adverſa Rheni ripa aliquot propugnaculis, quibus ſe contra Septemvirum Colonienſem, quem recuperandæ urbi omnia tentaturum providebat, inſtrueret.

Et vero Colonienſis non damno ſolum Bonnæ in præſens amiſſæ, ſed metu etiam Coloniæ, ne brevi amitteretur, merito ſollicitus, ad conſuetam Parmenſis opem propere confugit. ſecutæque eodem tempore Bavariæ Ducis litteræ, quibus is Erneſtum fratrem, ejuſque Colonienſem tum Eccleſiam, tum provinciam, experto ſæpius Farneſii patrocinio commendabat. Nec poſt multo miſſus ab eodem Septemviro aulicus Alexandro expoſuit, tam magnum per ea loca terrorem Schenchii nominis injectum, ut è re præſenti exiſtimaverint Septemviri, & Cliviæ Ducis adminiſtri, inducias aliquot menſium inter ipſum Colonienſem, & Schenchium paciſci: ad eamque rem non aliud, quam aſſenſum ejus Celſitudinis expectari. Erat Erneſti conſilium, (ut à ſe deprehenſum ſcribit ad Regem Alexander) totius hujuſce belli onus imponere demum Regi, quem pro certo habebat, ne Schenchius à Colonienſibus per inducias ſecurus in regias provincias arma converteret, in ſe potius uno ſuſcepturum belli molem:

2009 Ministerio de Cultura

molem: atque adeo, pro ea, quæ eſt ei poten- 1588.
tia, profligatis hoſtibus, brevi omnia compo-
ſiturum. Id vero conſilii deteſtatus Alexander, Regi
Neque Regem, neque ſe talibus induciis Se- Retrahit il-
ptemviro indecoris, Colonienſi provinciæ exi- lum ab hoc
tioſis aſſenſuros unquam eſſe, aulico reſpon- conſilio A-
dit. compoſitiſque in eamdem ſententiam lit- lexander,
teris ad ipſum, atque ad fratrem Bavariæ Du-
cem, hortatus eſt, ne ſe hujuſmodi pactioni-
bus implicarent, quæ nec Regi, nec ipſis, ſed
tantum Proteſtantibus hæreticis forent condu-
cibiles. quamquam, quod ad Regis provincias
attineret ſatis firmatas adverſus finitimorum
hoſtium conatus, haud magnopere illis perti-
meſcendum. ut autem ſuis Rex ſignis auſpiciiſ-
que Bonnam obſideat, hoc eſt in Imperii limi-
tes arma inferat; quum id ſine Cæſaris offen-
ſione, ſine magnis Germaniæ Principum queri-
moniis tentari non poſſit, ab ipſo non expectan-
dum. non tamen omiſſurum, (uti ad eam diem
non omiſit) milite, pecuniaque partes Colonien- & milites
ſis Eccleſiæ tueri, non minore cura impenſa- promittit,
que, quam ſi ipſe in ſe Bonnenſe bellum rece-
piſſet: modo id Colonienſis Septemviri nomi- ſed militatu-
ne, ac præſentia, quibuſque poteſt, copiis ad- ros ſub ſi-
miniſtretur. Licet autem belgicam tunc omnem gnis Electo-
militiam, ſubdit Alexander, magnæ inſtantique ris.
expeditioni accinctam haberet; tamen excer-
pturum ſe inde tantum auxiliarium equitum
peditumque, quantum Schenchii progreſſibus,
& quas in Rheni ripa extruit, munitionibus
occurratur. Interim optimum factu videri, ſi Curat à
Erneſtus ipſe, quum Colonienſe bellum ad Re- Pontifice
ligionis, atque ad Imperii tranquillitatem jux- ſubſidium:
ta pertineat, Romani Pontificis, ac Cæſaris im- *Xyſtus V.*
ploraret opem: ille, ut tantum pecuniæ ab ur-
be ſubmitteret, quantum contrahi una ſaltem *Rodulph.*
Germanorum legio, ac trimeſtri ſpatio ali poſ- *Imp.*
ſet: hic, ut ſi minus alia in re, certe imperato-
rio edicto Schenchium ſocioſque proſcribe- & ab Impe-
ret. Eodemque tempore Gulielmum à Sancto ratore edi-
Clemente, hiſpanum legatum apud Cæſarem ctum contra
Schenchi-
um.

 admo-

2009 Ministerio de Cultura

1588. admonuit, ut urgeret eam proſcriptionem, magnum utique momentum ad nonnullos Germaniæ Principes ab aperta Schenchii defenſione deterrendos: & ad hiſpani Regis arma hoc quoque nomine cohoneſtanda. Simul & Romam Comiti Olivario legato ſcripſit, ut ſtatu Colonienſis Eccleſiæ Pontifici repræſentato, ab eo eliceret & litteras & ſubſidium, quo perculſus ac jacens Erneſti animus ſublevaretur. Neque his contentus, Blaſio Capiſucco mandavit, ut cum ſua lanceariorum turma, ac trecentis wallonibus, addita equitatus parte Gravinæ Ducis, per Agrippinenſem provinciam, ac præcipue per Bonnenſem agrum infeſtis ſignis excurreret, hoſtemque, dum Bonnę aliunde conſuleretur, à locorum præda atque incendiis abſterreret. Quod ille, prævia ſui fama, quæ multa per eos Rheni tractus, ſtrenue ac feliciter peregit, illatis modo in hanc partem, modo in illam aut armis, aut armorum metu: paucis ad prælium prodeuntibus, pluribus occurſum evitantibus: ipſo unum hoc dolente, non fuiſſe, quos vinceret. Rebus ita præmiſſis, Alexander advocato ad ſe Areſchoti Ducis filio Carolo Croyo, Chimaci oppidi in Hannonia Principi, Bonnenſem expeditionem committit, attributis ei ex Belgarum nobilium equitatu turmis ſex, quæ à Præfectorum vicariis regebantur: totidem equitum leviter armatorum ſignis, Corduba ductore, ac recens ſcripta Lotharinga legione, Chiliarcho Sanblemontio. Præterea juſſo Io. Baptiſta Taſſio è Friſia Bonnam petere, & Chimacio afferre cohortes aliquot Friſiorum, & conſilium ſuum. Horum adventu firmatus animo Septemvir, ut quamprimum cum hiſce copiis, & quos habebat apud ſe, wallonibus obſideretur urbs, abſente tunc Schenchio, Chimacium urgebat. Nam Schenchius congreſſum Capiſucchi vitabundus, & explorato Alexandri propoſito majora Septemviro ſubſidia deſtinantis; ad Caſimirum excurrerat, militem commeatumque petiturus, relicto, qui Bonnæ interim

& præmiſſis illuc ex catholici exercitu copiis,

Principem Chimacium expeditioni præficit:

*Tenenti Io. Cordub.*

*Blaſ. Capiſuc.*

2009 Ministerio de Cultura

interim moderaretur, Othone Podliſio nobili 1588.
Dynaſta, cum præſidiariis ferme ter millibus, veteranis pleriſque, ac prædarum ſpe Schenchium jam pridem ſecutis. Nec diſtulit Chimacius poſitis caſtris aggeres urbi circumducere: licet Taſſius magnopere contenderet, ut obſidio à Tranſrhenanis prius caſtellis, unde in urbem auxilia, inciperetur. Crederes illum infortunii ſui præſcium abhorruiſſe ſupremam fatalis loci obſidionem. Etenim Chimacio aggreſſionem urbis ante reditum Schenchii opportuniorem affirmanti ceſſit demum Taſſius: atque oppugnationem, quam poſtridie decreverant, ordinaturus, dum noctu foſſam ac muros, qua erat ſui fiducia ex longa felicitate collecta, propius contemplatur, pila à puero lixa è foſſæ margine in eum clam directa, icto capite ſtatim occubuit. Adeo NIHIL tam firmum, cui non ſit periculum ab invalido. Corpus intra urbem attractum, & mox redemptum Coloniam deportatum eſt, ſumma militum ſacrorumque pompa, ac plane ſupra militaris Tribuni modum, ſed non ſupra bellicam viri virtutem, qua & ipſe multis partis victoriis, Regis per Belgium partes animoſe defendit, & gentiles ejus Auſtriacæ domui per Hiſpaniam Germaniamque, operam ſuam Principibus acceptam perpetuo addixere. Nos certe, poſterique omnes, Taſſiorum genti non parum hoc nomine debemus, quod aucto per eos firmatoque tranſmittendarum commercio litterarum, diſpoſitis ex eorum deſignatione, certa per intervalla, tabellariorum curſorumque ſtationibus, publicum factum eſt obviumque commodum, quod antea rarum, ac tantummodo potentiorum non ſine magnis impenſis proprium fuerat. Vt merito ipſi à Cæſaribus, atque ab Regibus hiſpanis jure poteſtateque in perpetuarios hoſce nuncios accepta, ampliſſimam præfecturam, quæ tantam ſocietatis humanæ partem amplectitur, ſoli per Auſtriacas provincias adminiſtrent. Taſſii mortem

*qui caſtra circa Bonnam ponit.*

*Muros urbis perluſtrans Taſſius occiditur:*

*Bagaglione*

*Ejus funus:*

*& Taſſiorum familiæ inventum.*

*Poſte*

*Corrieri*



2009 Ministerio de Cultura

1588. ſenſit, pro eo ac debuit, Alexander: præſertim audito, Schenchium novis cum auxiliis in Palatini provincia contractis, Bonnam intraſſe: ac præterea Erneſti wallones ferme ſexcentos juſſu, ut ipſi ajebant, Colonienſium, caſtris abiiſſe: fruſtra conato Chimacio Principe, oblatis etiam regiis ſtipendiis diſceſſionem ſiſtere. Quo intentius Alexander Bonnenſe bellum complexus, Verdugo Friſiæ Præfecto per litteras mandat, ut Bonnam ipſe ſe transferat: Carolum Spinellum, cum duodecim è ſua legione ſignis, eodem immittit, mox ſecuturo Chiliarcho Echembergio cum ſuis Germanis, & cum aliquot tormentis Coquela Mottææ legionis ſubtribuno, quem pro Taſſio præeſſe Friſiis cohortibus imperavit. Verdugus poſtquam Bonnam attigit, inſpectis hoſtium ac ſuorum munitionibus, author Chimacio fuit, ut omiſſa tunc urbis aggreſſione, (quod etiam Taſſius ante cenſuerat) vis transferretur omnis adverſus arcem ac propugnacula, quæ in altera Rheni ripa è Bonnæ regione Schenchius extruxerat, indeque Rheni dominus ſubſidia in urbem facile tranſmittebat. Ergo Lotharinga legione cum parte equitum circa Bonnam relicta, reliqui trans Rhenum cum Verdugo deducti ſunt. & paucos intra dies, è tribus hoſtium munitionibus, duæ in Chimacii Principis manus venere. Sed tertia, quæ longe ante alias & mole, & defenſorum virtute præſtabat, diu regios tenuit fatigavitque, crebris ex ea nec improſperis eruptionibus. Ad quas reprimendas, poſt objecta hinc atque hinc gemina ex adverſo caſtella, decreta eſt ejus oppugnatio: ac primæ aggrediendi partes legioni Neapolitanæ attributæ ſunt, ſecundæ Echembergianis. inter Neapolitanos primum à Spinello Tribuno locum centuriæ ſuæ Alexander de Montibus impetravit, juſſus, non ante auditum invadendi ſignum, ſuos quamcumque ob cauſam promovere. Iamque propugnaculi angulum tormenta decuſſerant, latuſque penetraverant, rareſcen-

*Alexander ad Bonnæ obſidionem mittit Verdugum: & Spinellum cum parte ſuæ legionis, & alios.*

*Ab urbe transfertur obſidio trans Rhenum.*

*Ibi munitio hoſtilis invaditur.*

2009 Ministerio de Cultura

rareſcentibus inibi defenſoribus. præſertim quod in eamdem partem ex Bonnenſi ripa colubrinis tribus ad avertendos à defenſione præſidiarios, Chimachii juſſu Samblemontius fulminabat. Quod dum Neapolitani intenti ſigno conſpicantur, nec tamen (ſigno videlicet inaudito) ſe movent; mirati, qui pone adſtabant Germani, cur ſtrata ad invadendum via, illi pedem non inferrent, concito gradu præcurrunt ipſi, aſcenſumque primi moliuntur. Id vero indigne ferens Montius, nec paſſurus præripi ſibi locum, ſuos eodem impellit: ac dum utrique præpropera feſtinatione nitibundi ruinas ſubeunt, deque ſuis magis, quam de hoſte referre victoriam, gliſcente æmulatione iraque, contendunt; defenſores, ſumptis per eam occaſionem animis, pugnam redintegrant, ſcandenteſque non irritis in confertos ictibus, loco proturbant, ac referre pedem cogunt: relicta, ut in re triſti ſolet, nonnulla inter nationes offenſione: ac præcipua Spinelli querela adverſus Montium, pugnam contra quam imperatum eſſet, aggreſſum. quamquam & hunc injuria loci à Germanis prærepti, & Germanos occaſio rei bene gerendæ utcumque tegebant: maxime apud novitium belli Ducem, qui nondum expertus obedientiam militum, ſeveriore documento periculum facere authoritatis ſuæ ſubterfugeret. Poſt hunc improſperæ oppugnationis eventum, omiſſis in præſens hujuſmodi tentamentis, admoveri propius aggeres, ac ſuffoſſionibus agi, Chimacius imperavit. Et jam Germani ad arcis alam (ſic propugnaculum appellabant, quod ab arce longius aliquanto prominebat) feſtinatis operibus tam prope acceſſerant, ut colloquia cum defenſoribus (forte illi quoque Germani erant) facile miſcerent. quumque hujuſmodi ſermonum commercia ſæpius intercederent, (contra quam periti ac fidi locorum præfecti permittere conſuevere, non ignari, per inermes quoque congreſſus expugnari armatorum arces) præſidiarii ſeu territi,

1588.

*non ſervato præſcripto invadentibus ordine.*

*Alexand. de Mont.*

*inde irrita aggreſſio:*

*& inter aggreſſores diſſidia.*

*Chimacius*

*Felicius per ſuffoſſiones res geritur.*



2009 Ministerio de Cultura

1588. territi, ſeu corrupti Echembergianis alam conceſſere. quæ ubi in poteſtatem venit, defenſores, amiſſo liberiore per reliquam arcem commeandi uſu, atque adeo depoſita in dies magis magiſque ferocia, de ea tradenda colloquium petiere. traditaque, atque habiti à Chimacio militariter, acceptis per Rhenum cimbis, uſque in Hollandiæ limitem deducti ſunt. At Schenchius, ante arcis amiſſionem, veritus, ne alæ jactura ſecum traheret & conjunctæ hujus arcis, & aliquando Bonnæ diſcrimen, additis loco præſidiariis, ipſe in Angliam propere tranſmiſerat, Reginam oraturus, ut urbem diuturna obſidione laborantem, ne præda Hiſpano fieret, in ſuam fidem patrociniumque ſuſciperet. Sed occupatis Anglorum animis armiſque comparandæ novæ claſſi ad invadenda hiſpaniæ regna, ideoque Reginæ non auditus ad Caſimirum rurſus excurrit, inde confeſtim repetens Bonnam, reperit non modo amiſſam Tranſrhenanam arcem, ſed etiam traductis inde copiis, noviſque è Belgio additis, multo graviorem urbi obſidionem intendi. Etenim Alexander, octo reliquas legionis Neapolitanæ centurias, ſeptem Wallonum ſub Claudio Barlotta, & aliquot præterea turmas cum ipſo Georgio Baſta equitatus univerſi Commiſſario, Bonnam immiſerat: eorumque acceſſu Chimacius novis operibus urbem circumvallabat, caſtellis receptibuſque certa per intervalla ex caſtrenſi diſciplina excitatis. Videns itaque Schenchius nec promptum ſibi tentare urbis aditum, nec, ſi aditus pateret, tutum urbe includi; ſtatuit opperiri à Caſimiro copias, cum queis & faciliorem ingreſſum, & in urbe ſecuritatem ſibi pollicebatur. Sed fraudatus hac quoque ſpe, paucioribus quam animo conceperat Caſimirianis, eoque aggredi caſtra nequaquam auſis, ira curiſque agitatus, conſilium Noveſii obſidendi cum iis, quos tunc habebat, & quos ſperabat, militibus continuo capit, ſi forte eo injecto metu, avertere illuc à Bonna Chimacium poſſet. Sed non propterea inde aver-

[Margin notes: deditur propugnaculum, / *Arce* & arx ipſa. / Interim Schenchius ad petendam opem in Angliam, / & ad Caſimirum excurrit. / & Chimacius novis è Belgio copiis auctus, / novis operibus urbem circumvallat. *Forti Retirate* / Schenchius ad avertendum à Bonna Chimachium, / Noveſium obſidet.]

2009 Ministerio de Cultura

averſo, quippe Noveſii ſecuro, Bonnæ inſtabatur. Et quamquam nihil interea pro Schenchio Gubernator Podliſius omittebat, validis eruptionibus modo in Neapolitanos, ſæpius in Lotharingos inceſſendo, tamen promotis ſemper aggeribus, urbi ſolita nationum æmulatione propinquabatur. Primi omnium ad foſſæ labrum feſtinatis operibus acceſſere Neapolitani: nihilque territi ſive à furnulis, ſub foſſæ margine occultatis, atque improviſo incenſis: ſive à cryptis ima intra mœnia latentibus, ac impune jaculantibus; jam ramorum faſces ceſpiteſque, & ſi quæ obcæcando exæquandoque hiatui præſto erant, projicere in foſſam incœptabant. Itaque multi jam civium militumque, quod defenſionem creſcentibus quotidie oppugnatorum viribus imparem viderent, (ſi modo tacitus tunc quoque cum hoſte conſenſus non interceſſit) de urbe Erneſto reddenda agitare aggreſſi ſunt. Idque ut inculpati facere crederentur, ac neceſſitatem dedendæ urbis imponerent ſibi aliunde quam à metu: alimenta, quorum perparcus ad eam diem uſus, laxe inde profuſeque diſtrahere, atque ad ſuſtinendam famam, famem acceſſere ultro cœpere. Acceſſit & illud rei ematurandæ invitamentum. Per eos dies Chimacio Principi nunciatur, Petrum Erneſtum Comitem Mansfeldium à Parmenſi Duce Bonnam mitti, incertum, auxiliarem, an Præfectum. & dubitari potuit, alione Parmenſis Chimacium deſtinaſſet, aptioremque accelerandæ expugnationi Mansfeldium prætuliſſet; an potius eo nuncio ſtimulare Chimacium voluerit, ne Bonnenſis victoriæ decus præripi ſibi ab alio pateretur. Namque Mansfeldius iter illud nimis quam lente moderans, juſſus id facere videbatur, niſi forte veritus ipſe Chimacii Principis offenſionem, moras conſulto nectebat. Et ſane valuit id ad victoriæ celeritatem. Etenim ex una parte Bonnenſes, audito adventare novis, ut ferebant, cum auxiliis Mansfeldium, quantum imminui ſpem defendendæ urbis ſentiebant,

1588. non avertit, Appropinquatur urbi, magna cum laude Neapolitanæ legionis. *Caſematte*

Cives de dedenda urbe cogitant,

quaſi à fame compulſi. *Verdugus lib. 6 Alphonſ. Vaſquez in comment. & Carol. Coloma lib. 2.*

& nuncius advenientis Mansfeldii

vere Bonnenſes terret.

2009 Ministerio de Cultura

1588. bant, tantum ſibi properandum exiſtimabant cum Chimacio paciſci, à quo conditiones utique molliores accepturos ſe, quam à Mansfeldio ſeverioris ingenii Duce ſperabant. Ex altera parte Chimacius urgere oppugnationem, tormenta diſponere, locum, ordinem, horam aggreſſoribus attribuere, quantoque remiſſius defenſores ſpe pactionis agebant, tanto ipſe intentius omnia feſtinare. Sed jam à Podliſio Gubernatore, atque à Bonnenſi magiſtratu adierant legati de urbis deditione tranſacturi: firmatiſque conditionibus, poſtridie milites incolumitatem corporum bonorumque pactos, non tamen compoſito agmine, nec explicatis ſignis, neque fumantibus ſcloporum funiculis, Bonna egreſſos partim Bercam, complures Wachtendoncham uſque comitatæ ſunt tres ex Neapolitana Spinelli legione centuriæ: Caracciolo, Afflictoque Centurionibus ex eadem legione datis ad ſecuritatem obſidibus. Eodem die, qui fuit IV Kalendas Octobris, Colonienſis Septemvir Erneſtus, medius inter Chimacium Principem, & Verdugum Friſiæ Præfectum, Bonnam, à Truchſeſiana inde factione bis ejectus, bis regiis armis reſtitutus, intravit.

& Chimacium ſollicitat,

ac deditionem feſtinat:

*Cola Maria Carac. Federicus Afflict. Verdug. in commen. lib. 6* 28 *Septemb.* in deditam urbem Colonienſis ingreditur.

Alexander audita Bonnæ recuperatione, juſſit Chimacium Principem pleraſque copias Comiti Mansfeldio tradere, relicto Ioanne Corduba, qui cum ſua lanceariorum turma, & aliquot peditum ſignis Erneſto adeſſet: Manſfeldio autem mandavit è loco ubi tunc foret, Venlonam peteret, atque inde cum Marchione Burgautio mox affuturo conjunctus, Wachtendoncham, Geldrorum oppidum, modicum illud quidem, ſed omni tunc Geldriæ infeſtiſſimum, repens invaderet. Eam expeditionem ſucceſſu ancipitem multa reddebant: loci munitio, auctum modo ex Bonnenſibus præſidium, & ſuper hæc, paluſtres circum campi aquis per hiemem obtinentibus omnia, propemodum inacceſſi: cujuſmodi oppidorum ſitus viſuntur multi apud Belgas, ſolitos ad ædificandum ſe-

WACHTENDONCHÆ obſidio *Vaſquez in Comment.* Mansfeldio commiſſa ab Alex.

Eam uti arduam

2009 Ministerio de Cultura

ſeligere magis loca, unde hoſtem propulſent, quam ubi vitam producant. Hæc Wachtendonchæ invadendæ difficultas deterrebat è bellicis conſiliariis haud ſane paucos. Et Verdugus ipſe, antequam ad ſuam præfecturam diſcederet, Mansfeldium admonuerat, ut cogitaret, quam arcem, quave anni tempeſtate aggrederetur. ſubvereri enim ſe, quiſquis eam expeditionem Parmenſi perſuaſerat, ne aut rei militaris ignarus, aut invidus Alexandri gloriæ foret: reſpondente ad ea Mansfeldio, tanto ſe mandata libentius executurum, quanto plus laudis ex difficiliore victoria ſperaret, innixus Alexandri judicio, atque fortunæ. Prima Comiti cura fuit, caſtris procul à Wachtendoncha diſpoſitis: ac viis, unde auxiliorum acceſſus ad oppidum, milite præſeptis; in duobus, quos aliquantum extare, tumulis obſervavit, propugnacula duo planiformia excitare, atque obſidionalibus machinis è Geldria, atque Venlona proxime deportatis, caſtra receptuſque communire. quum nihil conceſſarent interea defenſores, Lancteiro loci Præfecto, per crebras eruptiones turbare opera, & in caſtra uſque pertendere, ac ſpecimen ſui ex hoſtium contemptu præbere. Et vero præbebant. Nam ut aſſueti loco uliginoſo ſtagnantique, certius occulta voraginum evitabant, atque agilius ſe ſe tenaci è cœno expediebant. Sed, cadentibus quamquam multis è Mansfeldianis, propugnacula ſurgebant, ac ſupra mœnium altitudinem attollebantur: illatiſque in ea, ſumma celeritate tormentis, (nam celeritatem vicinæ timor hiemis intendebat) impeti turres, & quati ſumma domorum cœpta ſunt. Sed nihil æque defenſores abſterrebat, ac ingentes globi ex ære fuſi, excavatique, ingeſto intus ſulphureo pulvere, aliaque inextinguibili materia conferti: qui è grandibus excuſſi in ſublime mortariis, ſcintillantibus è tenui foramine funiculis attemperatæ longitudinis, ubi in tecta, quo deſtinabantur, ex alto graves inciderent, pondere ea peſſum dabant: ſimul

1588.

multi diſſuadebant, *Friſia* Verdugus in primis.

Ipſe tamen perſtat:

& caſtra ponit,

*piatteforme*.

appetitus valide ab obſeſſis.

urbem tormentis infeſtat,

præſertim novo pilarum genere, *Bombe*

2009 Ministerio de Cultura

1588. ſimul incenſi ipſi diffractique, vicina quæque contumaci adverſus aquam incendio corripiebant. Hoc pilarum genus, unde aucta dein vidimus & granata, & ollas, & conſimiles peſtes, in quibus morti componendis ingenium efferavimus; excogitaſſe dicitur, paucis ferme diebus ante Wachtendonchæ obſidium, Venlonenſis artifex, urbis utique ſuæ malo. Nam quum Venlonæ cives Clivienſem Ducem epulis excepiſſent, placuit, oblectando Principi, recentis artificii periculum facere. Itaque uno ex hiſce globis in altum expulſo, poſtquam præceps ac minax rediens faſtigio domus incubuit, perfractoque lacunari interiora penetravit, fuſo ex una in aliam domum incendio, paucas intra horas, duæ minimum tertiæ partes urbis, tardis præ ignis rapiditate remediis, conflagrarunt. Scio eſſe qui ſcribat, ante hoc tempus uno alterove menſe, Bergis ad Somam ſimile quid, nec diſſimili exitu ab Italo tentatum fuiſſe, qui fœderatis Ordinibus, ad quos transfugerat, pollicitus ſit, fabricaturum ſe vaſa globoſque è ferro excavatos aut è lapide, qui in obſeſſas urbes librati accenſique, ac plura in fragmina, velut in acinos, diſſultantes, quidquid ſparſim contigiſſent, pertinaciter inflammarent. Sed hic è ſcintilla in materiam ab ſe paratam forte incidente correptus, ac ſerpente igne membratim excruciatus peremptuſque, an quod promiſerat, præſtare potuiſſet, incertum reliquit. Harum autem invento Venlonenſium machinarum utens opportune Mansfeldius, quam inopinatam, tam profecto inevitabilem tectorum attque hominum inferebat oppido cladem: adeo, ut ejecti è domibus paſſim procumbentibus habitatores, nec tamen per vias & in aperto tuti à procella deſilientium ſuperne globorum, aut à contactu ſequentium ubique flammarum, id remedii ſolum haberent, ſi ſe in loca ſubterranea, cryptaſque, & intimos humi receſſus abderent, furentemque tempeſtatem utcumque ſubterfugeret. Hæc vero pernicies quoniam ma-

Earum inventor

*Thuan. lib.* 89 *& alii*

patriæ ſuæ noxius.

*Reidan. lib.* 8

Inventionem eſt qui ad alium referat,

cum inventoris nece.

Strages domorum ab hiſce machinis

movet oppidanos,

©2009 Ministerio de Cultura

maxime petebat oppidanos, qui ſe ſuis ſpoliari ſedibus, ac ſenſim eripi ſibi patriam videbant; facile eos commovit, conjunxitque, ut conventum una Lanceirum Gubernatorem ſedulo urgerent; Conſideraret, quo res loco redacta jam eſſet: deſtrui paulatim omnia: namque ex oppido quantum ſupereſſe? profecto ſi hoſtis pergeret, quid ultra ipſi defenderent non habituros, niſi ſi ſub terras aliam ſibi conderent, ut jam cœperant, Wacendoncam. Nec falſa Gubernator audiebat. Sed, ut ei decus proprium, quam damnum alienum potius erat, negavit admiſſurum ſe aliquid indignum ſe, præfecturaque ſua: *cauſam & civium, & militum communem eſſe: immo ſi ipſi parietum ac ſaxorum ruinam tantopere ſentirent, meminiſſent militem alienis commodis libertatique ſanguinem ac vitam commodare. Nihil adhuc omiſſum, factumve à ſe, quod pœnitendum, aut excuſandum haberet. alterum jam menſem vigilantia ſua, ac militum fortitudine, arceri à muris hoſtem. quod ſequitur, anni tempore, pro ſe militibuſque calum, atque hiemem pugnatura. Hac Mansfeldium cura metuque ſubactum, non virium fiducia, aut ſpe victoriæ inductum propius nunc opera mœnibus admoviſſe, oppugnatione in poſterum diem, ut fertur, indicta: nempe ut, quando properanti noſtrum in auxilium hiemi nimbis ac tempeſtatibus armata cedendum videt, expertus prius omnia, extremiſque prætentatis, honeſtius recedat. Sed ut neque hoc ipſum ei contingat ex ſententia, cum delectis bellatoribus progreſſurum ſe obviam, effecturumque, ut ante à militum virtute, quam à temporum neceſſitate fugatum ſe videat.* Hæc fatus, hortatuſque dein ſuos ad ſubmovendum foſſæ imminentem hoſtem; vix dum mane diluxit, quum accinctos ad prælium, quod infauſte illi caſurum erat, educit. Tranſierat jam injecto ponte Mansfeldius cum exercitus parte Neram amnem, qui ante oppidum tenui fluens aqua non tenue munimentum foſſæ admovet: ac directis è duplici ſuggeſtu muralibus tormentis, queis dum propugnaculum

1588.

ad ſuadendam Gubernatori deditionem,

qui eos ad conſtantiam hortatur:

& cum delectis præſidiariis erumpit.



2009 Ministerio de Cultura

1588. Neræ obverſum aperiretur, milites paratis jam ponticulis cratibuſque foſſam ingreſſi in oppidum penetrarent, omnia ad oppugnationem adornaverat. quum Lanсteirus, propugnatorum promptiſſimis ſecum eductis, hoſtium partem, qui jam flumen tranſmiſerant, ante foſſæ marginem improviſus aggreditur. Senſit Mansfeldius ſuorum periculum: diſſimulatoque magis, quam contempto, converſus ad eos, *En prodiere*, inquit, *ex incenſis latibulis ſuis extracta demum fera. Non hæc militaris eruptio eſt, ſed fuga ex urbana conflagratione male ſuperſtitum. ultimus hic eſt morientium conatus, ac breves minæ, non pluris utique facienda, quam anguium, quum ſecto corpore poſtremum cauda ferociunt.* Simul hæc dicebat, ſimul alios trans amnem feſtinare gradum imperabat. Pugnabaturque ab utraque parte quam acerrime. Et principio quidem apud Mansfeldianos, non expectata eruptione, plus cædis erat, ſed damni tamen minus, ſuperante numero: deinde vero ubi Lancteirus è pugna, quam inter primos ſtrenue ciebat, ſauciatus exceſſit, vertere demum terga præſidiarii, fortiſſimis ſuorum amiſſis, coacti ſunt. Hæc porro clades, ac deſperatio Anglici auxilii, quod è Gertrudisberga Norritius adducere conabatur; milites adegit, & oppidanos in ſententia firmavit, ut miſſis ad Mansfeldium oratoribus, de loci deditione tranſigerent. Et quamvis præſidiarii primo conditiones abnuerent, (nam Bonnenſibus immiſti durius tractabantur) ceſſere tamen, præſertim deditionem urgentibus oppidanis: & ſine armis ac ſignis, permiſſis tantummodo ſarcinis cuique ſuis, ſub exitum Decembris emiſſi ſunt. Mansfeldius autem lætus capta nunc armis à ſe Wactendonca, quam antea dolo fruſtra tentaverat, & quam prope inſuperabilem multi canebant, poſtquam præſidii parte è Gravia educti locum muniit, Bruxellas ad Alexandrum reverſus eſt. qui ſuper ea victoria Regi ſcribens, Comitem eidem impenſe commendat, dilaudatque, quod homo id

In Mansfeldianos aggreſſionem adornantes.

confirmat eos Mansfeldius.

Pugnatur:

dubie primum,

poſt, cæſo Gubernatore, fugantur.

& deditio ſuccedit.

*Alphonſ. Vaſquez. in Comment.*

Alexander cum victoriæ nuncio, Mansfeldium Regi commendat. 30 *Decembris*

©2009 Ministerio de Cultura

il ætatis in perdifficili adeo expeditione ad exitum feliciter adducenda, labores omnino nullos vel cum vitæ diſcrimine ſubterfugerit. Quæ epiſtolæ verba ſatis oſtendunt, non à Carolo Mansfeldio, quod multi ſcribunt, ſed ab Erneſto patre captam fuiſſe Wactendoncam. 1588.

GERTRVDISBERGÆ deditio. *Diva Gertrudis mons*

Hæc dum obſideretur, magno præſidiariorum tumultu agitabatur Sangertrudisberga, oppidum ad Mervam fluvium, ſeu potius mare, ſitum: piſcatu opulentum, & hoſtium injuriis natura in primis, ac manu ſubtractum adeo, ut à multis inter arces Belgarum inexpugnabiles adnumeretur. inde lis vetus inter Batavos ac Brabantinos, provinciæ quemque ſuæ Gertrudisbergam aſſerentes: ac ſolitos olim, illos quidem ad poſſeſſionem retinendam, hos vero ad recuperandam, ſacramento adigere Principes ſuos. Acceſſerant nova urbi munimenta ab Orangio Principe, qui hanc ſibi veluti clavem aperiundæ Brabantiæ ſepoſuerat. Erat loci præſidium ſub Ioanne Vingefeldio nobili Anglo, mille ac quingentorum peditum, equitumque trecentorum, ex quibus non pauciores ſeptingentis numerabantur Angli: qui ob poſtremas inter Leiceſtrium Ordineſque diſſenſiones, ac diſtractas propterea Fœderatorum provincias, etiam poſt qualemcumque reconciliationem, inviſi ſuſpectique Hollandis habebantur, præcipue Comiti Mauritio, qui ut Gertrudiſbergæ Dominus, atque adeo urbi ſuæ timens, ſtatuerat poſtquam ſibi in locum patris adſcito belli ſumma tradita erat, illo Anglorum præſidio Gertrudisbergam, & ſe, tali denique metu liberare. Gubernabat vicinam huic oppido Bredam vetus Centurio, Spinulæque legionis Inſtructor Odoardus Lanceavecchia: quem inter, & Anglorum militum nonnullos familiaritas intercedebat. Hic quoniam Mauritii conſilium penetraverat, utendum ſibi occaſione putavit ad Anglos non ſatis ex ſe pacatos, ab Ordinibus abſtrahendos, ac partibus conciliandos. detecto-

Lis de ejus dominio. *Guicciardinus in deſcript. Belgii*

Munitio.

Angli præſidiarii Com. Mauritio infenſi.

*Gaſto Spin. Odoard. ex Alexandria* ac ſollicitati à Bredæ Gubernatore.

2009 Ministerio de Cultura

1588. detectoque illis, quid Mauritius moliretur, facile renovavit veterem in Ordines iram. Igitur Angli miſſis, qui debita dudum ſtipendia ab Ordinibus minaciter efflagitarent, teſtati ſunt, ſi diutius æra differrentur, ſe ſibi ex ſubmiſſo mulctatoque oppido abunde ſoluturos. oppidanos interea divexare, portoria intervertere, prænavigantes vi ſiſtere, prædas abducere, cuncta hoſtium ritu agere. Mauritius, diſſimulata offenſione, complacare militum animos per Norritium, perque alios primarum partium apud Anglos, & egreſſuris quina offerri ſtipendia ex denis, quæ debebantur, primum inſtitit. Sed quum illi ne unciam quidem ex univerſa ſumma remiſſuros ſe, neque ex urbe veluti ejectos, pedem elaturos ſuperbe reſponderent; omiſſa diſſimulatione, armis domare contumaciam, Ordinum decreto, jubetur: comparatoque raptim exercitu quatuor circiter millium armatorum, (plures poſtea convenere) partim navibus è Dortrechto, partim campeſtri apparatu ad Dongam flumen, obſidione oppidum cingit. ſua videlicet oppugnaturus impendio multo, quæ longe minore ſumptu ſolutis ſtipendiis recepiſſet. Intendebat ad hæc Alexander, & ut cœpta Gertrudenſium militum firmaret, opportunum habuit, compoſitis ad eos litteris, præſens adverſus Hollandorum conatus auxilium polliceri. Sed nunciis litteriſque nulli aditus ad obſeſſos patebant. quippe non ſolum factitias vias inter humiles ſeſſileſque campos, ad ſiccum iter, aggerum more, attolli ſolitas, munitionibus occupaverant: ſed etiam à mari continua navium corona, & à terra caſtrenſi ambitu ita cuncta obſepſerant, acceſſus ut omnes & commercia Gertrudenſibus interclusa viderentur. Sed invenere illi exitum, neceſſitate monſtrante. Nam quum anguſtius quotidie premerentur, eoq; collatis anxie capitibus ſententiiſque, opus ſibi Parmenſis ope conficerent; tres obtulere ſe milites perferendis Bredam litteris ad Præfectum Lanceavecchiam, delectaque

*Marginalia:* hoſtilem animum erga Fœderatos oſtendunt. — Mauritius poſt mollia remedia, — arma parat, *Mauritius* — & urbem Angloſque obſidet. — Alexander opem illis pollicetur. — *Dicchi* — obſeſſi à Mauritio, Bredam ad Gubernatorem mittunt,

©2009 Ministerio de Cultura

1588.

que nocte inter imbrium ac tonitruum fragores fallendis auribus oculiſque percommoda, demiſſi è mœnibus, natanteſque, nec niſi ſero, poſtquam extra ictum erant, intellecti, Bredam incolumes pervenere. Ibi adventus ſui ſigno, uti inter eos convenerat, facibus dato è Bredana turri, acceptoque conſimili ex obſeſſa civitate reſponſo, illico à Lanceavecchia ad Parmenſem Ducem Bruxellas immiſſi ſunt. Quo profecti, quid commilitonibus ſuis decretum eſſet, Farneſio expoſuere. *Multa ſibi ſtipendia ab Hollandis deberi: eorum loco verba primum reddita, deinde minas & probra ingeſta, poſtremo arma & obſidium illata: ſed non terrorem propterea injectum: neque ſe ea de cauſa quaſi ſupplices ad Hiſpana arma, quæ hactenus non inſtrenue impugnaverint, confugiſſe. ſatis ſibi animorum, ſatis virium eſſe, quibus minas & conatus obſidentium fruſtrentur. Sed quoniam experti jam ſint, nunquam ſatis cautum iri inter ſuſpectos ac ſuſpectantes, idcirco omiſſo infida reconciliationis conſilio, tutiora cogitaſſe, ac decreviſſe, ſe urbemque in ejus manus committere, quem nemo adhuc hoſtium fuerit, qui ut armatus non timuerit, ita victus non amaverit. Neque de ſe queri Hollandos merito poſſe, quod commiſſam ſibi urbem Hiſpano permiſerint, quando ipſi dum eam Hiſpano rapuere, aliis idem ab exemplo facere commonſtrarunt.* Ad ea Alexander poſtquam accipere ſe reſpondit, quam Regis urbem Regi reſtituerent, ad obſidionem paucos adhuc dies eadem, qua cœperant, conſtantia ſuſtinendam animavit, pollicitus acceſſurum quamprimum ſe, rejectoque ante muros hoſte, navatam ab obſeſſis militibus, operam non infra eorum opinionem ac vota remuneraturum. Ita dimiſſis nunciis, protinus evocatam è vicinis locis præſidiorum partem, eiſque adjunctas Bobadilliam Arembergiamque legiones, Bredam, ductore ipſo Arembergio præmiſit. Simul, quoniam à Valentino Mottæ Domino, nova oblata occaſione, ad Oſtendam retentandam urgebatur; ſigna aliquot peditum ex Sancii Levæ, ac Ferrantis Gonzagæ legionibus, cum turmis

inde Bruxellas contendunt.

Alexandro deditionem urbis offerunt.

Alexander ad eos obſidione liberandos,

copias legit,

& alias copias Oſtendam immittit,

2009 Ministerio de Cultura

1588. turmis equitum Nicolai Cæſii, ad eam expeditionem Mottæo permiſit, non tam quod ei ſucceſſuram ex ſententia ſperaret, uti non ſucceſſit, quam ut hoſtium copias diſpararet, ne novis auxiliis in Gertrudenſem obſidionem validius convenirent. Namque de obſeſſorum fide conſtantiaque ſollicitus, ac veritus ne forte illi, ubi ſe liberos obſidione viderent, mutato repente conſilio, aut urbem in Angliæ Reginæ nomen aſſererent, aut Hollandis reconciliati obſequium reſumerent; decreverat quibus armis opem Gertrudenſibus ferebat, iiſdem ſi fallerent, vi ad deditionem eos adigere, urbemque ex eorum manibus extorquere. idcirco & hoſtium vires alio diſtrahi cupiebat, & ſuas, quibus ipſe præſens intereſſet, augeri voluit.

*ad avertendos alio Fœderatos. Angli*

At vero Mauritius, audito præmiſſas à Parmenſi Duce copias Bredam adventare, oppugnationem ſollicite feſtinavit, everberatiſque continenti tormentorum impetu mœnibus, curante à mari Petro Vanderdoſto, rei maritimæ per Hollandiam præfecti legato, & à terra Villerſio caſtrorum præfecto, in ipſo propemodum conatu aggrediendi, aggreſſionem interſiſtere coactus eſt; adeo oppugnantium multi crebra inevitabilique pilarum tempeſtate è mœnibus ſternebantur, interfecto præſertim Villerſio, cum aliquot belli Ducibus, graviterque ſaucio, præter complures alios, Vanderdoſto. Itaque omiſſa in præſens oppugnatione, communire caſtrenſem aggerem adverſus externa ſubſidia perſeveravit, conſilium inde invadendi hoſtem opportunius feliciuſque capturus. Sed hoc ipſum conſilium fama adventantis Alexandri interturbavit. Etenim is, ut præmiſſam Gertrudenſibus opem præſentia urgeret ſua, quamquam ægro jampridem corpore, aſſumptis aliquot turmis, cum Paſtranæ Duce, Petro Caëtano, Caroloque Mansfeldio, Bruxellis continuo Liram abiit; atque altero die Bredam advectus, juſſit multo igne è turri elato, & crebro feſtoque ſonitu tormentorum, adventum ſuum obſeſſis

*Mauritius oppidum aggreditur,*

*Viceadmirallus*

*infeliciter:*

*& audito adventare Alexandrum, Alexand.*

2009 Ministerio de Cultura

obſeſſis Gertrudenſibus ſignificari. inde explo- 1589.
ratis obſidentium conſiliis, & caſtrorum ſitu
operibuſque, poſtridie hoſtem in ipſis munitio-
nibus aggredi conſtituit. Sed Mauritius ab in- recedit.
ſolito obſeſſorum gaudio, atque ab explorato-
ribus certior factus, congredi cum Parmenſi
Duce non ſuſtinuit, impar ipſe militum nume-
ro, ac veritus, ne eodem tempore eruptione
Gertrudenſium, & regiorum aggreſſione, me-
dius interciperetur. Quamobrem ſignis ſub
primam noctis vigiliam ſilentio motis, Rams-
doncam proximum pagum petiit, ac poſtero
die milite navibus impoſito, Dordrechtum ſe
recepit, novis è vicina urbe promiſſis, atque
oſtentata claſſe animos Gertrudenſium ſtimula-
turus. Securiora cum iiſdem è Breda Parmen-
ſis agitabat, miſſo ad illos Odoardo Lancea-
vecchia, ut pulſis jam hoſtibus, promiſſorum
memores quamprimum ad ſe certos homines,
qui de deditione tranſigerent, Bredam allega- Angli legatos ad Alexandrum mittunt.
rent. Allegati, poſt conſcriptas utrinque con-
ditiones, quarum præcipua fuit, ut denum
menſium ſtipendia militibus ſolverentur, redire
Gertrudisbergam juſſi ſunt, efficereque, ut à ſcribuntur deditionis capita:
Præfectis militum, atque à Magiſtratu firma-
rentur pacta conventaque.

Verum reverſi ad ſuos legati cum Odoardo, Sed Anglorum multi mutato conſilio,
& Ferdinando Salina, ſupremo judicialium
cauſarum per exercitum Quæſitore, aliam pro-
fecto civitatis faciem repererunt. Nam & cre-
bris fœderatorum Ordinum legationibus, &
privatis Anglorum procerum litteris, & ſuper
hæc prælargis à Mauritio promiſſis allecti jam
militum multi non palam modo nutabant ipſi,
ſed etiam ſocios ad vetus ſacramentum in Or-
dinum Mauritiique nomina repetendum certa- ad Mauritium inclinant,
tim urgebant. Contra alii, & equites maxime,
infidam cum Hollando reconciliationem affir- alii perſtant.
mabant, & injurias redituras metuebant:
præterea datam Bredæ Præfecto dexteram, Lanceavecchia,
iram victoris Alexandri, ac vindicem ejus
exercitum memorabant. Ac primo quidem,



2009 Ministerio de Cultura

1589.

quaſi in ſenatu, ſententiis diſſidebant: mox jurgiis incaleſcentes, perfidiamque alteri alteris objectantes, neutra pars falſo, arma rapere, in partes furioſe diſcedere, & gliſcente hinc atque inde conglobantium ſe numero, gemina jam acies videri, ac prælium expectari.

tumultuantur,

atque arma expediunt.

Et prælium ſequebatur, ſed accurrentes Odoardus & Salinas, ille pro veteri amicitia orando objurgandoque, hic pro ea quam haberet rei componendæ poteſtate, abunde ſupra quam conventum erat, offerendo: uterque minas ultionemque à deluſo Parmenſi Duce intentando, furentium denique impetum continuerunt: partemque, unde tumultus occœperat, timore haud vano tardarunt. Iuvit opportune vox, incertum unde emiſſa, ac ſtatim credita, Adeſſe Alexandrum ad portas, promiſſam liberatamque urbem amico vel populabundo agmine, prout ipſi Gertrudenſes eligerent, intraturum.

ſedantur:

Sedatis ergo ſeu metu, ſeu quæſtus aviditate diſcordantium animis: addito ad conditiones, ut quina ſtipendia donativi loco militibus impertirentur, præter dena jam conventa: ac præterea, ne Hiſpani, neve Itali (quod civitas magnopere metuebat) ad præſidium loco imponerentur; acta Bredam miſſa ſunt ad Alexandrum; qui firmatis jam omnibus, inde abiens cum Carolo Mansfeldio, cum quingentis Wallonibus, & cum parte legionis Italicæ Camilli Capiſucchi, præter aliquot turmas Georgii Baſtæ, Gertrudisbergam acceſſit, obvio cum clavibus Magiſtratu, tum egredientibus præſidiariis accepto ære, intravit ipſe poſt præmiſſos Wallones, Italis ante portas cuſtodiæ relictis, equitibuſque mœnia obequitare juſſis.

& Alexander egredientibus Anglis, urbem ingreditur.

10 April.

TVRBÆ repente natæ.

1 Maji 1589

Parva interim res, quidquid ad eum diem actum fuerat, pene perdidit. Id ego, uti ipſe Parmenſis Ioanni Idiaqueſio in Hiſpaniam fuſe perſcripſit, paucis contraham. Remanſerant in urbe ex Anglis pedites circiter quadringenti, ac turmæ equitum duæ, vehicula oppe-

2009 Ministerio de Cultura

opperientes, quibus impoſita ſupellectili Bredam peterent, ibi Regis in militiam, uti poſtulaverant, adſcribendi. Hos Alexander dum componeret, Odoardo, quem Præfectum loci deſignaverat, imperavit, ne urbem ingredi quemquam ſineret Italorum aut Hiſpanorum, niſi ex aulæ bellive Proceribus uno, alterove, ad ſummum quam pauciſſimis: ne forte plurium conſpectus externorum, cives offenderet, quaſi conditiones violarentur. Nec poſt multo Paſtranæ Dux, viſendæ urbis cupidus, cum aliquot Hiſpanorum comitatu ad Portam accedit. Opponit ſe illi Centurio foris excubantium Italorum, ſed agnitum, nihil moratus intromittit. Verum comites ſecum trahere paranti reſtitit illico, qui cum globo militum illuc venerat Odoardus, negans patere illis aditum in urbem: ita ſibi à Parmenſi, ne quemquam admitteret, ſevere mandatum. Tum is torve hominem intuens, Quaſi vero, inquit, in hiſce mandatis non excipiantur mei ſimiles. Nec ideo abſiſtebat alter, affirmans, ſibi quidem imperia majorum exequenda, non interpretanda: innuenſque militibus, ut oſtium occluderent, abibat. Hic vero Dux offenſæ impatiens, impulſis vi foribus, comitem unum, & alterum, & reliquos manu prehenſos ſecum attrahit: mox Odoardum aſſecutus non procul à foro, ſtricto gladio, in hominem vadit. Ille, vetus miles, defenſione contentus, facile repellebat Dynaſtæ hiſpani furibundos magis ictus, quam timendos. Quum inſerentibus ſe pugnæ hinc comitibus Ducis, inde Odoardi militibus, ſimul Anglorum accurſu manipulatim à foro; innumeri extemplo fulſere gladii, ignari, quem peterent, aut cui accurrerent. Donec tumultu audito, comperta que cauſa, provolans illuc cum Mansfeldio Alexander, nimiam armorum confidentiam increpuit, inhibuitque: retraxit in forum Anglos, Wallones in mœnia, unde jam feſtinabant, protinus remiſit. Tum apud ſe repu-

1589.

Externos arceri urbis aditu jubet Alexander: *Gertrudisberg*

Paſtranæ Duci comites ſuos introducturo

reſiſtit Gubernator,

*Paſtrana*

*Odoardus*

Ille vi ſuos intromittit,

& Gubernatorem aggreditur;

multis hinc atque hinc arma ſtringentibus.

Dirimit pugnam Alexander;



2009-Ministerio de Cultura

1589.

& conſiderato periculo tam Paſtranæ Ducis,
*Paſtrana.*

tans, quam prope factum ſit, ut inter eas turbas, in eaque armatorum licentia, vir ſane primarius, atque inter hiſpaniæ Magnates Regi apprime carus, à gregario quopiam milite conſideretur? quanto cum Regis mœrore, & querimonia? atque adeo quanto apud eumdem cum gratiæ famæque periculo? Nec minus

quam urbis,

animo verſabat horrebatque diſcrimen urbis ac ſui, ſi per eam inteſtinæ diſcordiæ opportunitatem, vicina Mauritii claſſis in conſpectum ſe dediſſet, pronis ad accipiendum veterem dominum Gertrudenſibus hæreticis ferme omnibus, eoque catholicorum regimen averſantibus.

& ſuo,

& præterea ſi, qui emiſſi, (nec procul aberant) præſidiarii, ad novi tumultus famam ſtatim reduces, conſilia ac vires cum Anglorum agmine adhuc in urbe ſubſiſtentium conſociaſſent, (id quod de hiſce hominibus venalem fidem huç illucque flectentibus dubitari potuit) quo ſe modo infida in urbe concluſum cum paucis Wallonibus atque Italorum cohortibus defendiſſet? Proinde in eos commotus, quorum videlicet, hinc indeflexa ſeveritate, inde intempeſtive uſurpata nobilitatis prærogativa, in ea pericula publicam rem privatamque tam prope conjectam vidiſſet; ſtatuit id non abſque publica aliqua ſignificatione præterire. præſer-

& detrimento diſciplinæ militaris;

tim quod pertinere ad exemplum intelligeret, ſi aggregandæ Anglorum cohortes edocerentur, nullum utique laxamentum diſciplinæ, quæ læſa nonnihil ab Hiſpani Ducis licentia videri poterat, catholico in exercitu impune permitti. Placuitque, quo mollius ageretur, Mansfeldium & Caëtanum Parmenſis nomine

Paſtranam Bredæ attinet.

ſignificare Paſtranæ Duci, ut ſe Bredam conferret, ibique ſubſiſteret tantiſper domi, dum illuc ipſe, compoſitis Gertrudisbergæ rebus, adveniret. Et Odoardo, ut Bredam reverſus

*Alexand.*

certo ſe loco contineret, imperavit. Quo poſtquam venit Alexander, admiſit qua ſolebat

eoque humaniter audito:

antea comitate Paſtranæ Ducem, audivitque haud gravate facta excuſantem, affirmantemque:

2009 Ministerio de Cultura

1589.

que: Nihil ſe per contemptum, aut per contumaciam attentaſſe; ſed hominis inurbanitate coactum fuiſſe, ut ultra morem modeſtiæ ſuæ progrederetur. Ad quæ Farneſius tantum addidit, Odoardum, militem quam aulicum meliorem eſſe: id tamen ei non magnopere vitio tribuendum: immo belli Ducibus curandum, ne per iſthæc molliora mandatorum interpretamenta, vis obedientiæ militaris enervetur. Tum juſſo Odoardo Ducem ſubmiſſe adire: exceptoque ab eo perhumaniter, compoſita res eſt. Sed ante hæc, componendo Gertrudisbergæ ſtatui operam adjecerat. creavit è numero catholicorum, quos pauciſſimos repererat, magiſtratus: advocavit ad res ſacras ordinandas Antiſtitem Buſcoducenſem: addidit urbis præſidio ſeptem præterea cohortes Wallonum, ſub vetere centurione Monceavo: civitatem Odoardo Lanceavecchiæ commiſit, qui & hujus & Bredæ præfecturas, dum aliud ſtatueret, adminiſtraret: denique Mansfeldio imperavit, contra Heuſdam, caſtellum excitaret, quod ſimul præſidio foret Gertrudisbergæ, ſimul excurſiones ab Heuſda in Buſcoduci confinia cohiberet. ipſe autem ductis ſecum duabus Anglorum turmis regiæ militiæ adſcriptis, (nam pedites ex eadem natione ad Stanleum Chiliarchum miſcendos ejus legionariis immiſerat; opportuna ſemper eorum, qui ab hoſtium caſtris tranſeunt, diſtractione) Bruxellas reverſus eſt, Regi gratulatus apertas jam in Hollandiam fores, unde liberior ingreſſus in hoſtium abdita, Deo duce, ſperari queat. Sed non hæc ideo victoria imminuit Alexandro morbum, quo pridem ex aqua intercute laborare cœperat. Acceſſerat & febris in reditu contracta, quum Diliam trajiciens, ſubſidente ponticulo, cum equo prolapſus, & aquis coopertus, deponere madidas veſtes Bruxellas uſque contempſit. Itaque medicorum conſilio ad Spadanas aquas apud Tungros profecturus, militiæ per Brabantiam hibernanti

*juſſoque Gubernatore Paſtranam ſubmiſſe adire, rem plane componit.*

*compoſito prius Gertrudisbergæ ſtatu civili ſacroque.*

*Boſduc.*

*Tum gratulatus Regi ex hac victoria apertam in Hollandiam viam.*

*æger Bruxellas redit.*

*Inde ad Spadanas aquas iturus*

 nanti

2009 Ministerio de Cultura

1589. nanti Carolum Comitem Manſfeldium præfecit: & ne per abſentiam ſuam interea ceſſaretur, jubet illum Heuſdam, & vicinas arces, aſſumptis ad ea, quibus opus ſit, copiis attentare. Sed raro abſente Duce, manſit in caſtris è nationum præſertim varietate conſtantibus idem tenor diſciplinæ. Non eſt exercitus ex eo genere machinarum, quas multiplici rotarum ſerie mobiles ſi mane temperaveris, nullo per reliquum diem moderante, ipſæ ſe ordinate circumagunt, æqua horarum partitione, ac pulſu. Solarium eſt, quod, niſi ſol adſit, ac perpetuo præſens umbras dirigat, nulli eſt uſui. Et ſane ſenſit Imperatoris abſentiam exercitus ejus.

*partem exercitus Manſfeldio committit.*

*Horologium*

Manſfeldius obſidere Heuſdam eminus aggreſſus, captis Herpta, & Hæmertio Heuſdæ proximis, parabat obſidionem contrahere, aditumque externis auxiliis intercludere: quum ſpe allectus à Bommelienſi cive Bommeliam potiundi, dum partem militum eo transfert, utrique intentus, neutram obtinuit: proditione hic detecta punitaque, illic extenuata obſidione, atque adeo commeatu ab hoſtibus in urbem facile comportato. Iacturam tamen utcumque poſtea reparavit. Nam convento apud Spadanos fontes Alexandro, ejuſque imperio, auctus Sancii Levæ, & Ioannis Manriqui, & Franciſci Bobadillæ Legionibus: (quarum mediam Didacus Avila Calderonus, poſtremam Emmanuel Vega Capivacca, Centuriones primarii, Tribunis abſentibus, moderabantur) Bommelianam inſulam intravit: & Brachela, & Roſſemio in poteſtatem redactis, caſtra poſuit ad Hedelam arcem prope Moſæ ripam contra Crepicordium, ſitu magis opereque, quam præſidiariis ferme quingentis, ac præfecto Sidemburgio munitam. Hujus ad foſſam promoto Manſfeldius aggere, petitaque incaſſum deditione, tormentis furere ab aurora ad occidentem uſque diem perſeveravit: concuſſaque, mox & alicubi disjecta jam arce,

*Manſfeldius arces aliquot capit*

*Bommel. Heuſ.*

*& novis auctus copiis. Menſe Iunio*

*Bommelianam inſulam intrat. Heel HEDELAM obſidet, oppugnat:*

2009 Ministerio de Cultura

arce, Sidemburgius, ac milites non expectandam aggreſſionem decrevere, miſſo propterea in muros ad petendum colloquium tympaniſta, quo per contemptum pila trajecto non ſatis militariter ab Hiſpano jaculatore: nec ideo ceſſantes pileis ſuper haſtas impoſitis, magniſque clamoribus deditionem offerre; accepti ſunt arbitrio victoris: ac dedita arce, relictiſque armis ac vexillis, eodem die dimiſſi ſunt. 1589.

colloquium non admittit. in deditionem arbitrio ſuo accipit.

Acciditque inter hæc aliquid per quam indignum, decorique Hiſpanæ militiæ inſuetum. Ex Hiſpanis legionariis, qui dum Hedela quateretur, certis ſtationibus continebantur, poſtquam viderunt arcem dedi, complures tanquam ſoluti ea cura, ſtationes ac ſigna deſerere, ac vicina in loca reſpicere cœperunt, ſpe alicujus prædæ, ac, per abſentiam Imperatoris, minore à Tribunis metu. Id vero Mansfeldius ægre ferens, præſertim egredientibus tunc ab Hedela præſidiariis, ac diſciplinam regii exercitus fama exinde minorem æſtimaturis; jubet, quando à Centurionibus revocare militem conantibus parum proficiebatur, in remotiore caſtrorum parte tympana tubaſque repente occanere, ſubitaque ad arma conclamari: quaſi adeſſet hoſtis, qui nova in arcem auxilia inveheret, aut in aliquot è ſparſis ac palantibus improviſus incurreret. Creditum id militibus, quoniam in adverſa Vahalis ripa hoſtem paulo ante conſpexerant. Sed idem armorum ſignum, quod Hiſpanos extemplo revocavit conglobavitque, præſidiarios Hedela abeuntes ceu veritos, ne in ſe illud claſſicum cecinissent, ſuamque in necem redirent Hiſpani, in fugam huc atque illuc ignaros trepidoſque diſtraxit. At ea ipſa fuga quaſi manifeſtos retentatæ aggreſſionis argueret, in ipſorum perniciem Hiſpanos incitavit. Et accendit cupidinem ultionis ipſe aſpectus inſulæ, in qua eædem legiones ante quatuor annos aquis obſeſſæ, enectæque frigore; hoſtibus ludibrio, & tantum non prædæ fuerant. directis itaque ſclopis, aut ſtrictis gladiis inermes atque

Militum Hedela abeuntium cædes, Hiſpanos ad prædam ſparſos

aſtu revocat Mansfeldius,

Sed mutuo errore,

& loci aſpectu incitantur Hiſpani ad perniciem militum abeuntium.



2009 Ministerio de Cultura

1589. innoxios invadunt, tanta utique inclementia, & adverſus imperantes contumacia, ut imbuti miſerorum ſanguine, niſi trucidatis propemodum omnibus (nam è quingentis vix triginta ſuperfuiſſe ipſi tradunt Hiſpani ſcriptores) ſiſti ab inſana illa cæde nequiverint. At ubi reſedit inconſultus furor, quamquam turbidos & adhuc minaces, ſubiit ultro facti pudor, & aperta erga Mansfeldii commentum indignatio. Gravius tamen ſuper eo facinore Comes ipſe Mansfeldius, ac Tribunus Leva, cujus à legionariis ea cædes occœperat, diſcordarunt, in verba provecti tanto ex una parte irreverentius, quanto ex altera imperioſius. Profuit tamen præſentia Antonii Levæ Aſculani Principis, & Roderici de Sylva Paſtranæ Ducis, qui in belgio Regis exercitu inter honorarios haſtatos, auſpicari ſub Parmenſi Duce militiam, non utique duxerant infra dignationem Magnatum Hiſpanorum. Horum authoritate contentio palam deſiit, offenſio manſit in occulto. Sed hic utcumque latens & indigeſtus humor torſit adeo corpus hoc regii exercitus, ut paulo poſt ſummum in diſcrimen adduxerit. Nimirum non magis (ex effatis medicorum) in ſemicurato purgationibus corpore letales plerumque morbos pariunt humorum reliquiæ: quam diſſenſiones in ſpeciem cohibitæ, ſed magna adhuc ex parte in præcordiis belli Ducum pertinaciter abditæ, exercitum omnem non modo ad præclara quælibet audenda ſegnem invalidumque reddunt, ſed interdum etiam iis obnoxium cladibus exponunt, quas voto potius quam gladio intuliſſet hoſtis. Offenſionem Levæ facile excepere milites ſui, amore in Tribunum, ac veteri odio in Mansfeldium, velut Hiſpanis, ut ipſi ajebant, infenſum, & inſita Mansfeldiæ familiæ ſuperbia durius imperantem. Decreverat hic in extrema ad Occidentem inſula Bommeliana munitionem excitare, quam hoſtium caſtello objiceret, & inibi tranſmiſſo Vahali aditum in Hollandiam pate-

*Margin notes:* ſequitur cædes: *Carol. Coloma lib. 2. Alphonſus Vaſquez in comment. & alii* — & contentio inter Mansfeldium & Levam. *Leva Mansfeld.* — componitur contentio, non offenſio. — *Mansfeld.* Mansfeldio munitionem excitaturo

©2009 Ministerio de Cultura

patefaceret: uti monſtratum ſibi, injunctumque fuerat è Parmenſi Duce, in hoſtium latibula undecunque vias excogitante. Et res haud caritura ſucceſſu videbatur, niſi importuna Hiſpanorum ſeditio interceſſiſſet. Etenim poſtquam innotuit, in ea adhuc inſula, ex Mansfeldii deſignatione perſiſtendum, ac poſt in aliam inde inſulam tranſnatandum, turbari Levianis in caſtris cœptum eſt. Ac primum quum è conſpectu Præfectorum aberant, clam multi convenire, ac ſecreta colloquia miſcere: tum, ubi mens eadem omnibus apparebat, palam per ſtationes, perque contubernia, Comitis deſignationem, & funeſtæ memoriæ locum averſari. *Quid enim*, ajebant, *an exciderat animo* (& erant permulti, qui commeminerant) *quanto in diſcrimine paucis ante annis Hiſpanorum arma, decus, vita, atque adeo Regis ac Religionis cauſa, eadem in inſula, hoſtibus circa inſultantibus verſata ſint. At eoſdem nunc hoſtes per Vahalis ac Moſæ ripas pugna intentos ab ſe aſpici: & eamdem obſidionem, inundantibus, appetente jam hieme, fluminibus timeri poſſe. An expectandum, ut iterum intra hac ſepta temere concluſis, iterum ab imbrium auctu, à fame, à gelu extrema paſſuris, novo cœlum miraculo opem ferat? Fuerit Mansfeldii temeritatis, in has ſemel paludes Hiſpani robur exercitus ad hibernandum projeciſſe. nunc autem ſtoliditatis noſtræ futurum, ſi eidem militiam hanc eluvionibus rurſum obruere deſtinati pareatur.* Sic illi conceptas animo turbas loci aſpectu, & periculorum proviſu incendebant. Sed egeſtas magna, & pecuniæ ſpes abunde ſupplendæ, præter vetus odium in Mansfeldium, tumultuandi cauſæ militibus erant: præſens timor ab inſula, occaſionem admovebat, addita ob Alexandri abſentiam, audendi libertate. Etenim anni ſuperioris hieme, Hiſpanæ legiones, quæ Liræ, quæque Mechliniæ hibernabant, otii aliquid à bello nactæ, præliares curas (more gentis armis aſſuetæ) in ludrica certamina commutaverant. mox laſcivientes, omiſſis durioribus militiæ meditamen-

Margin notes: 1589. | obſiſtunt Leviani | *Mansfeld.* | In ſeditionem acti. | Veræ hujus ſeditionis cauſæ. | Hibernantes Hiſpani, | ob ludrica ſpectacula,



2009 Ministerio de Cultura

1589. mentis, ad voluptaria converſi, amatoriis ornati ſymbolis, nunc Maurorum, nunc Turcarum, nunc Indorum habitu, ſub oculis nobilium feminarum hujuſmodi ſpectaculis geſtientium apparuerant. Inde gliſcente inter cohortes æmulatione pomparum, multi à mercatoribus interpoſitu fidei, nam pecunia defecerat, varias veſtimentorum formas, equorumque phaleras coëmentes: complures ipſa, quæ debebantur, ſtipendia negotiatoribus oppignorantes, aut à ditioribus Præfectis mutuam pecuniam ſumentes; brevi in magno ſpectantium gaudio, ipſi ære alieno graves eo devenerant, ut amiſſa cum re etiam fide apud caſtrenſes annonarios tabernarioſque, nihil accepturos ſe ab eis, niſi præſentibus nummis, exinde ſperarent. Hac porro ſollicitudine anxii circumſpectare animo cœperant, qua ratione aut debita ſibi plurium annorum ſtipendia ſemel extorquerent omnia, aut opulentum in oppidum irrumpentes, (ut ab eadem natione factum eſſe, capto olim Alosto, recordabantur eorum aliqui) ſtipendia ſibi prælarge perſolverent. Ergo an deſtinata exequerentur in præſentia, oblata uti dicebam occaſione, agitare ferociter inſtitere Levæ legionarii. Nam Bobadillianos & Manriquianos, quamvis par prope cauſa horum eſſet, Subtribuni Emmanuel Vega Capivacca, & Didacus Avila Calderonus turbidis Levianorum conſiliis ſubductos, obſequii conſtantes habuere: ſive amore ac reverentia erga Parmenſem Ducem, ſive æmulatione ac ſimultate inter ipſos ac Levam, quaſi gratiam ſibi ac legionibus ſuis apud Ducem ac Regem, comparatione ſeditioſorum cumulaturi. At Leviani, quos non ſolum peculiare in Mansfeldium incendebat odium, ſed & veteris prærogativa legionis extollebat, & magna utique nomina Aſculani Principis, & Paſtranæ Ducis in eadem legione militantium, ſecuros (utcumque res caderet) animabant; quamprimum peragere, quæ deſignaverant, properarunt.

& immodicos ſumptus,

ad pauperiem & æs alienum redacti,

*Vivandieri*

remedium à ſtipendiis & prædis meditantur.

inde Levia legio tumultuari;

2009 Ministerio de Cultura

runt. Viſæque contuberniis affixæ, aut colle- 1589.
ctæ ex humo ſchedulæ, in quarum aliis, *Regi* clam incipit
*vita, & crux male rem gerentibus*, acclamabatur. per hæc
legebatur in aliis epiſtolæ in morem, *Parmenſi* principia:
*Duci milites ſui. In exercitu tuo ſcito eſſe, qui per-*
*nicioſis Comitem conſiliis prodant.* Reperta & una *Mansfeld.*
tribus cum verbis, *Totum, idque in auro.* Quæ,
uti ſeditionis claſſicum, dum Leva Tribunus,
ejuſque Instructor Eſcovarius deteſtati, depre- *Sergente*
hendendis authoribus intendunt, conſpirati non *mag.*
ultra diſtulere. Erat vetus hæc legio unius ac
triginta centuriarum. harum octo alibi in præ-
ſidiis agebant, tres ac viginti hic militabant. 30 *Aug.*
Ex his centuriæ octodecim, nam quinque im-
motæ tunc quidem ſtetere; ſub primam no- mox palam
ctis vigiliam, è contuberniis quaſi ſigno da-
to raptim exſiliunt, contemptiſque Præfecto-
rum pleriſque, (aliqui connivebant) apud
ſedem armorum conveniunt, ſigna ac centu-
rias miſcent, magnoque tympanorum ac vo- tympano-
cum ſtrepitu ad arma conclamant. Primus Di- rum ac vo-
dacus Avila, atque Instructor Ortizius hoſtem cum ſtrepi-
rati, legionem ſuam, quæ non procul aberat, tu.
protinus educunt, ordinantque. Accurrit & *Subtribunus*
Comes Mansfeldius cum Wallonum manipu- Accurrunt
lo: mox quoque Vega, qui longius inde Bo- aliæ legio-
badillianos continebat, cum parte ſuorum fe- nes:
ſtinavit. At poſtquam nulli apparebant hoſtes, & Mansfel-
præter Levianos, qui occupato infeſtis ar- dius.
mis militari foro, diſſoniſque vocibus nunc *Armorum*
Malum regimen, pejoreſque conſultores de- *platea*
vorebant: nunc Aurum & diſceſſum ex inſula
efflagitabant; Comes hactenus prodire auſus, ſed hic non
inter Manriquianos, quos ei promptus animi ſatis à vi ſe-
Avila circumdederat, quo hæc turbamenta curus rece-
ſpectarent, opperiebatur. Obſederat vetus hæc dit.
legio forum: callem qui è foro in Hedelen-
ſem arcem, Mansfeldii ſedem, recta ferebat,
obtinebant Manriquiani: quorum agmini ad-
diderant ſe, Eſcovario ductore, centuriæ quin-
que è Levianis: infra compoſito pariter agmi-
ne Bobadilliani conſtabant. Belli facies erat,



2009 Ministerio de Cultura

1589. & ad pugnam diſpoſitæ hoſtium acies videbantur. Nec ſane mitiorem hoſtili ſpecie aggreſſionem Leviani præferebant, Tribuno ipſo, qui placandis ſuis inſiſtebat, truci clamore ab ſe rejecto: Patribus Societatis, qui apud eos ſacra procurabant, & reliquis à Mansfeldio ultro citroque commeantibus, non modo ſurda obſtinatione repulſis, ſed etiam miſſis ex ſua legione audacioribus, qui & diſſociatas centurias ad ſe reducerent, & ex aliis legionibus in partem conſpirationis, quos poſſent, attraherent. Et vero è diſſociatis plurimi transfugium parabant, niſi Centuriones ſui, & fideliores quique militum, nudatis gladiis, additis Manriquianorum minis, fugam utcumque repreſſiſſent. Tranſiere tamen ex iis non pauci, & ex aliis legionibus nonnulli: quibus aucti Leviani, intumeſcente motu, ac renovatis repente ſucclamationibus, ſubitoque tympanorum pulſu, & multa ſcloporum, ſed innoxia exploſione, in Manriquianos feruntur: incertum, (nullo enim duce, nec ſatis firmis conſiliis agitabantur) an ut Mansfeldium peterent, conſtringerentque: an ut reliquos ex ſuis centuriis ad ſe inde pertraherent, alioſque, quos utraque in legione eſſe complures cœpta non aſpernentes opinabantur, ſibi adjungerent, miſcerentque: idque ſi obtinerent, tum ſublatis ſignis inſula excederent, aliumque pro Mansfeldio Ducem, dum Parmenſis admoneretur, eligerent. Verum ubi denſatis in fronte militibus, prætentis cum haſtis expectari ſe à Manriquii legione, atque à tergo inſtare Bobadillianos infeſtis ſignis animadvertunt; ſiſtunt immoti gradum, quanto à ſpe decepti magis, tanto minus inferre vim auſi. non ceſſantibus interea hinc Tribuno Leva, ipſoque Aſculano Principe, mox & Paſtranæ quoque Duce: inde præcipuis aliarum legionum Præfectis, quibuſque aut gratia apud commilites, aut honeſti cura inerat, adire conſpiratos, inſerere ſe in ferociorum manipulos, illis Hiſpanæ militiæ dede-

*Marginal notes:* Repellitur Leva Tribunus, Leva & alii tumultum compoſituri. — creſcit ſeditio. — In Mansfeldium feruntur: — ſed terrentur aliarum legionum armis: — & honorum aliqui..:

2009 Ministerio de Cultura

dedecus, illis ſpretum in Mansfeldio Alexandri Ducis imperium, inque Alexandro ſpretam avunculi Regis Majeſtatem ante oculos ponere: ad eamque notam, quam ſuo nomini inuſtum irent, obſequio præcavendam, adhortari, ac miſto precibus terrore compellere. Idem Societatis urgere Patres, hoſtium non procul excubantium admonentes, qui ſi forte per eam occaſionem ingruerent, verendum eſſe, ne Deus talibus offenſus, inobſequentium arma minime proſperaret. Donec poſt inſumptum inter haſce turbas plerumque noctis, lux in ſuis quemque contuberniis, ad centurias ac ſigna retractos reperit Levianos. Crederes, quidquid modo turbatum diſcordiis, quidquid clamoribus, atque armorum minis attentatum, nocturnum ſomnium fuiſſe, tanta in caſtris inerat quies, factorumque diſſimulatio: plane ut ex ipſi tumultus incentoribus non defuerint, qui, ut ſe culpæ immunes oſtentarent, etiam præmia navatæ operæ in complacandis ſociorum animis petere auderent. Sed agniti à Leva, eorumque primarii octo comprehenſi, re cum Mansfeldio Comite communicata, quinque ex his procul à turba obſtricto collo, tres addito palam ſuſpendio, necati ſunt: nullo inter hæc motu legionis, ceu pejora pertimeſcentis: & eandem ob cauſam feſtinante ſupplicium Leva, ac, ne quid atrocius in ſuos ſtatueretur, occupante: ſimul & Mansfeldio facile illis qualemcumque animadverſionem permittente, nempe ut nulla ab ſe pœna reis impoſita, integras querelas ſuas Parmenſi deferendas reſervaret. Interim conſilio habito, viſum eſt Comiti, omiſſa in præſens, quam deſignaverat, expeditione in finitima Hollandiæ loca, non ultra experiri militum animos, quos triſti adhuc ſilentio, vultuque turbidos, non apparebat, factæ ne conſpirationis, an potius infectæ mæror tangeret. Itaque revocatis, quæ apud Heuſdam ſupererant, copiis: atq; arcibus, quas Bommeliana in inſula ceperat, aut erexerat,

1589.

& religioſorum adhortationibus.

Denique ſedantur, mira factorum diſſimulatione.

ſed octo ex illis plectuntur à Tribuno,

Mansfeldio permittente.

*Mansfeld* qui ſuſceptam expedetionem omittens,



2009 Ministerio de Cultura

1589. xerat, ſexcentorum Wallonum præſidio firmatis, ſub Grobbendonchio & Moſquetterio Centurionibus, tranſmiſſo apud Roſſemium amne Moſa, exercitum circa Graviam deportavit. Hic dum Parmenſis imperium à Spadanis aquis expectat, clam habitam de Bommeliana conſpiratione, ejuſque authoribus & conſiliis quæſtionem ad illum mittit: qui jam ab Ortizio primum, poſt ab aliis de nocturno illo tumultu certior factus, ingenti cura ſollicitus, amplius ſuper eo motu inquiri, ſeque diligenter edoceri mandat. Comperitque ex teſtificatione multorum, atque ex eorum, qui pœnas jam dederant, confeſſione, Levianorum tentamentum manifeſtariam ſeditionem fuiſſe. Namque eos palam recuſaſſe in Bommeliana ſubſiſtere, aut inde aliam in inſulam progredi: inter eos conveniſſe, ne cuiquam in poſterum, niſi ex ſua natione parerent: neve ſtipendiorum ſummam admitterent, niſi cum aureæ monetæ incremento, poſtulato inſuper diuturnæ militiæ donativo. His inter alia compertis, audit nondum ſatis quieſcere apud Graviam Levianos: timendumque, ne in alias ſenſim legiones proſerperet malum. Et ipſe, qui eam præ omnibus legionem caram habebat, quippe longa militia, & multa fortium factorum gloria præſtantem; quod tamen jam pridem obſervaret, ſuperbire in dies militem, arroganti oſtentatione laborum: atque inde multa ſibi ſuper alios attribuere, laxiore cura diſciplinæ; vereri cœperat, ne ea aliquando licentia in perniciem verteret, commiliteſque illuſtri exemplo pelliceret, ne puderet ſequi. Nunc quando eo ventum eſſet, occurrere invaleſcenti malo quamprimum ſtatuit, remedio aliquanto acriore ancipitique; ſed GRAVES morbos vel temerariis medicamentis interdum curari non ignorabat. Diſſolvendam ſibi propoſuit contumacem legionem, ſic ut militibus ejus aliis alio diſparatis, tumultuandi confidentiam, quæ in conſenſu ſe ſe una reſpicientium inerat,

*exercitum Graviam deportat. & habitam de Levianis quæſtionem mittit ad Alexand.*

*qui rebus excuſſis*

*& metu gravioris mali,*

*diſſolvere legionem ſtatuit.*

2009 Ministerio de Cultura

rat, opportune ſubtraheret: atque hunc fluminis tumorem agris agricoliſque minitantem, multiplici in rivos ſparſione comprimeret. Id vero, ut & motu quam minimo perageret, & legionis, quantum fieri poterat, honori conſuleret, quaſi expeditionem aliquam in Flandriam meditaretur, feſtinatis litteris è Tungris, ubi æger adhuc degebat, Levæ Tribuno mandat, omiſſa apud Graviam ſtatione, quamprimum legionem navibus impoſitam, per amnem Moſam Namurcum deportet: inde apud Tiletum, oppidum inter Gandavum, Brugas, & Cortracum; cum Valentino Mottæ Domino ſe conjungat, ibi audituros, quid facto circa ea loca opus ſit. Simul Mottæo, & Caëtano præcipit, ille ut cum aliquot cohortibus, hic cum quatuor equitum ſignis eodem conveniant: ſcilicet ad expeditionis opinionem eo apparatu ſuadendam, &, ſi quid forte à Levianis turbaretur, prompto illo peditum equitumque auxilio ſedandum. Eodem tempore Ioanni Baptiſtæ Taſſio univerſi exercitus Inſpectori ſcribens, aperit quid conſilii ceperit ſuper veteri legione ſupprimenda: injungitque Tiletum ſe conferat, traditiſque litteris ſuis Levæ Tribuno, ac ſingulis Centurionibus, curet pro ſua prudentia, ut ea militum diſtractio nullis tardatum cujuſquam turbis exitum ſortiatur. ea gratia delectam à ſe Flandriæ partem, arcibus frequentem, ac portubus fida cuſtodia communitis: ut & inter præſidiarias eorum locorum centurias valde attenuatas legio diſtribui proxime queat: & ſi, forte imperata facere recuſent, non adeo liberum auſugiendi aditum reperiant. At vero Taſſius, ſive ſponte ſua, ſive ſuaſu Aſculani Principis pro Leva gentili ſuo laborantis, antequam mandata exequeretur, Parmenſi Duci ſignificandum putavit: *Quanti operis ea res foret, unam illam eſſe legionem veluti ſeminarium, in quod novi ab Hiſpania milites tranſmitti conſueverint: ut in eo veterum bellatorum conſortio, militaribus praeceptis*

[Margin notes: 1589. — Ac primum ſcribit ad Levam Tribunum ſimulata expeditione, 9 Novemb. — Tielt — tum ad alios. — Sed conſilium aperit Taſſio Inſpectori: *Veedor generalu qui poſtea legatus apud Reg. Galliæ.* — Taſſius pro legione deprecatur: 13 Octob.]

2009 Ministerio de Cultura

1589.

*ptis in ſpem & ipſi veteranæ aliquando virtutis ado-
leſcant. An vero univerſus Regis exercitus ea diſci-
plinæ jactura plectendus ſit, ejus ſapientiæ expenden-
dum relinquere.* Addidit ad ſuas Taſſius, Paſtra-
næ Ducis, & Principis Aſculani epiſtolas, queis
illi orabant, ne florentiſſimam quot in Belgio
tunc eſſent, quotque fuiſſent aliquando legio-
num, tali dehoneſtamento notatam vellet: ſed
potius animadverſione in pauciores contracta,
ceteros ſibi ac Regi, liberali venia devinci-
ret. Sed nihil inde motus Alexander, Taſ-
ſio quidem, *Illam ipſam ſibi cauſam eſſe* reſpondit
*diſtrahendæ legionis, ne tyrones in ea ſchola ad con-
tumaciam erudiri perſeverent. Nec defuturam in re-
gio exercitu legionem, in qua bellicæ virtutis pariter
ac militaris obſequii tyrocinium ponatur.* Paſtranæ
vero & Aſculano Dynaſtis aſſeveranter affirma-
vit, *Verti in eo cauſam Regis, regiique exercitus ſecu-
ritatem. Motum legionis non ſimplicem ſtipendiorum
efflagitationem fuiſſe, in quo tamen modeſtiæ fines ex-
cedendi non fuerant: ſed imperii neglectum, ac mi-
litiæ detrectationem. id quod ex ſeniorum militum
confeſſione, nunquam de Hiſpana natione ad hanc
diem auditum. Ideoque ſpectare ad ipſos, quibus præ
ceteris Hiſpaniæ Magnatibus, commoda Regis ampli-
tudinemque cordi eſſe non dubitat, ſuſceptum conſi-
lium non modo æqui facere, ſed etiam authoritate ſua
provehere. Nam quod ad decus legionis pertineat,
curatum à ſe, ut nulla pœnæ mentione imperetur illi
hæc diviſio, ſed ut neceſſaria ſupplendis Flandriæ præ-
ſidiis raro jam pridem milite firmatis. Et quamvis
illos, in ſpeciem hæc dici, re vera puniri ſe, haud du-
bie intellecturos, & par eſſe, ut intelligant; tamen
quum hæc deliberatio neque verbo intimetur velut
culpa reis: neque ſcripto, uti mos eſt, in tabulas
tanquam pœna referatur; nihil, quod quidem exte
in poſterum, fortiſſimæ legionis honori detractum iri.
detractum autem, ſi intelligeretur, eſſe qui pro impe-
tranda illis venia, quæ culpam arguere nimirum ſo-
let, tantopere laborarent.* Abiit ergo Taſſius Tile-
tum, reperitque eo acceſſiſſe jam Levam. ac
poſt luſtratam Alexandri nomine legionem, ac
pecu-

Idem orant Paſtrana, & Aſculanus.

Alexander reſpondet Taſſio,

& Paſtranæ, & Aſculano:

Taſſius Alexandri litteras tradit Levæ Trib.

2009 Ministerio de Cultura

peculiares aliquos in ea milites ære præ aliis donatos, Levæ tradit Alexandri litteras. In iis continebatur, *Viſum è publico præſentique bono eſſe, legionem ejus aliis ſub ſignis per Flandriæ præſertim præſidia diſtribuere. Id ſe Regis nomine imperare: ſperareque pro ejus erga regiam Majeſtatem reverentia obſequioque, enixe curaturum, ut ſedato quam maxime compoſitoque milite peragatur. Quibus autem arcibus, quibuſve legionibus attribuendus quiſque ſit, noluiſſe ſe præſcribere, ejus prudentiæ permiſiſſe. deligeret ipſe, ac diſtribueret. tantum Centurionibus & peculiari munere in exercitu fungentibus arbitrium loci deligendi reſervaret: uti in litteris ad Centuriones* (quas Taſſius eodem tempore ſingulis tradidit) *ſignificabatur.* Perculſus inopinata denunciatione Leva, perculſa pariter legio, omneſque ceu fulmine attoniti hæſere aliquantiſper, varie animum exprimente vultu, nunc demiſſo, nunc minaci, modo in obſequium verſo, rurſum parendi ambiguo, aut etiam contumaciæ propiore. donec exemplo ſuo, obedientiæ modeſtiæque legionem Tribunus admovit. Nam poſtquam Taſſio reſpondit, Promptum ſe & Ducis Parmenſis imperio ſtatim obſequi, & eidem obſequio legionem addicere; evocato ad ſe centuriæ ſuæ ſignifero, is erat Petrus Sarmentus, quem poſtea Tribunum habuit regnum Neapolitanum: *Age*, inquit, *& vexillum demitte, complicaque, non amplius bellicos in uſus veteri legioni præferendum.* Paruit is, detracto velo ex haſta, haſtaque fracta. Sequuti exemplum reliqui ſigniferi, non tamen omnes æque prompti. Aliqui non tenuere præ dedecore lacrymas, quique toties vulnera ſiccis oculis velut aliena toleraverant, nunc penetranti altius telo inter ſuſpiria & gemitus ſuccumbebant. Alios longius abripuit dolor. juſſi vexillum deponere, diſcerpſere manibus velum, haſtile in fruſta concidere, quaſi jam religione ſoluti in iis ſignis Principem venerandi: atque adeo non paſſuri ex tam glorioſis victoriarum inſtrumentis vel minimam ignominiæ particulam

1589.

Earum ſumma.

Offitiali

*Rem ita geſtam Taſſius Alexand. ſcribit 30 Octobr. 1589*

Levianos parendi ambiguos in obſequio firmat Leva, voce,

& exemplo.

Varius legionis ſenſus;

009 Ministerio de Cultura

1589. culam ſupereſſe. Fuere ſpectaculo aliquæ ſimul centuriæ, quarum & Signiferi demiſſis tractiſque ſolo ſignorum velis: & Centurionis haſtulis præfecturæ inſignibus humi afflictis, aut fractis: & Inſtructores bipennium haſtarum ſpiculis terræ inverſis: & tympaniſtæ, fiſtulatoreſque lugubri legionem ſono velut extinctam depoſitamque, emortuali pompa complorabant. Sed jam inſtante partitione, acrior cura ſucceſſit circumſpectantibus, quem quiſque ſibi locum deligeret, aut ſors imponeret. Aderant in hac legione, cujus centuriæ, ut ajebam, octo in præſidiis alibi degebant, milites omnino mille ac ſeptingenti. ex hoc numero ii, quibus arbitrium ſedis eligendæ datum fuerat, Gandavenſem arcem præoptarunt. Majores minoreſque ſclopetarios, qui ex Alexandri præſcripto non niſi per Flandriam diſtribuendi erant, à Taſſio atque à Leva permiſſum eſt eorum Centurionibus, ut ipſi diſtribuerent. Pars itaque Neoportum, multi Dunquercam, alii Sluſam, nonnulli ad propugnaculum cataractæ Gandavenſis, plures Teneramundam miſſi ſunt. haſtati fere omnes, ac præcipui quique, in caſtra, Bobadillianis Manriquianiſque miſcendi tranſiere. Miſerationem inter hæc movit militum affecta ætate manipulus: qui variis è centuriis circa Taſſium conglobati, lamentabili voce allevamentum aliquod militiæ præcabantur. Nudaverant aliqui pectora cicatricibus aperta: oſtendebant alii capitum canitiem, & terga ſenio recurva: nonnulli etiam ora pandebant vacua dentibus inſpectanda: omnes attritæ defectæque viribus ætati aliquem Antverpiana in arce locum orabant, in quo ſemeſa membra, artuſque caſtrorum laboribus inutiles, remota à præliis ſtatione reponerent. Non erat Antverpia inter eas ſedes, ad quas eligendi arbitrium ſe extenderet, Taſſius tamen tam æqua veteranorum poſtulata, certus de Alexandri erga milites clementia, non rejecit. Sic aliis alio ſparſim abeuntibus, tanquam parti-

*Ginette*

*Alabarde*

*Piſſiri*

Diſtribuitur legio,

aliis alio miſſis.

*Sas de Gant.*

Miſerabilis aliquorum aſpectus,

& preces.

2009 Ministerio de Cultura

partibus ſenſim commorientibus, vetus legio finivit. Rex erat illam diu Chriſtophorus Mondragonius, Caroli V miles: cui ad arcis Antverpianæ præfecturam admoto Sancius Martinus Leva ſucceſſit, relicta equitum lanceariorum turma. Sub utroque Tribuno ſumma quæque milites patraverant, ac raro ſine illis victor Alexander: quod ipſe ſingulari in eos benevolentia, & frequenti commendatione cum in litteris ad Regem, tum in quotidianis colloquiis teſtabatur. unde legioni ſuperbia, factorumque jactantia: mox licentia, & diſciplinæ laxamentum: & poſt hæc, dedignatio parendi, & contumacia. At Levam nulla ſuorum culpa implicitum retinere apud ſe ad belli conſilia: & præcipuos quoſque incorruptæ fidei Centuriones in novam, quam deſignabat animo legionem, tranſcribere ſtatuit Alexander, miſſo in Hiſpaniam Præſide Richardotto, qui magnis de rebus agere cum Rege juſſus, expoſuit etiam veteris legionis ſucceſſum, ejus ſupprimendæ neceſſitatem, & novæ inſtituendæ conſilium. quæ quum Rex & facta probaſſet, & ejus arbitrio facienda permiſiſſet; uti ſcriptis ad eum litteris declaravit; Alexander, qui è Tungris confirmata valetudine jam redierat, univerſam Hiſpanorum militiam recenſuit. Ea tunc erat ſex fere millium armatorum, ſub ſignis octo & ſexaginta: quæ legionibus duabus, ac prætereà centuriis quatuordecim nulli legioni additis continebantur. Ex hiſce liberis Centuriis, atque ex Hiſpaniæ claſſis militibus, qui ex Anglia Scotiaque, partim pretio redempti, partim tempeſtatibus ad Galliæ littora delati, inde in Belgium recens appulerant, legionem tertiam compoſuit, duobus hominum millibus conſtantem, quem ad numerum reliquas duas æque reduxit. ſuperfuitque tantum adhuc militum, quantum ſupplendis locorum præſidiis opus fuit. Tribunum autem novæ legioni, in magna expectatione multorum, præfecit Alphonſum Idiaqueſium, juvenem quidem illum, qui-

*[Margin notes:]* 1589. Elogium legionis. — *30 Mart. 1590* — Hiſpanorum militiam recenſet Alexander. — Legionem tertiam componit, — ejus Tribunum nominat,

2009 Ministerio de Cultura

1589. quique ad id muneris paucos militiæ annos, ſed longum, inter regios miniſtros, patris obſequium, probatamque Regi in intima regnorum cura fidelem operam afferebat: nec tamen ipſe præter patris merita, carebat propriis, in turmæ præfectura cum laude ſpectatus, & majora promittens. Addidit ei Alexander pleroſque è Levianis Centurionibus diuturna militia probatis, & nullius noxæ in ſuorum ſeditione compertis. Et quoniam reliquæ duæ legiones ſine Tribunis jam diu regebantur, pro Didaco Avila Calderono, qui Ioannis Manrici Tribuni partes ſuſtinebat, ad Cortraci præfecturam tranſlato, Tribunum nominavit Antonium Zunicam S. Iacobi equitem, qui pedeſtres copias ab Hiſpania ante duos annos in Belgium adduxerat, militem egregie fortem, & capiendis animo conſiliis, & manu expediendis æque promptum. Legioni vero Bobadilliç non alium Tribunum impoſuit, quam qui eam pro Franciſco Bobadilla in Hiſpania commorante, accurate prudenterque gubernaverat, Emanuel Vega Capivacca. Denique ne Sancius Leva ab omni vacuus munere appareret, vir alioqui claris ortus parentibus, & qui non modo multa domus ſuæ merita, & fratrum res fortiter geſtas, obitaſque mortes; ſed etiam ſtrenuam operam ſuam, & fuſum pro Rege ſanguinem, haud vanus prædicatione memorare poſſet: idcirco, uti multa cum hominis laude ad Regem ſcribit, apud ſe illum honorifice habere ſtatuit, conſilio prudentiaque Majeſtati ejus inſervientem: donec oblata occaſione, ad præliares iterum curas revocandus videretur. Sic ille magnanimitatis ſuæ non oblitus, militari diſciplinæ invigilabat. Nam quem forte ſubmittendum cenſebat, eum prorſus extinctum, & injecta humo, ne aſſurgat, tumulatum velle, impotentis animi, & nimium ſibi metuentis arbitrabatur.

*Ioannes Idiaquesius*

& Tribunos aliarum duarum:

Levam vero apud ſe honorifice habet.

*10 Iun. 1590.*

*Alexand.*

At ego, dum rerum magis, ne eas diſtraherem, quam temporum rationem habui, nonage-

2009 Ministerio de Cultura

1589.

ageſimum in annum tranſgreſſus ſum. A quo ut pedem retro feram, multa me admonent, actæ locorum ipſorumque prædatorum prædæ, orta ſuper his legionum diſceptatio, impenſa ab hoſte humanitatis officia, fortuiti magnorum militiæ Ducum obitus, pugnæ expugnationeſque, atque alia memoratu digna, quæ ſibi annus repetit octogeſimus nonus. Ex legione Bobadillia apud Mansfeldium agente, una Thenis centuria manſerat ad præſidium contuberniorum. Explorata horum militum paucitate, cohortes aliquot, quæ Bergis ad Somam nuper egreſſæ, prædatum huc atque illuc diſcurrebant, conjunctis peditibus circiter quadringentis, & una equitum turma, (tenebris, & inexpectata aggreſſione pro majore numero ſuffecturis) noctu Thenas accedunt, aſcenſuque ſcalarum urbem ingreſſi, nullo tunc in ea parte mœnium excubitore, in forum ſilentio contendunt, ubi ſtatio erat militum non amplius quadraginta, nam reliqui cum Centurione Maſeo, alibi per urbem, plerique morbo aut vulneribus invalidi decumbebant. Stationarii in re ſubita, præſenti tamen animo, loco erumpentes, poſtquam ſublatas ſibi ab hoſte vident haſtas ante ſtationis domum diſpoſitas, arma ab ira mutuati, ſtrictis alii gladiis, alii è ſtatione jaculantes, ſubeuntem hoſtem non modo ſtationis aditu prohibent, ſed Maſeo cum ſuorum manipulo accurrente, in imum uſque forum ſubmovent. Quin etiam, interempto in pugna Centurione, ex jactura ferocius irritati, hortante Ioanne Morali ſtationis decurione, rurſum erumpunt, & confertos in hoſtes rapide illati, cæſiſque eorum multis, interque alios Hollando expeditionis ductore, ſtationem indomiti repetunt: fremente circum hoſte, quod ſeſquihoræ jam ſpatio ab hominibus paucis in unam domum quadringentis militibus aditus intercluderetur. Donec juſſu galli Centurionis, qui ſubierat Hollandi locum, injecto undique in ſtatio-

STATIO Hiſpanorum Thenenſis à Bergenſibus invaditur.

*Maio Menſe 1589.*

*Tilemont*

*Berghopzom*

*Chriſtophorus Maſeus*

Pugnatur:

*Caporale*

2009 Ministerio de Cultura

1589. ſtationem igne, arſere Hiſpanorum aliqui; alii haud ignave morituri, decurione præeunte, in hoſtium ſe ſe globos injiciunt, editaque multorum ſtrage, experimento fuere, morientium morſus animantium letales eſſe. Ex nonaginta Hiſpanis ſex cum decurione ſupererant. in quos abſtineri arma, ac vivos abduci Gallus imperavit: decurionem vero ſaucium jacentemque miſeratus, captuſque admiratione virtutis ejus ſociorumque, deportari illum in vicinam domum voluit, nam ſtatio conflagrabat, ac benigno alloquio conſolatus, crumenam auro plenam curationis cauſa in ſinum conjecit. Tum collecta jam omni, quæ per ea contubernia ſervabatur Centurionum militumque ſupellectili Bobadilliæ legionis, aliaque multa per domos præda, non ultra Thenis ſubſiſtere auſi ſunt, metu partim à civibus, quos non jam noctis horror, & incerti hoſtis terror incluſos contineret: partim ab auxiliis facile ſuperventuris. itaque relicta confeſtim urbe victores actis ante ſe captivis abſcedebant.

*Stationis domus à Bergenſibus inceditur. Stationarii non inuiti cæduntur.*

*Victores cum captivis & præda abeunt.*

Quum forte eo ipſo tempore è Gertrudiſbergenſi expeditione redibat Bartholomæus Toralva, ducebatque centuriam ſuam Manriquiæ legionis Areſcotum: ac viſo agnitoque hoſte animatis ad pugnam ſuis, poſtremum agmen in feſtus aggreditur. Nec pugna diu prædatores tenuit. Primi, ſpoliorum magis quam ſociorum decoriſque cura, fugam protinus capeſſunt: alii abjectis ſarcinis, primos ſequuntur: reliqui præda onuſti, dum ſe remque, diviſa mente, defendentes, nunc arma in hoſtem, nunc oculos ad fugam vertunt, eoque non toti pugnant, facile in Hiſpanorum poteſtatem ipſi ac præda deveniunt. Quamquam intentis ad rapienda ſpolia, liberandoſque commilites Hiſpanis, pauci hoſtium cæſi, plerique elapſi ſunt. Non poſt multo quam Areſcotum cum præda ingreſſi erant Hiſpani, Emmanuel Vega legionis Bobadilliæ ductor, ejuſque centuriones, qui Thenas ad hibernandum

*Sed ab aliis hiſpanis forte obviis*

*præda ſpoliantur.*

*Lis ſuper ea præda,*

atri-

2009 Ministerio de Cultura

1589.

attributas jam redierant, audito ex liberatis ſociis, proſpero Toralvæ ſucceſſu; gratulatum ei victoriam mittentes oravere, ut res ſibi ablatas, quando amicas in manus venerant, ad ſe remittere ne gravarentur. At Toralva, rapta ex hoſte ea ſpolia reſpondebat: nec poſſe à ſe fraudari eo quæſtu milites ſuos, quos ipſe ob eam quoque cauſam in pugnæ diſcrimen adduxerat. præterea ſpatium elapſum jam eſſe viginti quatuor horarum, intra quas repetere ablata, jure belli, domino liceat. itaque contenti ſociis, quos remiſerat, manere ea bona æquis poſſeſſoribus paterentur. His tamen Vega nequaquam acquieſcens, compoſitis litteris ad Alexandrum Tungris agentem, rogat ſuo ac ſuorum Centurionum nomine, velit jubeatque, bona legionis, veſtem, pecuniam, vaſa, quæque alia apud Toralvam detinerentur, notis jam dominis quam primum reddi: neque permittat, ſe ſuoſque non minus hoſtilia à Toralvæ militibus, quam ab hoſtibus pati. Alexander, nam Toralvæ quoque litteris fatigabatur, controverſiam Quæſitori univerſi exercitus diſceptandam, ac dirimendam permiſit. Ille autem, quod videret magnis ab utraque legione ſtudiis contendi, cauſam, quam uni addicere ſine alterius offenſione non poſſet, procraſtinando ſuſtentabat, ſperans à ſubita aliqua expeditione, uti mox evenit, alio ſtudia curaſque militum avertenda. interea dum bona apud Toralvam manere paſſus eſt, ei profecto cauſam, ſurda quadam definitione adjudicavit: magnis inde Vegæ, ejuſque Centurionum quærimoniis, Toralvæ tenacitatem inurbanitatemque aſſidue perſtringentium. quas ille voces facile tranſmittebat condonabatque, memor ALEATORI poſt jactum permitti, ut chartulas luſorias diſcerpat. Sed quam inter Hiſpanos, ac ſocios humanitatem Vega non reperit, eam hoc ipſo tempore in hoſte hollando expertus eſt. E ſpoliis, quæ Tænis ablata ſunt, viginti quatuor vexilla intra arcam

inter priores dominos, & novos poſſeſſores:

*Auditor generalis*

Poſſeſſores prævalent.

*Toralva*

& domini inſignem experiuntur in hoſte liberalitatem.

2009 Ministerio de Cultura

1589. arcam obvoluta prædones aſportaverant Bergas ad Somam. Ea res angebat ſummopere Vegam, ne unquam hoſtes quaſi in prælio rapta Bobadilliæ legioni ſigna monſtrare gloriarique poſſent. Itaque auſus ad Bergarum Gubernatorem litteras dare, petita prius ab Alexandro facultate, (ne quid cum hoſte commercii haberet, inconſulto Duce) orat, ut vexilla, quæ delata Bergas inaudierat, pro ſua humanitate remittere Thenas vellet, certus non eſſe iſta Bobadilliana ſigna: hujus enim legionis ſigna cum Parmenſi Duce in Gertrudisbergenſi expeditione tunc fuiſſe: ſed quæ nunc repeterentur, Parmenſem in Britannico bello primum erigenda explicandaque deſtinaſſe. Quæ deſtinatio quoniam effectu caruerit, reſervata ejus imperio fuiſſe in aliam, quæ ſe offerret, expeditionem. ceterum hujuſmodi vexilla quum expoſita non fuerint, nihil habere militaris, nihilque pretii, præter ſericum velum. id autem ipſum recipere, ſe ac Centuriones ſuos magni beneficii loco habituros. Gubernator, præter omnium ſpem, quaſi oſtenſurus, Hollandum non aliis utique ſignis gloriari, quam quæ hoſtibus in acie victis reportare ſit ſolitus; arcam ipſam cum vexillis Emmanueli protinus remiſit. quin etiam ex iiſdem ſpoliis craterem, guttumque, & concham ex argento (& hæc forte Emmanuelis vaſa fuerant) raro inter hoſtes exemplo liberalitatis adjecit. Quod tamen additamentum etſi magni quidem Emmanuel æſtimavit, præſertim ut Toralvæ tenacitati beneficentiam hoſtis objiceret: at reducem cum vexillis famam, cujus jacturam feciſſe verebatur, omni auro argentoque cariorem habuit. Invaleſcat utinam hoc certaminis genus inter hoſtes: ut collatis in hunc modum ſignis, ſpoliiſque receptis, effuſa potius liberalitate, quam ſanguine, pro victoria concertetur.

BLIENBECHÆ obſidio. *Erneſt. Bav. Elector Imp.*

Sub hoc tempus Parmenſis à Septemviro Colonienſi, qui Tungros venerat, & à Verdugo Friſiæ Gubernatore auxilium rogatus; quod

©2009 Ministerio de Cultura

quod hic à Gulielmo Naſſavio, captis aliquot arcibus: ille ab Adolpho Nivenariæ & Meurſæ Comite, atque à Martino Schenchio, è Berca omnia circum loca infeſtantibus premebantur; ad hunc quidem, Marcum de Rie Varambonii Marchionem: ad illum autem, Pattonum Scotum Chiliarchum protinus immiſit. Varambonius ſuſcepta peralacriter expeditione in Bercam, Geldriæ, provinciæ ſuæ finitimam & infeſtam, inſtructus tribus fere millibus peditum è variis nationibus, & quadringentis equitibus ductore Appio de Comitibus Beccam petiit turrim in Rheni ripa, unde Schenchius tranſmittere amnem, ac Bercam comportare commeatum ſolitus erat. eaque capta, exercitum admovit ad Bliembecanum caſtrum, quod inter Moſam & Rhenum, ſitu opereque ac milite validum, unum in ea provincia Schenchius obtinebat. Quo intentiorem curam ad ejus obſidium attulit Varambonius, juſſo cum parte equitatus Appio itinerum aditus obſidere: aggeribus ſumma celeritate circumductis, tormentiſque trifariam diſpoſitis, atque indeſinenter exploſis. Sed poſtquam parum damni mœnibus inferebatur; quod pilæ terreno haurirentur, ſuffoſſionibus tentare arcem viſum eſt. Ac dum pontem è doliis fabrefactum Plati machinatoris ingenio, foſſæ imponere milites connituntur, ſubita defenſorum eruptione, ipſo loci Gubernatore præeunte, magnis utrinque animis pugna committitur, non modica hinc atque hinc cæde. Et quamquam Bliembecani denique rejecti ſunt, letaliter ſaucio Gubernatore, atque intra paucos dies extincto, mors tamen Plati, qui tribus glandibus è majore tubo appetitus occubuit, non levi exercitum damno, nec impari dolore Alexandrum affecit: qui idcirco ad Regem ſcribens, diuturnam ejus utilemque operam, atque obita ſæpenumero pericula accurate commemorat, vulnera ipſa enumerans, quorum noviſſimum illud, ſeptimum eſſet, dum Regi

*Marginal notes:* 1589. — *Rinberc.* — *Colonello.* — Becca prius capitur. — deinde Bliembeca oppugnatur. — ejus Gubernator cadit, — & ex Regiis Platus: — *10 Iun.* — quem Regi laudat,



2009 Ministerio de Cultura

1589. Regi manu atque ingenio militat. oratque propterea, ut annuum reditum, quo is nuper à Majeſtate ejus donatus, nondum acceperat, in filium transferre dignaretur. id & futurum aliis invitamento, & ſe velut beneficium ſibi unice collatum ab regia manu habiturum. Sic Alexander prompta erga milites ſuos caritate, eorumdem in ſe ſtudia amoremque provocabat. ut mirum non eſſet, dum ipſe militibus, ceu membris ſuis proſpiciendo, vere caput ſe præſtabat: ſi illi, uti membra ſe gererent, quæ pro ſui defenſione capitis libenter opponerent. At Blienbechæ, poſt Gubernatoris obitum, militum præfecti qui ſupererant, orta diſcordia, metuque ob elatum à Varambonio terreum tumulum, ex quo continuis, nec fallentibus tormentorum emiſſionibus, tecta habitatoreſque petebantur; progreſſi ad colloquium, pactique, ut armati, nec ſine ſupellectili, relictis tantummodo vexillis abirent; arcem Varambonio dedidere. Ferunt in hac obſidione inter præſidiarios interfectos, dum ſpoliarentur, feminam multis confoſſam vulneribus repertam eſſe: mirantibus, qui robur ejus & ferociam in ſubeundis periculis, quorum ſigna cicatricoſo præferebat in vultu, ſæpius inter pugnandum experti erant. plane ut fuiſſe mulierem, non niſi poſt mortem agnoſci potuerit.

*& filium commendat Alexander.*

*Deditur Blienbeca.*

*24 Ian.*

*Femina virum mentita inter cæſos reperta.*

Capta, munitaque Blienbeca, ad obſidium Berchæ ad Rhenum, quod erat expeditionis caput, cum exercitu Varambonius contendebat; quum audito, Schenchium de arce ſua ſollicitum, ad eam liberandam cum aliquot cohortibus adventare, jubet extemplo Neapolitanam legionem obviam illi procedere, cœptoque prælio, dum ipſe ſuccederet, diſtinere hoſtem. Quod tanta legionis celeritate peractum, ut ſuperveniens Varambonius, fuſum jam illum fugatumque compererit. Inde nihil moratus iter proſequitur; eo quidem feſtinantius, quo ad opem Berchæ importandam properare Meurſius: & paulo poſt ſecuturus Schenchius novis

*Blienbeca*

*Schenchius Blienbechæ auxiliaturus fugatur.*

2009 Ministerio de Cultura

novis auctus militibus ferebantur. Nec falſo : nisi, quod Schenchius explorato, ſigna aliqua Regiorum Groningam petere, mutato conſilio, venientibus occurrere, atque ulciſci acceptam cladem quamprimum decrevit. Erant Regii, Wallones ferme ſeptingenti, Pattono Chiliarcho, turmæque lanceariorum duæ, atque una ſclopetariorum, ductore Ioanne Contrera Gamarra : quas copias cum pecunia, & militari ſupellectili, Verdugo Friſiæ Præfecto mittebat Alexander. Schenchius compendio viarum uſus, Pattono in Lippienſi campo improviſus antevertit. injectaque pugnandi neceſſitate, ſigna conferuntur, dubio primum eventu, ſed ſaucio, poſt etiam capto Contrera, captiſque lanceariorum ſigniferis, quum prius in hoſtes confregiſſent velorum haſtilia; Pattonus præcipue trepidus, ne & ipſe in Schenchii poteſtatem veniret, cum quo privatas inimicitias gerebat, fugam arripuit, Lippiam amnem pernici equo tranſvectus. eadem equorum velocitas omnes fere turmales texit: peditum complures cæſi, & cum pecunia ſupellex amiſſa. Non tamen Schenchio ea frui victoria diu licuit.

1589. Idem redit,

*Blienbeca amiſſa* & Pattoni copias aggreditur:

*Qui poſtea Commiſſarius gener.*

eaſque fugadit,

& commeatu potitur.

Iam pridem is intercipiendo Neomago animum intenderat : nunc ſucceſſu lætus, & acceſſu militum firmatus rem aggreditur. Navigiis aliquot per Vahalim, cujus in ſiniſtra ripa aſſidet Neomagum, noctu præmiſſis, ac certum urbis aditum tentare juſſis, ipſe majore armatarum navium apparatu ſubſequitur. Et primi, quamvis à civibus detecti, irrupere tamen, domumque amni objectam invadentes, Schenchium cum ſociis opperiebantur. Qui ubi advenere, portas alii Cliviam, alii Antoniam aggrediuntur, accurrentibus partes in omnes (jam enim illuceſcebat) præſidiariis, civibuſque. Tribus in locis obſtinatiſſime pugnabatur. Nam & fractis cancellis in forum pervenerat Schenchius : & Antoniam quatiebant alii : & primi adhuc domum, quam conſederant, defendebant. Quatuor propemodum

NEOMAGVM Schenchius tentat,

*Nimega*

in urbem penetrat:



2009 Ministerio de Cultura

1589. modum horas Neomagi fatum pependerat, ter amiſſo, ter recuperato foro. Sed, ut REPENTINÆ irruptiones vim omnem in impetu habent, earumque ſi non figitur mucro, retunditur; remittebat paulatim ille invadentium conatus, eductiſque, & in eos directis aliquot majoribus tormentis, Schenchianos in multa ſuorum cæde ſpes victoriæ deſerebat: ſolum metus à Schenchio, quem hoſte ferociorem formidabant, ne fugam aperte capeſſerent, continebat. Sed affluentibus magis magiſque non militibus modo, ac civibus, ſed feminis etiam, pueriſque, è feneſtris, è tectis tela omnis generis contorquentibus; impares jam Schenchiani effuſe portas repetere, ipſe fugientibus implicitus tanquam à refluente amne retrorſum agi, omnes curſum ad naves præcipites intendere. Hic vero multo maxima ſtrages fuit. Non enim ſolum ab inſequentium civium agminibus in fuga cædebantur, ſed etiam dum naves cæca feſtinatione conſcenderent onerarentque, aut ſimul omnes prægravante multitudine hauriebantur: aut, ne haurirentur, contis ac remis, ab iis, qui jam primi occupaverant, non pauci in Vahalim proturbabantur: multi non expectatis navigiis in aquas ſe projicientes, deprimentibus armis mergebantur. nec alios, abjectis armis, nandi peritia juvabat, quin ictibus è ripa deſtinatis figerentur. Schenchius ira furens ac frendens, poſtquam neque in conſcendendis navibus, ſuorum certamen ſiſtere, atque ordinare valuit, nonnullis ſua manu propterea interemptis, dum conſulere ipſe ſibi ad extremum parat, in pontonem inſiliens nimio multorum pondere dehiſcentem, momento abſorptus eſt. Homo mire pugnax ac ferox, quique per ancipitia fortunam libentius provocabat: plane ut ſua illi vitia famulari viderentur. temeritas impune ei ſæpe numero fuit, interdum & in gloriam vertit. Arma nunquam accuratius tractabat, quam quum effuſe potus, ac vino amens: immo ebrietate ipſa, quæ

*Pugnatur vario eventu.*

*Schenchiani fugantur ex urbe.*

*eorum ad Vahalim cædes:*

*fruſtra eos retinente Schenchio,*

*qui demum mergitur.*

*Elogium ejus.*

2009 Ministerio de Cultura

quæ reſignare ac aperire occulta quæque conſuevit, illum ad arcana occultanda uti ſolitum ferunt. Ad ingenii triſtitiam, qua nunquam riſiſſe dicebatur, tantum iracundiæ interdum addebat, ut milites veluti mancipia pulſaret atque transfigeret; & tamen raro alius ſuis carior fuit, nempe quos aſſidue prædarum ſpe alebat, & vero prælarge ditabat. Laborum patientia admirationi erat. ubi aut neceſſitas cogeret, aut ſpes alliceret, affixus equo dies noctesque traducere, in equo cibum, in equo ſomnum capere, prorſus habitare in equo conſueverat. Ceterum infamia laboravit mutatæ toties fidei ab regiis partibus ad fœderatarum Ordines provinciarum, ab Ordinibus ad regia iterum caſtra his tertium deſertis in Truchſeſii militiam tranſcriptus, ac poſtremo Ordinibus redditus, ac neutris unquam partibus ſatis acceptus, dum nemo ſuum niſi in dies numerare volaticum hominem poſſet, cujus videlicet non pes, ſed penna teneretur. Corpus ejus inter cadavera, quibus conſtratum flumen erat, (neque enim quingentis pauciores ſubmerſos ferunt) repertum ab iis, qui ad ſpoliandos hoſtes certatim ex urbe proveniebant, magna Neomagenſium lætitia ſpectatum eſt, ferociam & minas in vultu retinens, & adhuc timendum: mox lætitia in ultionem verſa, amputatum caput, ſectumque partes in quatuor corpus, ex totidem turribus, atque ex una portarum urbis aliquandiu pependere: dum Varambonii juſſu inde remota, ac duobus poſt annis à Mauritio Comite ſepulcro militariter illata ſunt. Schenchii morte nihil à ſuſcepto conſilio Berchæ liberandæ retardatus Adolphus Meurſæ Comes: quin potius Schenchianis auctus militibus, qui ſe ei addiderant omnes, copias quas poſſet maximas per Geldriam, cui pro Ordinibus præerat, comparabat, ut Bercam re frumentaria laborantem, inducto commeatu ſublevaret: plurimum referre arbitratus, teneri à Fœderatis ejuſmodi arcem, ex

1589.

*Reidan. l. 3.*

*Elector. Imperii exauthoratus*

*Meurſius cum commeatu Bercam ad Rhenum properat.*



2009 Ministerio de Cultura

1589. qua vicinæ Geldrorum urbes, quæ fere omnes regiarum partium erant, vexari aſſidue, & aliquando recuperari poſſent. Profectus itaque Harnemium, quo conventuros milites opperiebatur, dum arma in eam expeditionem, ac vaſa bellici pulveris in milites diſtribuendi, unum in locum extrahi jubet; oblatum à quodam talium operum artifice grandius Pyloclaſtrum experiri, ſe multiſque coram, voluit: tormentoque portæ affixo, forte ſcintilla in adſtantia pulveris vaſa deſiliit, ac protinus excuſſis vibratiſque parietibus, nonnullos repentina vis ignium inflammavit, aliquos relabentium tectorum ruina contrivit, Comes ipſe dire ambuſtus poſtridie extinctus eſt, non modica jactura partium, quas tamen ille aſſidua magis quam felici armorum tractatione adverſus Hiſpanos tenaciſſime defendebat, eorum odio quam damnno clarior. Hujus, & Schenchii continuata paucos intra dies infortunia quum Berchæ audita ſunt, adegere præſidiarios ac cives longa obſidione ac fame preſſos, ut animum inducerent ad deſerendam tandem aliquando defenſionem urbis, quam Superis invitis, atque ipſis contrariis elementis, propugnare videbantur: ſiquidem ex iis Ducibus, unde ſubſidium ſperabatur, alter igne, aquis alter infeliciter periiſſet. Iamque colloquium ab hoſte petituri erant, quum feſtinatis ab Holachio litteris, novis inſtructos copiis annonarios currus adventare nunciatur. Ducebant hoc ſubſidium cum ter millibus ac quingentis peditibus, & equitibus quadringentis, Comes Oberſtenius, & Verius Anglus Chiliarchi, quos pro Meurſio, & Schenchio fœderati Ordines ſuppoſuerant. In Alpenſem agrum pervenerant, quum Varambonius, qui non inde procul aberat, per expeditum nuncium, à Comite Mansfeldio apud Graviam agente, aliquot Hiſpanorum cohortes in auxilium popoſcit: rogatoque inſuper Comite ipſo, ut præſentia ſua victoriam firmaret, addidiſſe fertur, Veniret nullo de pugna diri-

Harnemii copias luſtrat. *Meurſius*

*Pettardo*

Novum mortarii genus expertus igne corripitur 8 *Octobr.* 1589 & comburitur.

Interim Berchenſes ob famem ad deditionem inclinant:

Suſtinent illos nova Ordinum auxilia.

*Carol. Mansfeld.*

2009 Ministerio de Cultura

dirigenda contentionis metu. paratum ſe, imperia ex illius ore capeſſere, eaque inter hamatos milites libenter exequi. Nec quidquam diſtulit Comes Mansfeldius: ac præmiſſis ſex centuriis Hiſpanorum, ductore Toralva, etiam ſe venturum promiſit. Erant Varambonio milites fere hoſtium pares: quorum Italos mille è Spinellia legione Alexander de Montibus tunc ducebat: Burgundi ſub ipſo Marchione paulum ſupra octingentos numerabantur: Hiſpanos fere quingentos adduxerat jam Toralva: & equites auctos ad octingentos Appius regebat. Cum hiſce copiis Varambonius non longe à Berca ſelegerat munieratque tumulum, propter quem ducturi commeatum credebantur hoſtes. Sed hoſtibus alia incedentibus via, impeditiore illa quidem, eoque Regiis improviſa; protinus occurrere cum turmis Appium, ac diſtinere venientes jubet. auditoque, prope jam eſſe Mansfeldium, (ſic enim præmiſſus ab eo Hiſpanus Centurio Villaſecca nunciabat) Spinellianos illuc feſtinare imperat, eodemque ipſe cum reliquis movet. Appius iter ſilva obſitum, atque autumnalibus aquis inexplicabile tandem emenſus, Anglis, qui primo in agmine apparuere, obtulerat ſe. & quamvis alicubi dehiſcente ſolo inſtabilis fluctuaret, omnia tamen infra equitatus ſui vires arbitratus, acceſſu præſertim Neapolitanæ legionis, pugnam capeſſit, animoſe magis, quam feliciter: non ſolum dum paluſtri humo, ac minus equitabili certatum eſt, ſed etiam poſtquam inde egreſſus, æquiorem nactus eſt campum. Nam neque facile ordinare incompoſitas à via turmas licuit, urgente hoſte: & Neapolitanæ cohortes loci iniquitate primum turbatæ, parum præſtare mutuam equitibus opem valebant. Et tamen admirationi dicuntur hoſtibus fuiſſe, adeo per medias haſtas Germanorum, quorum orbem agmini curruum circumdederant, bis ad currus uſque, ſaucii ſauciantesque pervenere. Nec minus ſtrenue adverſus

1589. Quibus ſe opponit Varambonius,

cum hiſce copiis,

*Varambon.*

*App. de Comitibus*

cum quibus pugnat loco non ſatis æquo:

*Federicus Villaſ.*

ac fortius quam felicius.



©2009 Ministerio de Cultura

1589. agmen Oberſtenii pugnabant Hiſpani, Burgundique, Varambonio nunc Ducis, nunc militis partes intrepide ſuprema inter diſcrimina ſuſtinente. Seſquihoram, ſpe auxilii, ſuſtentata eſt à Regiis pugna: donec audito, venire armatos ab obſeſſa civitate Berchenſes commeatum excepturos; Varambonius, quando ſubſidiarii à Mansfeldio milites non apparebant, paulatim receptui ad eum, quem munierat tumulum, ſignum dedit, inſequente hoſte, ac fortiſſimos quoſque, qui pugnam poſtremi ciebant, paſſim cædente. Nec multum inde ceſſerant, quum ecce turma equitum, qui venienti Mansfeldio præibant, ex vicino ſcloporum fragore cœptam jam pugnam interpretati, addenſato gradu, recedentibus adjunxere illico ſe, unaque omnes in pugnam redeuntes, terga vertere coegerunt hoſtem. qui, feſtinantibus inter hæc curribus, contentus alimenta obſeſſis inferre, urbe ſe commeatumque concluſit: deſideratis non pluribus quinquaginta ex ſuis, ex Regiis facile ſupra quadringentos, prima tamen cum laude Neapolitanæ legionis, & cohortium Hiſpanarum. ex illa Ferdinandus Spinellus Ziri Marchio, & Ioannes Antonius Carafa, & Alphonſus Palaganus Centuriones: ex his Centuriones totidem Didacus Guerra, & Coſmus Puialtes, & Bernardinus Toletanus, ſtrenue dimicantes obiere. præter ſigniferos ſeptem, & equites complures; inter quos Ioannes Coloma, poſt raptum è ſigniferi manu hoſtile vexillum, ipſumque ſigniferum interemptum, pila trajectus, tantoque magis vexillum amplexus, illo involutus occubuit. At Spina Centurio Neapolitanus, letaliter ſaucius: & Corellius Hiſpanus eques, viginti & duobus vulneribus perfoſſus, poſtquam deficiens ſanguis, non animus, utrumque proſtravit; ille à pugna retractus, poſt brevem medelam, rurſus arma & pericula popoſcit: hic inter cadavera ſpirans adhuc repertus, ſublatuſque, quamquam majore mortis parte in corpus recepta,

*hora una cum dimidia*

Decedunt non ſine cæde Varamboniani.

Sed novis auxiliis aucti redeunt,

commeatus tamen in urbem inducitur.

Cæſorum utrinque numerus.

militum aliquorum laus

*Ex Hiſpan.*

*Eques Aragon.*

*Thomas Spina*

*Hiero. Corell.*

2009 Ministerio de Cultura

cepta, tamen ex inſperato convaluit, auctamq; ex privata ultione ferociam in bellum attulit. Nec ſua in hoc conflictu caruere commendatione Duces partium. Nam Varambonius, nullo formidato diſcrimine, manu exemploque pertinaciter adeo pugnæ inſtitit, ut ſemel ab hoſtium, in quos ſe conjecerat, manipulo circumventum jam ad deditionem cogerent, niſi propere haſtati aliquot Hiſpani accurrentes captivitati Ducem exemiſſent. Verius autem commeatum & per iter hoſti inexpectatum deduxit, & loco potiore defendit, & ipſa fuga ad celeritatem uſus in urbem feſtinanter invexit. Scio ſuper hac pugna varie traditum à Scriptoribus: quum alii improſperum ejus exitum Comiti Mansfeldio attribuerint, qui non magnopere laborandum ſibi exiſtimaverit in ejus acceleratione ſubſidii, ex quo partæ victoriæ decus penes Ducem expeditionis futurum eſſet. nempe Marchioni jam tum offenſus, quum Geldriæ præfecturam, ſe poſthabito, in illum contulit Alexander. Alii ipſum potius Varambonium accuſant, qui gloriæ avidus ne partem victoriæ cum Mansfeldio communicatam haberet, prævertere adventum ejus, dato in pugnam milite, feſtinaverit. Ego neutrum affirmare promptum habeo: quum in litteris, quas de hac expeditione Farneſius ad Regem accurate ſcribit, neque Mansfeldium, neque Varambonium defuiſſe muneri ſuo diſerte conteſtetur. Sed quum in iiſdem litteris non obſcure carpat nimium ardorem militum ad vires potius oſtentandas, ut ipſe loquitur, quam quod imperatum id fuiſſet; facile crediderim, ſui confidentia, & hoſtium contemptu, à præmiſſis ad pugnam militibus peccatum eſſe. id quod ſæpius evenit majorem expertis hoſtem, quia contempſerint, ut minorem. Nec ideo expugnandæ Berchæ omiſſa ſpes eſt reputantibus, quæ inducta erant paucorum denique dierum alimenta, auxiſſe magis ductoribus gloriam, quam ſedaſſe obſeſſis famem. Advenerat jam in

[Margin notes:]
1589.

maxime Ducum utriuſque partis.

*Colema li. 2.* Improſperam hanc pugnam Mansfeldio alii tribuunt:

alii Varambonio: *Reidan. li. 2. Vaſq. in Comment. Eques Rinald. in Relation.*

*6 Novemb.*

Alexander nimio ardori militum.



2009 Ministerio de Cultura

1589. Mansfeldius exercitum accepit à Varambonio, in Geldriam evocato. *Geldris*

caſtra Mansfeldius, eique tradiderat Varambonius vicarium exercitus ſui regimen, evocatus ipſe in Geldriam ab Alexandro: qui, quod obſidionem paulo diuturniorem vereretur, tandiu abeſſe illum nolebat à præfectura ſua hoſtium inſidiis tunc expoſita. Accedebat metus, ne forte, non coëuntibus animis, diverſi arma tractarent. malum, quod in bello non raro videmus, quoties aliqui, publica re privatis ſimultatibus poſthabita, non jam Principi ſuo, ſed, ſurdo quodam transfugio, hoſti militant. unde ſæpius acceptas ex inopinato clades, & NON plura medicorum diſſidio funera, quam corruptas diſcordia Ducum victorias computamus. Sed quam præcaverat in caſtris diſcordiam Alexander, exceperant eam in urbibus, exercebantque permulti, inſito, uti aſſolet, ſtudio nationum, aut aſſumpto ſemel partium patrocinio. Namque audito, miſſum ab Alexandro Mansfeldium pro Varambonio, hinc Belgæ, inde Burgundi, quique alterutris favebant, Germanorum, Hiſpanorumque non pauci, Alexandri factum aut laudantes, ac breve jam Berchæ obſidium, celeremque victoriam: aut carpentes, ac diuturnam in caſtris moram, turpemque diſceſſum affirmate pronunciantes, mordicus inter ſe tanquam in acie concertabant. negotium videlicet otioſorum, umbraticis hiſce pugnis de ſumma rerum in circulis decernentium. Sed jam Mansfeldius, antequam accepiſſet continuandæ obſidionis partes, dum Bercam peteret, copias ſuas Rheſam Rheno imminentem admovit, apud quam validum proxima æſtate caſtellum Schenchius fabricaverat, iis qui Bercam verſus, eo loco Rhenum tranſmitterent, opportunum. Hanc circumvallare arcem Comes aggreſſus, quarto die murorum parte machinis labefacta, miſſo tympaniſta deditionem defenſoribus imperavit. Et illi, poſt mortem Schenchii, animis fracti, & foſſa multo jam rudere complanata; haud ultra morati tradidere arcem, cum

Sed ante Mansfeldius Rheſam invaſerat, ac cepit.

2009 Ministerio de Cultura

cum armis exeuntes, relictis tamen vexillis, omnique, quo arx abunde instructa erat, bellico apparatu. Arci tria Germanorum ſigna ex legione Egmontii impoſuit, vexilla ad Alexandrum miſit: lætus, quod, non modo illum Rheni trajectum clauſiſſet hoſtibus, ſed etiam regiis exercitibus Tranſiſelaniam aut Friſiam petentibus è Rheſa Anholſtum, ex hoc Breefordium, hinc Grollam, iter commerciumque ſecurius, tanquam per regiarum partium loca, unius fere horæ ſpatio inter ſe diſtantia, aperuiſſet. Hinc nullo tardatus hoſtium occurſu Bercam progreſſus, acceptoque armorum imperio, ac firmata novis aggeribus & caſtellis obſidione, non ſe inde receſſurum, niſi urbe fame, aut ferro domita, Berchenſibus denunciandum curavit. Nec jactatas ex vano minas brevi intellectum eſt. Nam bis rejectis, qui annonam inferre tentaverant, jam civitas alimentorum inopia laborabat, ac vitiatis fœdo cibatu corporibus, morbi late gliſcebant, & funera ſequebantur: non ſine querimoniis plurimorum, quibus ſicuti curæ non erat, quis Bercam Dominus obtineret, ita fruſtra arceri ac vinci ajebant Hiſpanum, dum interea ſub Hollando victore, fame ipſi commoriebantur. Notum id Comiti ex iis, qui quotidie ex urbe profugiebant: quorum multos redire vi compulſos, jubebat obſeſſos admonere, ne ſe falli ſinerent inani ſpe auxiliorum, remedium miſeriarum, ſi ſe reddere Principi ſuo feſtinarent, in ipſorum manu ſitum eſſe. ſin cunctarentur, præſentibus calamitatibus populationem, & excidium urbis acceſſura ex arbitrio victoris. Hinc adjecto ad famem hoc quoque metu, Gubernator, ac Magiſtratus, quoniam tumultuari civitas videbatur, compoſitis litteris ad Comites Mauritium, atque Holachium, quo res loco eſſet exponunt, addentes, niſi intra menſem ſubveniatur, famem hoſtibus aperturam Berchæ portas. At illi jam pertæſi nimios ſumptus in ejus urbis auxilium, quæ longe poſita defendi ægre de-

1589.

Inde Bercam aggreſſus fame illam premit

& minis non vanis nunciiſque terret.

*Mansfeld.*

*Simon Dorth* Gubernator de Civitatis ſtatu admonet Ordinum duces.



2009 Ministerio de Cultura

1589. demum poſſet; reſpondent, Novum apud Regios armorum apparatum, qui ſub gallicæ expeditionis nomine timendum eſſet, ne in Hollandiam deſtinaretur, non permittere, ut alio miles, & pecunia diſtrahantur. proinde res ſuas ipſi componerent: &, quando jam longa obſidione, fidei ac famæ ſatisfecerint, neceſſitati in præſens cederent, conditionibuſque, quæ fortes viros deceant, cum hoſte transigerent. Tunc vero ſtatim delecti, profectique ex urbe legati ad Comitem Mansfeldium, & ad Septemvirum Colonienſem, qui in caſtris aderat, deditionem obtulere, conditionibus non pœnitendis: impetrato, ne pecunia plecterentur cives, neve armis ſpoliati emitterentur milites. quorum alterum civitati ad inopiam redactæ Septemvir indulſit: in altero Comes imitandam ſibi duxit Imperatoris ſui facilitatem, dicere ſoliti, PARVM referre, quam ſplendide armis induti, modo arcibus exuti abirent hoſtes. Abierunt autem militari, uti optavere, pompa circiter mille (ex duobus nempe millibus, qui urbem intraverant) & hi quidem ægre ſuperſtites, ac fame enerves adeo fluxique, ut mirum eſſet, tantam armorum curam fuiſſe illis, qui vix artus, ne dum arma, ſuſtinere poſſent. Eodemque tempore Septemvir Erneſtus cum Carolo Comite Mansfeldio, ac victore cum exercitu Bercam ingreſſus, recepta hac una, quæ ſupererat, urbe, in omnem Colonienſis imperii poſſeſſionem inductus eſt. Quod ille, quoniam regiis armis acceptum referebat, nihil prius habuit, quam ut honorifica legatione gratias Parmenſi Duci ageret, cujus beneficio Bonna bis capta, expugnato Noveſio, domita ad extremum Berca, reliquiſque per Agrippinenſes fines arcibus atque oppidis, Farneſiani militis virtute ac ſanguine recuperatis; nunc demum ſe Colonienſem Antiſtitem, Imperiique Septemvirum agnoſceret. Et Alexander, Erneſti litteris in Hiſpaniam miſſis, gratulatus eſt Regi non ſolum am-

pliſſimæ

quibus deditionem non abnuentibus,

cum Mansfeldio gratis conditionibus paciſcitu.

Dux Parmen.

Et Septemvir in urbem receptus,

honorifica legatione gratias agit Alexandro:

qui miſſis in Hiſpaniam Septemviri Litteris,

2009 Ministerio de Cultura

pliſſimæ gloriæ acceſſionem, aſſerto in libertatem felicibus ejus armis, repoſitoque in priſtinum ſtatum amiciſſimo Principe; ſed etiam eadem opera partam belgicis provinciis ſecuritatem, Geldriæque in primis ab hoſtium illic dominantium incurſibus conſultum. Itaque conſideranti ſibi res belgicas, haud temere videri, finem aliquando inſtare diuturni graviſſimique belli. Iam Moſam, quanta eſſet, captis circa urbibus, Principi ſuo fluere: Rhenum aut partium amicis adjunctum, aut hoſtibus abſtractum: mare receptis in Flandria portubus navigationibus apertum: Belgium, quam longe protenditur à primis contra Britannicum mare Flandris, ad extremos uſque Friſios, regiis armis ſecure percurri. ſolos adhuc Zelandos, Hollandoſque, (ad horum enim limitem ſubmotas rebellium vires,) indomita pertinacia bellum gerere. ſed utriſque moram ac frenum injectum, illis à Sluſa Fliſſingæ portui obverſa, his à Gertrudisberga Dordrecto cominus infeſta. Atque adeo monſtrata in Zelandiam via, & Hollandia penetrari cepta, ſperari poſſit, hiſce quoque provinciis ad obſequium denique pertractis, brevi Belgium omne Deo, Regique ſuo reſtitutum iri. Sic Alexander in procinctu omnia, & tanquam ex facili finienda promittebat: quo Regem, ut ego quidem interpretor, allectum non vana ſpe pacandi aliquando provincias, à propoſito gallicæ expeditionis, uti Belgio minime conducibilis, retardaret. nihil hiſce tamen litteris aſſecutus, niſi ut Rex & belli fine per Belgium gauderet, & bellum poſſe in Galliam ſimul importari non deſperaret. minus forte ſecum reputans, ſolem ipſum, quamvis ditione imperioque complectatur univerſa, ad alterum hemiſphærium non transferre lucem, quin alterum tenebris invadendum relinquat. Sed potentiæ Rex ſuæ, virtutique Alexandri omnia tribuebat.

1590. Regi gratulatur abſolutum Colonienſe bellum,

& partam inde magnam Belgii ſecuritatem.

Simul quo loco res belgica ſit, Regi commemorat. *Zeland. Holland.*

ut eum finiendi belli ſpe allectum

à gallica expeditione removeat.

Rex

FINIS.



2009 Ministerio de Cultura

# INDEX
# RERVM & SENTENTIARVM
## Quæ SECVNDA DECADE continentur.


A

AA fl. 497
Abbas S. Bernardi mittitur ad Arteſiæ conventum ab Archiduce, 43
Abbas Guadagnus allegatur ad Alexandrum à Galliæ Rege, 192
Abbas S. Petri Haſnanienſis, vide Iacobus Froyus.
Abbates SS. Gertrudis & Marollæ, in Colonienſi conventu, 97. Regi reconciliantur, 113. ab Wallonibus non admittuntur inter regios Senatores, 151
Abbas Grimanus, vide Antonius Grimanus.
Abbas S. Vedaſti, vide Ioannes Saracinus.
Acatius Ierra Centurio, 407
Achilles Comes Triſſinus, 232
Acoſta, vide Hernandus.
Adolphus Goorius Iuriſconſultus, in Colonienſi conventu, 97
Adolphus Mecherchenius in Arteſiæ conventu, 43. & in Colonienſi, 97. diſſidet à Treſlongo, 325
Adolphus Solmenſis Nivenariæ, & Meurſæ Comes Truchſeſio arma & pecuniam offert, 267. Geldriæ Præfectus pro fœderatis, 279. 283. Holachio poſtponitur, ibid. arcem prope Graviam quatit, 293. vincitur à Verdugo, 388. Schenchio Regis partes deſerenti adjungitur. ibid. pugnans adverſus Taſſium vincitur, 389. Neomagum retentat, 390. Noveſium capit ac diripit, 418. Meurſam amittit, 473. de eo ſubſtituendo in Leiceſtrii locum agitur, 454. ad ferendam Berchæ opem ſe accingit, 626, 629. Harnemii copias luſtrat, 630. Petardi machinam dum experitur, combuſtus moritur, ibidem.
Adrianus Gomicurtius allegatur ad Cæſarem ab Alexandro, 45. Cæſari proponit induciarum remedium, 95. ejuſdem laus, 96. ad Arteſiæ conventum, 137. Trajecti Gubernator eligitur ab Alexandro, 147. ab eodem in Luſitaniam allegatur. 162. Regi commendatur pro Heſdini Præfectura. 338. imponitur diſceptationi Gandavenſium legatorum, 275. & Antverpienſium, 364
Adrianus Milanus Iuriſconſultus, in Colonienſi conventu, 97
Adrianus Noyelus Roſſignolius conſultor Regius, 14
Adrianus Ogniacenſis Vilervallius. vide Vilervallius.
Ægidius Comes Barlamontius gene-


2009 Ministerio de Cultura

generalis tormentorum Præfectus, 13. conſultor regius, 14. offert ſe Alexandro ad liberandam ab obſidione Daventriam, 16. agit cum Wallonum legatis, 53. diſceptationi ſuper eorum reconciliatione imponitur, 53. ejus ſententia de Trajecto obſidendo, 65. occiditur, 119. elogium ejus, ibid.

Affictus. vide Federicus.

Aggæus Albada Iuriſconſultus, in Colonienſi conventu. 97

Agger, vide Diccus.

Agnes Mansfeldia, 265. Coloniam advenit, ibid. Truchſeſio Septemviro in ſpeculo repræſentatur, ibid. ab eo adamatur, 265. in uxorem ab eodem ducitur, ib. eumdem in Hollandiam comitatur, 269

Ajax Cæſius in obſidione Trajecti occiditur 203

Aybarnes, vide Petrus.

Aytonæ Marchionis dictum de miſſione caſtrenſi. 461

Alanus, vide Guilielmus.

Albanus, vide Ferdinandus Toletanus.

Aldegundius, vide Philippus Marnixius.

Aldenarda urbs, 221. aſtu acceditur ad ejus obſidionem, ibid. circumcingitur, 222. civium eruptio, 227. urbs deditur, 229. mulctatur, ibi. Gandavenſibus ad colloquium proponitur, 272

Alexander Comes Anguiſciola, ad Xiſtum Quintum, 455

Alexander Aquaviva Aragonius ab Rege commendatus, 270

Alexander Comes Bevilaqua, in Covenſtenia pugna. 361. periclitatur in Scaldi, ibid.

Alexander Cavalca à Trajectenſibus in Moſam immergitur, 70

Alexander Farneſius Cardinalis Nepoti pecuniam ſubminiſtrat, 102. eum monet de oblocutionibus in eundem ſparſis, 565. ejus judicium de hujuſmodi calumniis, 575

Alexander Farneſius Belgii Præfecturam capit, 1. ejus tunc copiæ & caſtra, 7. auctum exercitum luſtrat, 12, 24. conſultat quam in partem arma inferat, 14. Trajectum aggredi proponit, 15. Namurco exercitum movet, 16. ſpargit per Trajectenſem agrum, 18. Ruram amnem trajicit, 23. pontem Moſæ imponit, 23. exercitus partem poſt ſoluta ſtipendia dimittit, 25. Contra Raitres Caſimirianos contendit, 25. permittit eis reditum in patriam, 28. de Burgerhouto invadendo conſultat, 30. invadit, capit, 32. Exercitum circa Trajectum diſtribuit, 59. 61. ipſe in Peterſemio locum capit, 62. acceſſum hoſtibus ab aquis arcet, & à terra caſtellis excitatis, 63. ad ea excitanda primus ligone molitur humum, 63. Conſultat, 64. aggreſſionem ordinat, 65. urbem quatere incipit, 67. miris urbem cuniculis invadit, 67. & inde. Ad aggreſſionem generalem milites diſtribuit, 71. aggreſſores alloquitur, 72. aggreſſoribus ſe miſcere ſtatuit,

2009 Ministerio de Cultura

tuit, 78. retinetur à ſuis, 79. & à Rege per litteras commonetur, 79. Trajectum circumvallat, 82. circumvallationis deſcriptionem ad Regem mittit, 84. Planiformem molem contra Parmam conſtruit, 115. caduceatorem præmittit ad deditionem ſuadendam, 121. febri corripitur, 122. urbem expugnat, 123. miſerabilem ejus depopulationem edicto coercet, 127. nuncios victoriæ alios alio deſtinat, 128. morbo ingraveſcente Regio Senatui adminiſtrationem cedit, 129. delirans mire divinat, ibid. pro mortuo evulgatur, 130 convaleſcit, ibid. triumphans urbem ingreditur, ibidem.

Terranovam legatum præmonet de ſtatu rerum, 89. ejus de induciis ſenſus, 90. Gomicurtium allegat ad Cæſarem, 45. mittit ſuos ad Colonienſem conventum, 97. articulos ſibi à Terranova miſſos reprobat, 109. ejus prædictio de Colonienſi pacificatione comprobatur, 113. Buſcoducum ad editionem adjuvat, 131.

In Wallonum reconciliationem incumbit, 36. & inde. reconciliat, 42. & inde. eorum legatos accipit, 50, 53. cum iiſdem agit de conditionibus reconciliationis, 53. eorum provincias Regi adjungit, 134. legatos ad Wallonum conventum mittit, 137. conatur in eo Hiſpanos retinere in Belgio, 138. non impetrat, ibid. reconciliationem conficit, ibid. aſſumit regimen provinciarum Wallonum, 151. cum iis agit de novo conflando exercitu, 140, 152. Ipſe reditum in Italiam ab Rege petit, 139. 161. negat Rex, ibidem.

De Hiſpanorum externorumque militum miſſione conſultat, 142. Indicem expenſarum exercitus mittit ad Regem, 143. & domus ſuæ, 142. Namurcum contendit ad externos dimittendos, 148. in eorum miſſione liberalitas ejus, præſertim apud Regem, 149. non acquieſcit regimini cum matre dividendo, 158. & inde. facultatem petit abeundi è Belgio, 161. non impetrat, ibi. diſceſſus per Belgium evulgatur, 162. Præfectus Belgii confirmatur, 163. ab Heſio inſidiis petitur, 165. ejus ſupplicium differt, 167. punit, ibid. Mansfeldium & Rubaſium diſcordes diſparat, 173. Condæum capit, 175. edictum adverſus Orangium proponit, 177. Leodienſem Epiſcopatum in Erneſtum transferri curat, 180. colloquium ejus cum legato Gallo, 185. 192. conſultat de pugna adverſus Alenconium, 186

De Tornaco obſidendo conſultat, 191. obſidet, 193, 198, 202, 204. capit, 207. ab exercitu primum, poſt à populo Sereniſſimi appellatione ſalutatur, 208. Sedem ſibi Tornaci deligit, 209



2009 Ministerio de Cultura

De reditu Hiſpanorum agit cum Wallonibus, 217. præcipuos quoſque eorum in ſuam ſententiam trahit, 218. & negotium conficit reditus Hiſpanorum, 220. Aldenardam obſidet, 221. audax ejus facinus in ſeditione comprimenda, 227. atrox ejuſdem periculum & conſtantia, 228. Aldenardam capit, 229. Hiſpanos in Belgium redeuntes excipit, 231. Italos quoque, ibid. Gallis Alenconianis occurrit, 232. pugnat cum eis ad S. Winocum, 234. & ad Gandavum, 235. ſollicitat provincias Fœderatas ad reconciliationem, 249. cum Alenconio tranſigere ſtudet, 250. vim parat, 253. pugnat ad Steenbergam cum Bironio, 255. & inde. Vincit illum ac fugat, 256

Legationem accipit ab Rege Galliæ, 192. Dunquercam obſidet, 258. & capit, ibid. capit & Neoportum, 259. Bergas ad Sanctum Winocum, Dixmudam, Meninam & alias arces ſubigit, 260. pecuniam rogat Regem per Richardottum, 261. Flandriam victoriis excurrit, 262. Ipras infeſtat, 262. 271. & fame premit, ibid. in poteſtatem redigit, 275. Colonienſibus ſubminiſtrat belli duces, 264. & addit peditatum equitatumque, 267. tres primas Flandriæ urbes aggreditur, 270. augetur ab Italia militibus, ibid. Gandavum fame vexat, 271. & inde. cum Gandavenſibus varie agit, 273. & inde. Gandavi deditionem accipit, 308. Brugas aggreditur, 273. in poteſtatem redigit, 274. & inde. Teneramundam obſidet, 300. capit, 303. Bruxellas premit. 321. capit, 321. capit & Neomagum, ibid.

Conſultat ſuper Antverpiæ obſidione, 291. perſuadet obſidendam, 292. quibus cum copiis, 290. Ad claudendum Scaldim de ponte cogitat, 299. materiam ad eum parat, 304. irridetur, ibid. ille tamen pontem extruit, 305. & inde. Ponti flottas præponit, 315. Parmam foſſam molitur, 317. exploratorem innoxie admittit, dimittitque, 318. mortuus creditur, 334. ſuos animat, 335. pontem reparat, ibid. ad humanda ſuorum cadavera incumbit, 337. caſtella & aggeres per ripas munit, 338. præcipue Covenſtenium aggerem, ibid. 339. in eo pugnat, 352. & inde. Arces aliquot circa Antverpiam expugnat, 364. Antverpienſium animos benignitate ſibi conciliat, 365. De Antverpiæ deditione cum legatis agit, 367. & inde. Torquem aurei velleris ab Rege miſſum accipit, 375. triumphans urbem ingreditur, 377. & inde. Templum adit ad agendas B. V. grates, 379. cœnam ſuper ponte militibus exhibet, 381. regimen urbis ordinat, 382. ſtipendia militibus diſtribuit, & præmia illis impetrat ab Rege, 383. De Arcis reſtitutione agit, 386.

2009 Ministerio de Cultura

386. illam reſtituit, 387. Mechliniam ad deditionem cogit, 366. Graviam obſidet, 403. & inde. In poteſtatem accipit, 411. Venlonam obſidet, ibid. & inde. capit, 417. Colonienſi Septemviro auxiliatur, 419. & inde. Noveſium obſidet, 421. & inde. expugnat, 431. Pontificia dona, quæ accipere diſtulerat, 421. accipit in caſtris Noveſianis, 436. Bercam ad Rhenum laxa obſidione cingit, 437. 438. Meurſam & alias arces circa Bercam capit, 437

Ad Zutphaniam periclitantem accurrit, 442. illam cum commeatu ingreditur, 443. novum ſubſidium immittit, 444. & inde. commeatum Zutphaniam rurſus invehit, 451. Contra Germanos Leiceſtrii auxiliares contendit, 447. Bruxellas redit, 455. reditum in Italiam petit ab Rege ob utriuſque parentis obitum, 455. non impetrat, 456. Miſſionem caſtrenſem inſtituit, ibid. & inde. Daventriam, & alias arces in poteſtatem redigit, 461. Ejus ſenſus circa Mariæ Scotiæ Reginæ necem, 480. Sluſam obſidet, 481. & inde. expugnat, 506. Regem Scotiæ ad matris ultionem animat, 538. In pacem inter Hiſpaniæ Regem & Eliſabetham Angliæ Reginam incumbit, 513. & inde.

Anglicanæ expeditionis Dux nominatur ab Rege, 527, 532. ſententiam ſuam ſuper ea Regi aperit, 530. intendit in eam expeditionem, 531. & inde. Capiſuccum ad colligendum militem in Italiam mittit, 533. & alios in Hiſpaniam, 534. ejus mœror ob claſſis hiſpanæ infortunium, 558. querelæ in eum ob claſſis jacturam, 563. & inde. ejus reſponſio, 567. Regis de iiſdem rumoribus ſenſus, 573. & Xyſti Pontificis, 575. Sollicitatur ad invadendum Belgii principatum, 569. & inde. Bergenſem obſidionem parat, 578. & inde. obſidionẽ ſolvit, 582. Colonienſi Septemviro ſubſidium deſignat, 585. ad eum pro Bonnenſi expeditione Chimacium cũ exercitu mittit, 586. urbem expugnat, 592. Wactendonchæ expeditioni Mansfeldium imponit, 593. eumque cum victoriæ nuncio Regi commendat, 598. Gertrudiſbergam in deditionem accipit, 601. Oſtendam copias immittit, 599. Æger Bruxellas redit, 605. Mansfeldium exercitui præficit iturus ad aquas Spadanas, 606. Levianam legionem diſſolvere ſtatuit, 614. diſſolvit, 615. & inde. Hiſpanam militiam recenſet, 619. tertiam legionem componit. ibid. Opem Verdugo in Friſiam immittit, 624. & Colonienſi Septemviro, ibid. miſſo Varambonii Marchione, 625. Captis Blienbeca, 626. & Berca ad Rhenum, 636. Regem de abſoluto Colonienſi bello, deque ſtatu Belgii edocet, ibid.

Caritas

©2009 Ministerio de Cultura

Caritas ejus & liberalitas in milites, 79, 149, 383. Ejuſdem pericula ad Tornacum, 195, 199. ad Aldenardam, 226, 227. ad Antverpiam, 330, 331. ad Noveſium, 426.
Alexander de Montibus Centurio Neapolitanus, in Bonnenſi aggreſſione, 588. ſuos ad aggreſſionem impellit, 589. cum Tribuno diſſidet. ibid. in Berchenſi obſidione, 631
Alexander Sfortia Comes in Belgium venit, 232. idem in Covenſtenia pugna, 353
Alexander Torellus, in Antverpienſi obſidione, 345
Allocutio, vide concio.
Aloyſia Gaſparis Colignii filia Orangii uxor, 261
Aloyſius Borgia Ducis Gandiæ frater præficitur equitum turmæ, 537
Aloyſius Queralta Catalanæ legionis Tribunus, & ductor, 534
Aloyſius Toletanus Centurio, in Antverpiæ obſidione, 298
Alonſus Garzia, in Trajectenſi obſidione, 122
Aloſtum urbs, 14. ab Auxii Domino Orangio promittitur, 165. Alexandro deditur, 262. periclitatur, 439
Alpenſe caſtrum capitur ab Alexandro, 437
Alphonſus Avalus, 416
Alphonſus Caſtilius Centurio occiditur in Trajectenſi aggreſſione, 78
Alphonſus Idiaqueſius legioni hiſp. Tribunus imponitur ab Alexandro, 619
Alphonſus Leva, 545, 550. Dux Sicularum navium in hiſpana claſſe, 550. ſubmergitur, 559
Alphonſus Luzonus hiſp. Tribunus in regia claſſe, 543. capitur, 559. in Angliam abducitur, ibid.
Alphonſus Mendoza Centurio in expeditione Bergenſi, 579 vulneratur, 581
Alphonſus Meſa Gaditanus primus Noveſii muros conſcendit, 428. donatur ab Alexandro, ibidem.
Alphonſus Palaganus Neapol. Centurio pugnans occumbit, 632
Alphonſus Perea hiſp. Centurio, in obſidione Trajectenſi, 68
Alphonſus Pereſius Guſmanus Medinæ Sidoniæ Dux pro Marchione Sanctacrucio defuncto claſſi præficitur, 545. imperatorium vexillum accipit, ibid. Vliſſipone ſolvit, ac tempeſtate agitatur, 545. collecta claſſe in Angliam contendit, 546. ſuadetur ad pugnam, 548. non perſuadetur, 548. pugnat, 550, 557. Alexandrum conſulit, 552, 553. in Caleti conſpectum venit, ibid. reditum in Hiſpaniam parat cum ſuperſtite claſſe, 559. ad Santandreanum portum appellit, 559. domum æger ſe confert, ibi. reprehenditur ob non commiſſam à principio pugnam, 576. defenditur, ibidem.
Alphonſus de Solis Manzanum transfugam capit, 125
Alphonſus à Sotomajori ad pecuniam petendam allegatur in Hiſpaniam, 137

Alphonſus

2009 Ministerio de Cultura

Alphonſus Vaſquez hiſp. legionis iuſtructor, 227. in pugna ad Steenbergam, 256. in Antverpienſi obſidione, 333. in Bommeliano diſcrimine, 393. ſocio vexillum ab Anglis abſtractum reſtituit, 407
Alphonſus Vega Centurio, ad Varusfeldium, 445
Altempſius, vide Annibal.
Altapennius, vide Claudius Barlamontius.
Altercatio, vide Diſſidium, Diſcordia.
Alvardus, vide Franciſcus Agvillarius.
Alvarus Baſſanus Marchio Sanctacrucius Oceani Præfectus, 527. Claſſis in Angliam Imperator, 528. in conſultatione cum Rege ſuper Anglicana expeditione, 529, 530. urgetur à Rege ad diſceſſum, 531, 544. moritur, ibid. cauſa mortis, ibid. ejus navis à Draco crematur, 520.
Amadæus Sabaudi Ducis frater in Belgium advenit, 535
Ambianum, 184
Ambroſius Landrianus Vilvordiæ Præfectus, 320. Antverpienſem agrum, & Mechliniæ ſuburbia depopulatur, 364
Amicius Powlettus Anglus, 525
Amiſia flu. 447
Andegavum, 12
Andreas Ayala allegatur ab Alexandro in Hiſpaniam, 34
Andreas Delous, 513. de pace agit inter Hiſpanum Regem, & Angliæ Reginam, ibid. & inde.
Andreas Heſſelius Antverpienſium legatus ad Alexandrum, 367
Angeloti, genus monetæ Anglicanæ, 12
S. Andræas Burgundiæ Tutelaris, 207. Tornaco fatalis ejus feſtum, 210
Angliæ bellum prædictum à Chronologicis, 525. inſula ab Hiſpaniæ Rege deſcribi jubetur, 526
Angliæ Gravelingæ præſidiarii agunt de dedenda urbe cum Valſingamo, 57. iidem ex authoritati emittuntur, 58. præcurrunt ad Trajecti obſidendi præſidium, 61. Gravelingam ingreſſuri obtruncantur, 203, 204. ad Alexandrum ſe transferunt, 233. pro Rege militantes cæduntur, 258. in Leiceſtrii exercitu, 403, 440. ſuſpecti Fœderatis habentur, 452, 464. in Leiceſtrii auxilium veniunt, 406. unius inſigne facinus, 450. ad Regis partes tranſeunt, 463. ad opem Sluſæ ferendam mittuntur, 485. pugnam ſuſtinent, 489. obſides dantur Alexandro à Sluſanis, 506. inſulam prope Sluſam defendunt, 488. pro Sluſa varie pugnant, 489. Sangertrudiſbergæ præſidiarii à Fœderatis alieni ſollicitantur ad Regis partes, 597. à Mauritio obſeſſi Alexandri opem implorant, 598. 601. tumultuantur, 602. Gertrudisberga egrediuntur, ibid. & Alexandro ſe adjungunt, 603. Angli conſiliarii Reginæ queruntur de Alexandro, 521. vide obſidionem Sluſenſem.

Angui-

2009 Ministerio de Cultura

Anguiſciola, vide Alexander.
Anholtius, vide Iacobus Bronchorſtius.
Anholſtum, 635
S. Anna arx, 483, 484. & inde.
Annibal Altempſius Tribunus Germanorum in Burgundia contra Alenconianos, 7. eos è Burgundia ejicit. 8. ad Alexandrum venit, 13. Wertam expugnat, 25. ejus haſtati adverſus Raitres, 26. in Trajecti obſidione, 71. ejus legioni debitum ſtipendium, 142. tumultus ejuſdem legionis, 144. ſtipendia eidem ſolvuntur, 149. pugnans ſauciatur ad Varusfeldium, 445
Antonius Babingthonus Anglus, caput conjurationis in Eliſabetham Reginam, 474
Antonius Goignii Dominus Conſultor Regii Senatus, 291. Bruxellis præficitur, 322
Antonius Gomeſius Centurio Hiſp. 493. occiditur, ibid.
Antonius Grenettus Werpii Dominus præficitur arci adverſus Ipras, 262, 271, 275, 276. Antverpiani præſidii præfectus, 385. ad Engelam, 497. & inde.
Antonius Grimmus Abbas legatus ad Alexandrum; 421. offert, Alexandro Pontificia dona, 437
Antonius Guevara, 519
Antonius Haymanus à Gandavenſibus allegatur ad Alexandrum, 272
Antonius Hauſtius 137
Antonius Leva Aſculi Princeps, 555. miles honorarius in exercitu Regis, 608. contentionem inter Mansfeldium & Levam componit, 608. ſedare tumultuantem legionem ſtudet, 612. Alexandrum orat pro ſeditioſa legione, 615. regiæ claſſis infortunium eidem nunciat, 555
Antonius Luſitanus ab Regina Angliæ pro Rege habetur, ac in Hiſpaniam armatur, 526. vincitur, 528
Antonius Mentovatus pugnans cadit in aggreſſione Trajecti, 75
Antonius Olivera equitum Commiſſ. 13. præmittitur ab Alexandro Daventriam, 17, Burgerhoutum obſidet, 32. expugnat, ib. 132. præficitur à Rege equitatui in Belgium tendenti, 231. Rubaſii Vicarius adverſus Alenconianos, 235. adverſus Bironium, 254. pugnam reſtituit adverſus eumdem, 256. Rupelmundam in poteſtatem accipit, 262. Wettreum occupat, 272. conſultat de Antverpia obſidenda, 291. commercium præcidit inter Gandavum & Antverpiam, 295. commeatum à Gandavenſibus interceptum recuperat, 303. Gandavum premit, 308. Gandavenſi præſidio præficitur, 309
Antonius Pacius hiſp. Centurio, 423. pugnans occiditur, ibid.
Antonius Perenottus Cardinal Granvellanus proponitur ab Alexandro Leodii Epiſcopus, 180
Antonius Pereſius, 37
Antonius Poſſevinus Soc. Ieſu, 452
M. Antonius Simonetta Italus primus aſcendit Trajecti mœnia,

2009 Ministerio de Cultura

mœnia, 73. occiditur, 73
Antonius Timmermannus Dominicanus, 215, 216
Antonius Trancoſus hiſp. Centurio ſcandit Trajectenſem molem, 69. pugnans obit, 69
Antonius Zuniga præficitur ab Rege Hiſpanis in Belgium ducendis, 534. Trib. Manriquæ legionis nominatur ab Alexandro, 620
Antverpia urbs ſubigenda deligitur ab Alenconio, 240. invaditur à Gallis, 244. pugnatur in ea, ibid. hæc invaſio cum hiſpanica comparatur, 246. Obſidio ejus quam magna, 289. quibus cum copiis ab Alexandro cœpta, 289. quam tuta urbs à Scaldi fluvio, 294. & à vicinis urbibus, ibid. harum commercio ab Alexandro privatur, 295. deſenſionem parat, 296. munitionibus & propugnaculis ſpoliatur, 297. ponte claudi incipit, 304, 305. & inde. 314, 315. adjuvatur à Zelandica claſſe, 325. naves parat in pontis ruinam, 326, 327, 343. admirabilis earum effectus 326, 327, 343. inundatione ſe parat defendere, 340. Covenſtenium aggerem claſſe oppugnat, 342, 349. meſſe, & arcibus amiſſis, 364. opem è Gallia ſperat, 365. de ejus deditione agitur, 366. & inde. deditionis capita, 372. ſuſpenditur eorum admiſſio, 374. demum deditur, 367. 376. & inde. Vrbis apparatus in excipiendo victore, 376. ejus præſidium amovetur, 377. novum imponitur, ibid. & Magiſtratus Catholicus ſubſtituitur, 382. ejus arcis reparatio Alexandro permittitur, 386
Anus Neoportum prodere molitur, 272. & ſuſpenditur, 273
Appius de Comiribus Ducis Polorum fater in Belgium venit, 231. equitum ſclopetariorum ductor in pugna ad Steenbergam, 256. Zutphaniam percurrit, 290. Graviam ab Alexandro præmittitur, 409. Schenchium ab ingreſſu Venlonæ arcet, 414. eundem vincit. ibidem in Wactendonchæ deditione decipitur, 495. pugnat ad Engelam, adverſus Holachium, 497. in ſe ſuſcipit revocandum exercitum, 498. pugnat ad Biienbecam, 625. Beccam capit, ibid. ad Bercam pugnat, 631
Apologia Daviſoni, 480. Orangii. 177
Aquaviva, vide Alexander.
Aquila, vide Ioannes.
Aragonius, v. Carolus, Petrus.
Arauſienſis Principatus Orangii in Gallia, 177
Ardenburgum opp. 482, 484
Arembergius Comes, vide Io. Lignyus, & Carolus Lignyus.
Arentalium ab Alenconio captum, 250
Areſchotum opp. 22. 622
Areſchotus, v. Philippus Croyus.
Arluſium munitio capitur ab Alenconio, 189
Armanus Bironius ductor militum in Belgium pro Alenconio, 232, 254. arces aliquot obtinet, ibid. Roſendalia diſcedit, ibid. Steenbergam

2009 Ministerio de Cultura

gam ſe recipit, ibi. erumpit, & regios ſpoliis intentos invadit, & fugat, 256. naves & diſceſſum parat, 257. victus fugit. ibid.
Armeronga Geldriæ pagus, 388
Arnoldus Groneveltius Sluſæ Gubernator, 483. urbem defendit, 485, 492. dedit, 507.
Arſenus pagus, 413
Arteſia ſeparat ſe à Fœderatis, 6. ejus præfectura relinquitur à Caprio, 38. demandatur Melunio Vicecomiti Gandavenſi à Fœderatis, 38. ad Ordinum partes ſequendas ſollicitatur, 38. Caprio à Rege reſtituitur, 41. Vicecomiti offertur, 41. eique demandatur, 41. in eam conventus indicitur, 42. ejus exemplum ſequitur Flandria Gallicana, 49. Regi reconciliatur, 58, ejus nobiles Alexandro ſe offerunt, 218, 219. defenditur à Marchione Renthiaco, 290
Articuli pacificationis Colonienſis proponuntur, refutantur, mutantur, novi conduntur à Fœderatorum legatis, atque à regiis, 100, 101, 106. & inde. Inter Angliæ Reginam & Hiſpaniæ Regem propoſiti, 524. & inde. vide propria nomina locorum deditorum.
Aſcanius Paſſerus Senogallienſis in pugna capitur, 183
Aſculanus Princeps, vide Antonius Leva.
Aſſumptionis B. V. dies felix hiſpanis, 302
Atilius Cæſaris miles, 449
Atilius Comes Martinengus Centurio, 26
Audomarum, 48
Avenionenſis ſtratagema ad invadendam Montenſem urbem, 9. ſuſpectus habetur Alexandro, 10
Auguſtinus Igniqueſius Tribunus legionis hiſp. mittitur in Belgium, 263. ejus legio obſidet Willebrouchum, 295
Auguſtinus Grafigna ligur pacificationem agitat inter Hiſpanum & Anglam, 512. Antverpiam ſe transfert, 513. concordiæ incumbit, 514
Auguſtinus Mexia Lanceariorum ductor, 255. Tribunus hiſpanæ claſſis, 543
Auguſtinus Romanus Centurio hiſpanus, 358
Auguſtinus Schiaffinatus Mediolanenſis cæditur in Trajecti aggreſſione 75
Avila Calderonus, v. Didacus.
Auſtriacus, v. Carolus, Ioannes.
Auxii Dominus deficit à Rege, 165. Licherchemium ſe recipit, ibid.
Axela oppidum in Flandria Alexandro deditur, 262. à Comite Mauritio capitur, 438

Sententiæ ad A ſpectantes.

*ADverſis cum fluctibus colluctantes, quidquid offertur, ne hauriantur, arripiunt.*
*Non creditur aggreſſurus, qui non ſit ſuperior.*
*Plerumque fit, ut quam pauci ardua aggrediuntur, tam dein multi aggreſſos imitentur.*
*Turpe eſt non animadvertere, eadem te arte petendum, qua provocaveris.*
*Aleatori poſt jacturam permittitur, ut cartulas luſorias diſcerpat.*

Bailius

2009 Ministerio de Cultura

B

BAilius Rennebergii à Secretis, 134
Balanius, v. Io. Monlucius.
Balanſonius Burgundorum equitum Præfectus ab Alenconianis capitur, 234. Vellenſem arcem expugnat, 413. Dux Wallonicæ legionis, 536
Baldaſſar Bathoreus filius fratris Regis Poloniæ, 453
Baldaſſar Girardus, 280. Sclopeta Orangium ſauciat, ibid. imperterrito animo cruciatur, & occiditur. ibid.
Balduinus Gaurius Inchii Dominus Cameraci Gubernator pro Fœderatis, 3. arcem urbemque Alenconio promittit, 4. 165. Alenconium in Belgium evocat, 183. præfectura arcis Cameracenſis ſpoliatur ab Alenconio, 188. occiditur. ibidem.
Baldaſſar Hortigoſa hiſpanus Centurio, 407
Balfurius Scotorum pro Fæderatis Tribunus, 298, 347, 348
Balionus, vide Achilles.
Bonhomius, v. Io. Franciſcus.
Bapalma arx, 229. 251
Barbanſonius, Dux Wallonicæ legionis, 536
Barbovius, vide Barnabas.
Barignanus, vide Sylla.
Barlamontius, vide Ægidius, & Florentius Floionus.
Barlotta, vide Claudius.
Barnabas Barbovius Mediolanenſis, in Trajectenſi obſidione, 413. & in Venlonæ expeditione. ibid. Venlonæ ab Alexandro præficitur, 417
Baroccius, vide Propertius.
Bartolomæus Toralva hiſpan. Centurio, 352. 355. primus Covenſtenii aggeris mu[nitionem] inſcendit, 356. ſaucius honore præmioque ab Alexandro donatur, ibidem. prædatores vincit, & præda ſpoliat, 622. lis ejus ſuper iis ſpoliis cum Vega, ibid. præmittitur ad opem ferendam Varambonio, 631
Baſſanus, vide Alvarus.
Batemburgi munitio ante Graviam capitur ab Anglis, 405. recuperatur à Mansfeldio, 412
Baſſignii Dominus, 395
Bathoreus, vide Stephanus.
Bavariæ Dux 584
Bearniæ Princeps, 475
Becca in Friſia, 625. capitur ab Appio de Comitibus, ibid.
Beilius Vltrajectinus Cherpenſis opp. Gubernator ſuſpenditur, 19. obſervatio in ejus obitu, 19
Bellagardus Gallus. 185
Bellevræus, vide Pomponius.
Belgarum Provinciæ tres in fide regiarum partium perſiſtunt. 1. totidem Regi reconciliantur, 47, 49. & inde. 58, 372. Belgæ quæ loca ad habitandum eligant, 253. ab aſſidua cum mari pugna erudiuntur ad bellum, 254. eorum principatus offertur Alenconio, 179. & Angliæ Reginæ, 397. & Regi Galliæ, 286, & Duci Alexandro, 569
Bellomontium opp. Areſchotii Ducis, 50
Bellum Anglicanum, 525. & inde. Colonienſe, 265. & inde. Iuliacenſe, 584. Luſitanicum. 136



2009 Ministerio de Cultura

Bencius, vide Carolus.
Bentivolus, vide Hippolytus.
Beraſeus nobilis Arteſiæ, 35
Berca amnis, 625
Berca urbs ad Rhenum ſive Rinberca, 437, 450. obſidetur, 438. ſuccurritur à Fœderatis, 632. fame premitur, ibid. deditur, 636. captæ delineatio, ibid.
Berchemius Brabantiæ pagus, 377
Berendrechtus ejuſdem pagus, 297
Berga ad Somam à Gallis capta, 250. obſidetur à regiis, 481. fruſtra, 483. ejus Gubernator arcam cum vexillis Vegæ petenti remittit, 623
Berga ad S. Winocum, 35. ad Wallonum partes accedit, 36. pugna ad ejus pontem, 234. in Alexandri poteſtatem venit, 260
Bergenſis Comitis filii ad Regis partes accedunt, 389. pugnant ſtrenue, ibid.
Bernardinus Mendoza legatus hiſpanus in Anglia, 11, 37. Alexandro detegit dolum Anglæ Reginæ contra Gravelingam, 58. legatus in Gallia, 285. cum Rege agit, ne legatos Fœderatorum admittat, ibid. Alexandro aperit Bellevræi legationem in Angliam, 475. Semplæum ac Mortonum ad Alexandrum allegat, 538. Alexandrum admonet de querelis in eum illatis, 565
Bernardinus Merodius Rumenæ Dominus, 97
Bernardinus Toletanus hiſpan. Centurio pugnans occiditur, 632
Bertrandus Salignacus legatus Galliæ Regis in Anglia, 211
Bertoldus Farneſius Dynaſta, 80
Beſſevia Vicus, 23
Bevera Flandriæ pagus Alexandri ſedes, 297, 313, 375
Bevilaqua, vide Alexander.
Bica equitum ductor pontem occupat ſuper Mandra, 153. in Lanuæ caſtra irrumpit, ibid. Lanuam capit, 154. Alenconio moram injicit, 187
Bilantius, vide Otho.
Billæus Electoris Colonienſis Conſiliarius, 426
Billius, vide Gaſpar Roblæus.
Bilzius Dux Germanorum equitum, 142
Bipontinus Dux pro Truchſeſio, 267
Bironius, vide Armannus.
Blanchenberga arx occupatur à Carolo Mansfeldio, 483. timetur ei à Leiceſtrio, 494. invaditur ab eo, 503. liberatur ab Alexandro, 504
Blangelvallius, vide Philippus de Chethlet.
Blaſius Capiſuccus Monterii Marchio in Belgium venit, 264. inſigne ejus facinus in Pictavienſi obſidione, ibid. militaris ejus virtus à Pio V laudatur, ibid. & ab Alexandro, à quo immittitur ad opem ferendam Electori Colonienſi, ib. Zutphaniam percurrit cum equitum turmis, 290. Bonnenſem agrum contra Schenchium defendit, 586. legendis per Italiam militibus atque in Belgium ducendis ab Alexandro præficitur,



2009 Ministerio de Cultura

ficitur, 533. Ducit, ac luſtrat, ibidem.
Blienbacanum caſtrum regiis partibus addicitur, 134. obſidetur à Varambonio, 624 capitur, 626
Blocuſia arx Mechliniæ à Renthiaco capitur, 366
Blocherſis aggeris ſitus, 311
Bloemus Cherpenſis opp. præfectus ſuſpendi jubetur à Beilio, 19
Blocſila. fl. 239
Bloſius, vide Gulielmus.
Bobadilla, vide Franciſcus.
Bocholtum opp. 442
Bodinus, vide Ioannes.
Bolfius Germanorum Centurio Trajecti moritur, 124
Bommelia inſula, 390. ab Holachio aquis obſidetur, ibid. & inde. Cœleſti ope liberatur in ea hiſpanorum legio, 394. à Mansfeldio ejus aliquot arces capiuntur, 606
Bonna opp. 267. obſidetur à Regiis, 268. defenditur à Carolo Truchſeſio, ibi. Septemviro Colonienſi traditur à militibus, 269. ſollicitatur ab Holachio ad deditionem, 421. à Schenchio occupatur, 583. & inde. recuperatur à regiis, 584. & inde, uſque ad 592
Bonhomius, v. Io. Franciſcus.
Bonnivettus Gallus, 216. ab Alenconio præmittitur ad expugnandam Eyndoviam, 243
Boorna pagus, 23
Borburgum ſedes legatorum Anglorum 523
Borcheloa à Verdugo munitur, 441
Borchtus pagus, 296. munitur contra hiſpanos, 311
Borgia, vide Aloyſius, Ioannes.
Bortonus pagus in Anglia, 470
Bos, Fabula Pariſiis data, 56
Boſſignii Dominus, 395
Boſſuvium opp. 9
Boſſuvius Comes, vide Maximilianus Henninius.
Boſſuvius Comes Wallonum ductor, 536
Botvelius, v. Iacobus Epburnus.
Bouchemium arx, 171. oppugnatur, ibid. Alexandri Ducibus deditur, ibid. doloſe, 172
Bourſius, Wallonibus adjungitur, 50. pugnat inter primos in Tornaci aggreſſione, 203, cæditur, ibid.
Boxtela arx Holachio deditur, 495. recuperatur à Vaſtio, 503
Boxumum prope Leovardiam, 396
Brabantia Anglæ Reginæ offertur, 26, 27. terretur ob Trajectum expugnatum, 131
Brachela capitur à Mansfeldio, 606
Breda urbs, 24. invaditur à regiis, 181. capitur, 183
Brendelius Dux equitum Germanorum, 142
Brederodius Graviæ militiæ præfectus moritur, 411
Brila capitur à Treslongo, 325. à Fœd. Angliæ Reginæ pignori traditur, 398
Brœfortium, 239, 442, 635.
Bronchorſtium expugnatur ab Alenconio, 237
Bronchorſtius, vide Iacobus.
Broocus, vide Gulielmus.
Bruela opp. prope Coloniam, 265

Brugæ

2009 Ministerio de Cultura

Brugæ urbs ab Alenconio tentatur, 243. fruſtra, 248. aggredi eas deſignat Alexander, 269. aggreditur, 273. & inde.
Brugenſes Catholici ad Regis partes accedere conantur, 133. opem Ipris ferre moliuntur, 271. fruſtra, ibi. legatos ad Alexandrum pro deditione mittunt, 274. deditionis capita accipiunt, 276. Areſchotum Gubernatorem admittunt, ibi. Alexandrum ad ſe invitant excipiuntque, ibidem.
Bruxellæ armis attentantur ab Alexandro, 292. obſidentur, ibid. fame laborant, 320. dedunt ſe Alexandro, 321
Buccananus, vide Georgius.
Bucho Ayta S. Bavonis Præpoſitus, in Colonienſi conventu, 97. Regi conciliatur, 113
Bucquenium, 251
Burchorſtus Angliæ Quæſitor, 477
Bucquoius, vide Maximilianus Vauxii Dominus.
Bulingerus Hiſtoricus, 170
Buranus Comes Orangii filius detinetur in Hiſpania, 88, 103
Burgerhoutus pagus ſedes exercitus Fœderatorum, 30. obſidetur à regiis, 31. invaditur, 32. capitur ab Alexandro, 32
Burburgum opp. 523
Burgleius, vide Willelmus.
Burgundi in Trajecti obſidione cæduntur, 80. eorum numerus in regio exercitu, 143. circum Trajecti mœnia diſcurrunt, 146. Belgio dimittuntur, 149. in Tornaci præſidio, 209. in Noveſii obſidione, 422. eorum cenſus, 535
Buſcoducum urbs recuſat Raitres excipere, 27. Regi deditur, 131. opem ab Alexandro adverſus Fœd. expoſcit, ibid. à Fœderatis obſidetur, 318. & inde. ab Altapennio ſervatur, 319. à Vaſtio ſuccurritur, 503
Buſcoducenſes pacificationis Colonienſis articulos admittunt, 111. Calvinianos ejiciunt, 131. Hiſp. ab obſidione liberos, cimbis excipiunt, 394. propterea donantur ab Alexandro, 395

Sententiæ ad B ſpectantes.

*Bellum hoc quoque nomine iræ Dei eſt, quod ſæpe in eo neceſſitate peccatur.*

*Beneficio ſuo commendationem à difficultate aliqui captant.*

C

Cabrera turmæ ſubpræfectus, 235
Caduceator nomine Alexandri Trajecti deditionem poſcit, 121. rejicitur, ibid.
Cæcilius Anglus, 440, 476
Cæſar Davalus Vaſtii Marchio, 270
Cæſar Guidiccionus Lucenſis Eques Hieroſ. primus Noveſii muros conſcendit, 428. gemmeam ſpicam dono accipit ab Alexandro, ibidem.
Cæſar Comes Pepulus, 232
Cæſar Comes Vinciguerra, 232
Cajetanus, vide Petrus.
Cæſius, vide Aiax, Nicolaus.
Cajus Ranzovius Danus ab Rege Daniæ allegatus ad Alexandrum, 513
Caletum portus Angliæ, 548



2009 Ministerio de Cultura

Callous pagus. 300,310

Calviniani Foyecum & Wallones cædunt, 35. Antverpiæ Catholicorum ſupplicationem turbant, 49. Buſcoduci ejiciuntur à Catholicis, 132

Cameracum urbs, 165, 173. terretur à Rubaſio excurſionibus & fame, 174, 175. Alenconium excipit, 188. & inde. Mediceæ Reginæ relictum, 288

Cameraceſium caſtrum capitur ab Alenconio, 189. Alexandro deditur, 237

Camillus Capiſuccus Podii Catini Marchio, 75. in navali bello miles honorarius, 270. in Tunetana expeditione nobilium in puppi præfectus, ibid. in Belgio Italorum Tribunus, ibid. ejus ſententia de invadenda Antverpia in bellico Senatu, 291, 292. ejus caſtra, 297, 336, 340. geſta ejus in Covenſtenio aggere, 350. & inde. in Covenſteniana pugna primus hoſtile vallum ſubit, 355, 356. & ab Alexandro & à Rege honoratus, 356. Mochemum excurrit, 405. in Noveſiana obſidione & pugna, 422, 424. & inde. In Sluſenſi expeditione, 491. legionis ejus vexilliferi, 323. ejuſdem legionis cenſus, 532, 536

Camillus Mannellus Italus ſignifer vexillum primus extollit in muros Trajecti, 118. torque & Wallonum Centurionatu donatus ab Alexandro, ibid.

Camillus Marchio à Monte primus Italicæ in exercitu belgico legionis Tribunus, 231, 270. in pugna ad Engelmunſterum, 154. in Condæi expeditione, 175. Italorum ductor, 231. adverſus Alenconium, 235. in bellico conſilio ad Antverpiam, 291. ejus caſtra, 297. propugnaculum in Covenſtenio aggere conſtruit & defendit, 339, 348. caſtellum D. Georgii tuetur, ibi. 353. Raitrum adventum explorat, 442. ejus merita Regi ab Alexandro repræſentantur, 383. cum Spinello diſſidet. 589

Camillus Sacchinus Inſtructor Wallonum Altapennii legionis, 32

Camillus Schiaffinatus Mediolan. Subcenturio in pugna occumbit, 26

Camoſius Dunquerchæ Gubernator, 257. arcem Alexandro tradit, 258

Campinius, vide Federicus Perenottus.

Canalis, vide Foſſa.

Catholici Antverpienſes urbe emittuntur à Calvinianis, 49. Colonienſes adverſus Archiepiſcopum Gebhardum, 267

Cantii Comes Iudex in cauſa Scotiæ Reginæ, 477. ejus de Regina dictum, ibidem

Capivacca, v. Emmanuel Vega.

Caprius, vide Odoardus Bornevillius.

Capſæ ligneæ aggerum loco, 488

Carantamaula Antverp. navigium, 346

Carandoletus equitum ductor, 208

